Josephi Blanchini et amicorum.

[illegible]

CODEX
CANONIZATIONUM

CODEX CONSTITUTIONUM

QUAS

SUMMI . PONTIFICES

EDIDERUNT

IN . SOLEMNI . CANONIZATIONE

SANCTORUM

A JOHANNE XV. ad BENEDICTUM XIII
Sive ab A. D. 993. ad A. D. 1729.


ACCURANTE

JUSTO . FONTANINO

ARCHIEPISCOPO . ANCYRANO

QUI

Lemmata & notulas addidit.



ROMÆ MDCCXXIX.
Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ.

SUPERIORUM FACULTATE.

SANCTISSIMO . IN . CHRISTO . PATRI
ET . DOMINO . NOSTRO

BENEDICTO . XIII
PONT . MAX

J. ARCHIEPISCOPUS . ANCYRANUS

CODICEM *Apostolicarum Constitutionum de viris justis, magna & solemni Romanæ Ecclesiæ cæremonia usque in præsentem diem Sanctorum canoni adscriptis, per maximos Christi Vicarios decessores tuos, perque te ipsum,* BEATISSIME PATER, *in lucem editarum, quotquot scilicet haberi potuerunt, tibi offero, immo tibi restituo; quippe quem tua cogitatione dudum con-*

ceptum.

ceptum, a me digerendum, emittendumque imperasti. In eo centum & undeviginti Constitutiones de tribus & viginti supra centum, viris & feminis in cœlitum albo descriptis, per eosdem Christi Vicarios a sæculo X. ad XVIII. hactenus promulgatas, reperies; nempe a Johanne XV. ad te ipsum, quem nemo unquam præteritorum Pontificum in tot Constitutionibus hac de re promulgandis æquavit. Tu enim septem Dei probatissimos servos, duasque famulas canonico ritu Sanctorum fastis adnumerasti; octo Constitutiones de aliis, quos præteriti summi Pontifices in eosdem fastos retulerant, edidisti. In hoc autem Codice omnium Ecclesiæ catholicæ ordinum spectatissimos filios, magnarum virtutum & signorum gloria illustres, nostrique in patria illa triumphanti apud Deum patronos, recenseri conspicies. Hi, ut a Martyribus, præcipuo semper in Ecclesia honoris loco habitis atque distinctis, initium ducamus, sunt decem Christi pugiles, Thomas Cantuariensis, qui pro juribus suæ Ecclesiæ tuendis sanguinem fudit; Stanislaus Cracoviensis, qui munus

pasto-

paſtoris in impii Regis facinoribus increpandis exercens, martyr occubuit; Berardus, Petrus, Otto, Accurſius, & Adjutus ordinis Minorum, qui in Mauritania Chriſtianæ fidei teſtes ſanguine ſuo purpurati, inter atrocia tormenta animam exhalarunt; duo Petri, unus a Caſtronovo Ciſtercienſis, alter a Verona tui ordinis Prædicatorum, ab hæreticis pro eadem fide tuenda transfoſſi; ac Johannes Nepomucenus, ſacratiſsimi arcani confeſsionis auricularis cuſtos invictus.

Hos fortiſsimos Chriſti Domini athletas primo loco excipiunt duo ſummi Pontifices, unus, qui ſe ultro pontificatu abdicavit Petrus a Murrone, alias Cœleſtinus V. atque alter Pius V. qui hanc militantem Eccleſiam ſanctiſsime rexit. Utrique adſiſtunt totidem S. R. E. Cardinales, Bonaventura & Carolus Borromæus; unus Patriarcha, Laurentius Juſtinianus, compluresque & variarum gentium Archiepiſcopi & primates, omni laude cumulandi, nimirum præter ipſum Carolum Mediolanenſem, Eadmundus Cantuarienſis, Laurentius Dublinenſis;

duo

duo Thomæ, Cantuarienſis & Valentinus, Antoninus Florentinus, Thuribius Limanus, ac VVillhelmi duo, Bituricenſis & Eboracenſis. Nihil plane lætiſsimo hoc ſpectaculo acceptius oculis tuis obverſari unquam poſſe, tua nobis religio non tantum ſuadet, verum etiam luculente confirmat.

Ingens iſtud gaudium mirifice augent duo & viginti æque abſolutiſsimi Epiſcopi, qui Chriſti oves ſumma fide, nec longe poſiti, ſed coram paſcentes, pro eis, ut decuit, ſemper animas ſuas tradere parati fuerunt. Illorum nomina recito. Udalricus Auguſtanus, Benno Miſnenſis, Bernvvardus, & Godehardus Hildesheimenſes, Gerardus Tullenſis; Hugones duo, Gratianopolitanus & Lincolnienſis, Malachias Hibernus, Oſmundus Saresberienſis, Otto Bambergenſis, Petrus Anagninus, Richardus Ciceſtrenſis, Thomas Herefordienſis, Virgilius Salisburgenſis, Ubaldus Eugubinus, VVillhelmus Brıocenſis, & VVlſtanus VVigornienſis, cumque his Ludovicus Toloſas, & Franciſcus Gebennenſis. Perinſignes hos præſules proxime

ſubſe-

ſubſequuntur presbyteri ſæculares tres ; Johannes Nepomucenus , Ivo Trecorenſis, & Philippus Nerius.

Jam vero prodeunt Eccleſiæ caſtrorum , ſcilicet congregationum, atque ordinum regularium propagatores & conditores primarii, in hoc eodem noſtro Codice memorati. Hi ſunt Bernardus Claravallenſis, Johannes Gualbertus, Stephanus Grandimontenſis, Dominicus tui ordinis Prædicatorum, Petrus a Murrone Cœleſtinorum, Franciſci duo, Minorum, & Minimorum, Ignatius ſocietatis Jeſu presbyterorum, Philippus Nerius Oratorii, & Johannes de Deo hoſpitalitatis pauperum infirmorum, eximii parentes. Abbates quoque Benedictini oculis tuis præter jam dictos occurrunt, Robertus Caſæ-Dei, Sturmius Fuldenſis, & Geraldus Silvæ-majoris. Duo præterea inſtructiſſimi Eccleſiæ Doctores, Thomas & Bonaventura. Ad hæc alii Chriſti milites, & ſtrenui ejus fidei confeſſores, qui monaſticam diſciplinam vere & ſancte, & non tanquam pro terrenis amplectendis eam deſerturi, profeſſi fuerunt, præter Godehardum,

Sturmium, Bernardum, Robertum, Gualbertum, & Petrum a Murrone; Petrus Anagninus, Hugo Cartusianus Lincolniensis, & VVlstanus VVigorniensis, Episcopi, semel atque iterum se tibi venerandos exhibent.

Obvios quoque habes, SANCTISSIME PATER, eorumdem ordinum regularium alumnos lectissimos, Thomam a Villanova, Nicolaum Tolentinatem, & Johannem a sancto Facundo, instituti Eremitarum sancti Augustini; Antoninum, Raymundum, Vincentium Ferrerium, Hiacynthum & Ludovicum Bertrandum tuæ familiæ Prædicatorum; Andream Corsinum & Johannem a Cruce Carmelitarum; Jacobum Picenum, Johannem a Capistrano, Bernardinum Senensem, Didacum a sancto Nicolao, Petrum Alcantarensem & Franciscum Solanum, ordinis Minorum. His una sociantur Felix Cappuccinorum, Cajetanus & Avellinus Clericorum regularium; uterque Franciscus, Xaverius & Borgia, Aloysius Gonzaga, & Stanislaus Kostka, societatis Jesu. Eremitæ etiam, qui, superna af-

flan-

stante gratia, uni Deo copulati, cœlestem in terris vitam duxerunt, se tibi spectandos offerunt; Guillhelmus, Theobaldus, ac Simeon unus & alter, Padolironensis & Trevirensis, cumque his Apostoli variarum gentium, magnis virtutibus egregie præstantes, Benno Slavorum, Otto Pomeranorum, Sturmius Saxonum, Virgilius Noricorum, Xaverius Indorum.

Jam tandem chorus Virginum, aliarumque Dei famularum te, pontificali apice inclytum, devote circumstat, BEATISSIME PATER; Clara Assisiensis, Agnes Politiana, Catharinæ duæ, Senensis & Bononiensis, Rosa a sancta Maria, Teresa a Jesu, Maria Magdalena de Pactiis, Francisca Romana, & Margarita a Cortona. At qualibus tandem, quantisque nominibus agmen istud cœlestis illius Hierusalem incolarum, divina luce illustratum, claudi intuemur! Ea nimirum hæc sunt; Chunegundis Imperatrix, Hedvviges Poloniæ Ducissa, Elisabetha Thuringiæ Landgravia, Brigitta Nericiæ Princeps. Imperatores etiam, & Reges, Henricus I. Augustus, Ludovicus IX. Fran-

corum , & Eduardus Anglorum, Reges; Summates, excelſique proceres, Leopoldus Auſtriæ Marchio, Theobaldus Campaniæ Comes, Guillhelmus Aquitaniæ dynaſta, Ludovicus Toloſatium Epiſcopus, Elzearius Ariani Comes, Franciſcus Borgia Gandiæ Dux, & Aloyſius ex gente Gonzaga regulus.

Ceterum, quum tanti Chriſtianæ religionis Heroes, hoc Codice comprehenſi, nos moneant, SANCTISSIME PONTIFEX, ut quandiu hic ſumus, mentis oculos ad altiſſima illa atque immortalia convertere nunquam obliviſcamur, gratiſſimum tibi futurum arbitror, ſi ego, quem tu aliquando, ab aſſentationibus (mendaciis videlicet) vacuum eſſe pro tua benignitate & bona de me opinione pronunciaſti, quod mihi ſane maximo honori verto, non jam tot fluxæ hujus vitæ annos tibi, nobiſcum ad patriam illam æternam peregrinanti, ominer, quot presbyteros ordinaſti, quotve altaria conſecraſti; ſed verius & candidius, ut mea in te reverentia, animuſque probe devinctus jure poſtulant, tot fidos conſiliarios,

& ſpe-

& præstantissimos apud Deum patronos in hoc, qui superest, mortalis vitæ cursu, ex intimo corde tibi adprecer, quot viri justi, ipsique Deo maxime cari, præsenti volumine continentur. Hoc veræ, sempiternæque felicitatis dulce, faustumque omen, supra quæcumque alia longe optatissimum, tibi, summo in terris Christi Vicario, nostrique omnium Pastori summe colendo, ut par est, obsequentissime voveo.

Dabam ex ædibus Palatinis in Quirinali pridie nonas Augustas A.D. 1729.

PRÆFATIO

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendiſſimo Patri ſacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

N. Baccarius Epiſc. Bojanen. Viceſg.

IMPRIMATUR

Fr. Jo. Benedictus Zuanelli ordinis Prædicatorum, ſacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

PRÆFATIO

INTER *majores* (immo maximas) caufas , fumma Romani Pontificis, tanquam capitis Ecclefiæ univerfalis, auctoritate definiendas, quin una ea fit, quæ viros juftos in Sanctorum canonem referendos, & publicæ omnium Chriftifidelium venerationi exponendos pertractat, nemo hac tempeftate fanæ mentis inter catholicos in dubium vocat. Non folum enim ab ævo Johannis XV. & poftmodum Alexandri III. ac fubfequentium maximorum Pontificum, quorum celeberrimæ Conftitutiones de hujufmodi viris juftis, folemni eorumdem Pontificum judicio in Sanctorum album relatis, fuperfunt ; fed longe antea, ufque a fæculo IV. illuftria monumenta, rem tantam difertiffime comprobantia, ad noftram ætatem, Deo largiente, deducta funt. Acta enim fancti Vigilii Epifcopi Tridentini, martyrio coronati in Confulatu I. Stilichonis,qui incidit in A. D.400. de more tranfmiffa fuerunt ad Romanum Pontificem, ut idem Chrifti Martyr illius auctoritate Sanctorum tabulis adfcriberetur. Eadem Vigilii Acta, ex antiquo codice Argentoratenfi ab fe olim defcripta, commemorat talium peritiffimus Johannes Mabillonius in præfatione ad Acta Sanctorum ordinis fancti Benedicti fæculo v. pag. LX. §. 93. Verba Actorum Vigilii hæc funt: *Gefta vero* (ideft relatio hiftorica) *beatiffimi Martyris*, *ut* MORIS ERAT, *Urbis Romæ Epifcopo tranfmiffa eft, ut facris martyrum memoralibus inderetur : qua fufcepta,*

vene-

venerabilis Papa legens, cum omni veneratione suscepit. Hujus *Gestæ* apographum a viro egregio mecum olim communicatum est. *Transmissa* fuisse Acta Vigilii, *ut moris erat*, initio sæculi v. ad Innocentium I. Pontificem, jure dicendum putamus. Longe vero ante istud tempus, initio nimirum nascentis Ecclesiæ a Clemente I. septem in Urbe notarios, qui Acta Martyrum exararent, institutos fuisse, exploratum est. His postea Fabianus Pontifex totidem Subdiaconos addidit, qui eadem a Diaconis conscripta in ordinem redigerent. Hunc enim solemnem & maximum honorem in Ecclesia militanti quatuor primis Christi Domini sæculis in unos Martyres præ ceteris collatum fuisse, veterum Patrum scripta testantur. Sæculo deinde IV. *Confessoribus* quoque tribui cœpit, qui *etiamsi non senserint gladium, tamen per vitæ meritum, Deo digno martyrio non privantur, quia martyrium non solum effusione sanguinis, sed abstinentia peccatorum perficitur, & ipsi gloria martyrum non carent, quia & voto & virtute & potuerunt esse martyres, & voluerunt*, ut apposite ait Synodus Atrebatensis apud Mabillonium in Sæculo v. Benedictino pag. LXV. Ob innumeras tamen Ecclesiæ calamitates frequentiora nobis rei documenta non suppetunt, quæ tantam cæremoniam per summos Christi Vicarios subsequentibus sæculis peractam disertius comprobent, licet a pontificatu Johannis XV. ad præsentem ætatem ea nobis non desint. Hæc vero quum in unum corpus redacta nunquam fuissent, sanctissimus in Christo Pater BENEDICTUS XIII. pro sua erga cœlites pietate & religione, posterorum memoriæ consul-

consulturus, imposito mihi, pro sua in me benignitate, officio Abbreviatoris sacri Palatii, ad quem hujusmodi Constitutiones scribere pertinet, id maxime ursit, ut omnes Constitutiones de viris justis, quos præteriti summi Pontifices in Sanctorum album retulerant, necdum tamen vulgatæ fuerant, omnino vulgarentur: quod, perpaucis exceptis, utique factum est. Ad hæc præcepit, ut quotquot reperiri possent solemnium canonizationum Constitutiones, colligerentur, inque unum Codicem conjectæ, typographicis formis excusæ ederentur. Quare nostrum fuit statim operi manum adjicere, undique conquisitis hujus generis literis Apostolicis: quibus ipsi lemmata & notulas cum annis & diebus Sanctorum emortualibus addidimus, indicatis fontibus, unde eas corrasimus. Paucissimæ vero habebantur in Bullario Romano, atque ipsæ crebris erroribus scatentes, quos ope veterum codicum aliquando sustulimus. Permultas nostram notitiam fugisse non dubitamus. Quis enim ille est, qui primæ vindemiæ manum admovens, nullam se posteris racemationem relinquere posse confidat? Latent multa in hoc genere, quæ, ubi Ecclesiarum tabularia excutiuntur, identidem prodeunt. Interim hoc bene factum, summoque Pontifici laudi vertendum est, quod viam primus ipse aperiri voluerit. Itaque opus incœptum paullo ante primum ejus iter Beneventanum, mox post secundum absolutum est. Nos certe haud parvam diligentiam in his conquirendis impendimus: nec dissimulamus, frustra quæsitas literas Alexandri III. de canonizatione sancti *Canuti junioris*, qui fuit

Rex *Obotritorum*, & martyrium fecit A. D. 1132. alterius *Canuti senioris* ac Regis Daniæ A. D. 1086. martyrio perinde sublati, fratris filius. De *Canuto seniore* agunt Bollandiani tomo 11I. Julii pag. 118. qui Alexandrinas quoque literas de canonizatione *Canuti junioris* memorant tomo 1. Januarii pag. 401. in fine. Latent etiam Innocentii III. literæ de sancto Procopio Abbate ordinis sancti Benedicti Pragæ in Bohemia, cujus dormitio contigit A.D. 1053. die prima Aprilis. Bollandiani hujus acta vulgarunt tomo II. Julii pag. 136. ubi pag. 146. §. 52. Procopii canonizatio per Innocentium III. Romæ traditur facta die II. Junii A. D. 1204. Quæ tamen qualemcumque nostram industriam fugerunt, non ita fortasse aliorum operam fugient, qui ut arduum non est inventis addere, hunc nostrum Codicem aliis imposterum ab se repertis Apostolicis literis augere poterunt. Hoc ut expeditius fiat, quæque hic desunt, statim explorari possint, tres subjecimus Indices. I. Sanctorum. II. Pontificum. III. Rerum: quos pro re nata quilibet consulere poterit.

Jam vero hic largus nobis campus aperiretur agendi de magno & sanctissimo hoc ritu, viros Deo caros referendi in canonem Sanctorum, si nostri mores hoc ferrent, ut alienas observationes ingrati exscriberemus, proque nostris venditaremus: quod tamen non pauci, pridem acta quasi sua & nova repetentes, nobis ipsis videntibus, facere non erubescunt. Hos recte dixeris literarios fucos (ignavum pecus) Attica mella ab aliis congesta, sua facientes: nec frustra loquimur. At contra qui rem honesti pudoris plenam esse arbitrantur in-

genue

genue fateri per quos profecerint; nobiſcum fortaſſe rectius ducent, ſi lectores ad illuſtrium virorum, qui hæc accuratiſſime pertractarunt, lucubrationes candide remittantur. Præcipui vero ſunt, Thomas VValdenſis ordinis beatæ Mariæ de monte Carmelo, & Provincialis Angliæ, in Doctrinali antiquitatum fidei Eccleſiæ catholicæ tomo III. tit. XIV. cap. CXXII. quod opus nuncupavit Martino V. Pont. Max. Robertus Cardinalis Bellarminus in Controverſia IV. de Eccleſia triumphante libro I. *de Sanctorum beatitudine* cap. VII. ac ſubſequentibus, & Chriſtianus Lupus, Auguſtinianæ familiæ Theologus perinſignis, in ſcholiis ad Synodos generales tomo III. pag. 563. editionis I. ubi ſancti Leonis IX. Concilium IV. Romanum explanat, in quo Gerardus Tullenſis Epiſcopus inter Sanctos relatus eſt. Poſtmodum uno, eodemque A. D. 1685. præſtantes viri, Bollandiani in Conatu ad Acta Sanctorum Maji parte I. pag. 171. & Mabillonius, quem dixi, in Sæculo V. Benedictino pag. LVII. hanc ſpartam hiſtorice ornaverunt: qua de re etiam videndus eorumdem ſociorum Antverpienſium tomus I. Junii pag. 95. col. 2. Eſt autem canonizatio *publicum Eccleſiæ teſtimonium de vera ſanctitate & gloria alicujus hominis jam defuncti*. Ita Bellarminus eodem cap. VII. Hoc nobis cum Lupo adverſus quorumcumque Sophiſtarum, ad omne auſum paratam diſceptandi licentiam dicere ſufficiat, *canonizationem, ex authenticis, ac legitime probatis, quæ nonniſi per divinam omnipotentiam fieri poſſe credimus, miraculis fieri; & eſſe definitivum de totius chriſtianitatis diſciplina, judicium, in quo Eccleſiam, licet per ſolum Pontificem judicarit,*

hucusque scimus non fuisse circumscriptam, & *, protegente Deo, speramus usque ad sæculi finem non circumscribendam*. Ceterum disciplinam a sancta Romana Ecclesia his in rebus perpetuo servatam, Constitutiones, præsenti volumine comprehensæ, abunde patefaciunt. Præterea non est silendus Fortunatus Scacchius, qui sub Urbano VIII. Pont. Max. Palatii Apostolici sacrario Præfectus, librisque editis notus, scripsit *de Canonizatione Sanctorum quoad praxim*. Opus nondum typis expressum servatur in Bibliotheca Angelica cœnobii urbani sancti Augustini. Ævo Scacchii idem argumentum breviter pertractavit Felix Contelorius. Post utrunque vero persimile opus, at fusius, condidit Carolus Felix de Matta. Licet autem omnino supervacuum sit discrimen exponere, quod inter *canonizationem*, & *beatificationem* intercedit; id nihilominus hoc loco indicabitur ex prolatis quatuor diplomatibus, alias *Brevibus*, de totidem Dei servis, quos sanctissimus Pontifex BENEDICTUS XIII. nuper *Beatorum* numero adscripsit, novis deinde signis eorumdem sanctitate amplius manifestata, in *Sanctorum* canonem solemni cæremonia postea referendos. Istæc diplomata, a Constitutionibus de canonizatione Sanctorum omnino diversa, jam proferamus.

BENE-

I.

BENEDICTUS . XIII
PONT . MAX

Beatarum numero adscribit Dei ancillam Hiacyntham Mariscottam, sororem tertii ordinis Minorum.

BENEDICTUS . PAPA . XIII

Ad perpetuam rei memoriam.

Quemadmodum Redemptor & magister noster Christus Je- 1727
sus, qui sedet ad dexteram majestatis in excelsis, sacras Virgines, quæ in diebus suæ peregrinationis oblitæ populum suum, & domum Patris sui, propriam voluntatem cum omnibus concupiscentiis crucifixam Deo sub suavi religionis jugo obtulerunt in holocaustum & odorem suavitatis, ac virtute ex alto indutæ & spiritu, vitæque austeritate facta carnis mortificantes, bonum certamen certarunt, fidemque servantes, cursum feliciter consummarunt, ac intrare cum Sponso ad nuptias meruerunt, immarcescibilis gloriæ corona donat in cœlis, earumque sanctitatem interdum signis atque portentis testatam facit; ita & nos, qui ejus vices, licet immeriti, in hac terrena statione gerimus, magistri nostri vestigiis, quantum nostra fert infirmitas, inhærentes, illarum in terris cultum & venerationem, ut ipsarum Christi Ancillarum virtutes narrent populi, ac laudes earum nuntiet Ecclesia, & quæ sequuntur agnum quocumque ierit, luctanti cum sæculi tentationibus imbecillitati nostræ, adjutorii cœlestis opem & præsidium a Sponso jugiter impetrare dignentur, promovere studemus, sicut ad omnipotentis Dei gloriam, catholicæ Ecclesiæ decus, fidelium ædificationem, & animarum salutem salubriter in Domino expedire arbitramur.

Cum itaque mature diligenterque discussis atque perpensis per Congregationem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, sacris ritibus præpositorum, processibus, de Apostolicæ Sedis licentia confectis, super vitæ sanctitate, & virtutibus tam theologicis, quam moralibus in gradu heroico, quibus serva Dei Hiacyntha de Mariscottis monialis professa tertii ordinis sancti Francisci multipliciter claruisse, necnon miraculis, quæ ejus intercessione, & ad manifestandam hominibus illius sanctitatem a Deo patrata fuisse asserebantur; eadem Congregatio, coram nobis constituta, auditis etiam consultorum suffragiis, unanimiter censuerit, posse, quandocumque nobis videretur, prædictam servam Dei *Beatam* declarari, atque interim indulgeri, ut de ea, tanquam de virgine non martyre, in quibusdam locis officium & missa recitari & celebrari valeant; hinc est, quod nos piis atque enixis dilecti Filii nobilis viri Francisci Mariæ Ruspuli terræ Cerveteris Principis, aliorumque causæ beatificationis hujusmodi postulatorum, ac totius ordinis fratrum Minorum sancti Francisci, necnon dilectarum

in

in Chriſto Filiarum monialium monaſterii ſancti Bernardini Viterbienſis, in quo præfata ſerva Dei Hiacyntha profeſſionem regularem emiſerat, ac diem obiit, ſupplicationibus, quas dudum plures etiam cariſſimi in Chriſto Filii noſtri orthodoxi Reges, ac alii ſublimes catholici Principes devotarum ſuarum precum acceſſione roboraverant, nobis ſuper hoc humiliter porrectis, paterna benignitate annuentes, de memoratorum Cardinalium conſilio pariter & aſſenſu, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium indulgemus, ut eadem Dei ſerva Hiacyntha de Mariſcottis in poſterum *Beatæ* nomine nuncupetur, ejuſque corpus & reliquiæ venerationi fidelium (non tamen in proceſſionibus circumferendæ) exponantur; imagines quoque radiis, ſeu ſplendoribus exornentur, atque de ea quotannis die anniverſaria felicis ejus obitus, ſeu alia die non impedita, illam immediate ſequenti, recitetur officium & miſſa celebretur de virgine non martyre juxta rubricas Breviarii & Miſſalis Romani. Porro recitationem officii & miſſæ celebrationem hujuſmodi, fieri concedimus in locis dumtaxat infraſcriptis; videlicet in terra Vignanelli civitatis Caſtellanæ diœceſis, in qua dicta ſerva Dei nata eſt, in civitate Viterbienſi, ubi ad cœlos evolavit, ac venerabile ejus corpus requieſcit, & in univerſo ordine ſancti Franciſci tam fratrum, quam monialium: & quantum ad miſſas attinet, etiam a ſacerdotibus illuc confluentibus. Præterea primo dumtaxat anno a datis hiſce literis, & quoad Indias, a die, quo eædem præſentes literæ illuc pervenerint, inchoando, in Eccleſiis terræ, civitatis & ordinis præfatorum, ſolemnia *beatificationis* ejuſdem ſervæ Dei cum officio & miſſa ſub ritu duplici majori, die ab ordinariis reſpective conſtituta, & intra ſex menſes promulganda; poſtquam tamen in Baſilica principis Apoſtolorum de Urbe celebrata fuerint eadem ſolemnia, pro qua re diem primam menſis Septembris proxime venturi aſſignamus, pariter celebrandi facimus poteſtatem; non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac decretis de & ſuper non cultu editis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumtis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu ſecretarii præfatæ Congregationis Cardinalium ſubſcriptis, & ſigillo Præfecti ejuſdem Congregationis munitis eadem prorſus fides ab omnibus & ubique tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud ſanctam Mariam Majorem ſub anulo piſcatoris die ſeptima Auguſti anno milleſimo ſeptingenteſimo viceſimo ſexto, pontificatus noſtri tertio.

F. Cardinalis Oliverius.

Idem

II.

Idem summus Pontifex Beatorum numero adscribit servum Dei Johannem de Prado, presbyterum ordinis fratrum Minorum de observantia, qui Excalceati appellantur.

BENEDICTUS. PAPA. XIII

Ad perpetuam rei memoriam.

1728.

GLoriosos Christi athletas, qui virtute præcincti ex alto, bonum certamen certarunt, cursum consummarunt, fidemque ad extremum servantes stolas suas in sanguine agni lavare meruerunt, sicuti immarcescibili justitiæ corona donat in cœlis æternus ac justus judex, ita devoto cultu in terris honorari, eorumque agones & triumphos condigna laude & veneratione celebrari decet; ut de nostra solliciti qui de sua sunt salute securi, pia, potentique apud Patrem misericordiarum ac Deum totius consolationis, cui die ac nocte serviunt in templo, ejus intercessione, imbecillitati nostræ inter sæculi procellas æstuanti, cœlestis gratiæ munera impetrent, quibus & nos rectum vitæ cursum tenere, & propositum nobis æternæ beatitudinis bravium consequi valeamus. In hanc nos curam ex debito pastoralis officii, quod infirmitati nostræ commisit divina dignatio, propensis studiis incumbentes, flagitantia idipsum Catholicorum Regum, & aliorum Christifidelium vota libenter exaudimus, sicut ad gloriam omnipotentis Dei, & exaltationem fidei catholicæ, spiritualemque fidelium consolationem atque ædificationem salubriter in Domino expedire arbitramur.

Cum itaque mature, diligenterque discussis & perpensis per Congregationem venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, sacris ritibus præpositorum, processibus, de hujus sanctæ Sedis Apostolicæ licentia confectis, super martyrio & causa martyrii Dei servi Johannis de Prado sacerdotis expresse professi, ac primi ministri provincialis provinciæ Bæticæ sancti Didaci ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de observantia, Excalceatorum nuncupatorum, qui olim a tunc temporis existentibus ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, negotiis Propagandæ Fidei præpositis, ad annunciandum Christi Evangelium, & docendas gentes Regnorum Fezzæ & Marochii missus, in odium catholicæ fidei post atrocissima & immanissima tormenta anno millesimo sexcentesimo tricesimo primo trucidatus, palmam martyrii accepisse asserebatur, ac super signis, prodigiis & miraculis, quæ ad manifestandam mundo finalem ejus perseverantiam, a Deo edita & patrata fuisse dicebantur; prædicta Congregatio Cardinalium coram nobis constituta, auditis etiam consultorum suffragiis, censuerit posse, quandocumque nobis videretur, eumdem Dei servum, donec ad actum solemnis illius canonizationis deveniatur, publice *Beatum* nuncupari cum solitis indultis; hinc est, quod nos piis atque enixis carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici, aliorumque Principum, necnon complurium ex venerabilibus fratribus Archiepiscopis & Episcopis, ac dilectis filiis Capitulis & Canonicis metropolitanarum & cathedralium Ecclesiarum Regnorum eorumdem Hispaniarum,

rum, totiusque ordinis fratrum Minorum ipsius sancti Francisci, atque dilecti filii Johannis Diaz a Conceptione, illius professoris, & fratrum ejusdem ordinis Excalceatorum & recollectorum nuncupatorum, ultramontanæ familiæ Procuratoris generalis, hujusque causæ postulatoris, supplicationibus, nobis & sanctæ Sedi prædictæ super hoc humiliter porrectis, inclinati, de memoratæ Congregationis Cardinalium consilio & assensu, auctoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus, ut præfatus Dei servus Johannes de Prado in posterum *Beati* nomine nuncupetur, ejusque corpus & reliquiæ venerationi fidelium (non tamen in processionibus circumferendæ) exponantur; imagines quoque radiis seu splendoribus exornentur, ac de eo quotannis die felicis ejus transitus, seu alia die non impedita, illam immediate sequenti, recitetur officium & missa celebretur de communi unius martyris juxta rubricas Breviarii & Missalis Romani. Porro recitationem officii & missæ celebrationem hujusmodi fieri concedimus dumtaxat in universo ordine Minorum sancti Francisci utriusque sexus, quem idem Dei servus suo martyrio illustravit; in opido Mogrobejo Legionensis diœcesis in Hispania, in quo ortum habuit, ac etiam in Regno Marochiano, ubi martyrium passus est, ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus tam sæcularibus, quam regularibus, qui ad horas canonicas tenentur, & quantum ad missas attinet, etiam ab omnibus sacerdotibus ad Ecclesias, in quibus festum peragetur, confluentibus. Præterea primo dumtaxat anno a datis hisce literis, & quoad Indias, a die, quo eædem literæ illuc pervenerint, inchoando, in Ecclesiis ordinis, opidi, & Regni Marochii præfatorum solemnia *beatificationis* ejusdem servi Dei cum officio & missa sub ritu duplici majori, die ab ordinariis respective constituta, postquam tamen in basilica principis Apostolorum de Urbe celebrata fuerint eadem solemnia, pro qua re diem vicesimam quartam currentis mensis Maji, utpote illius obitus & martyrii anniversariam assignamus, pariter celebrandi facimus potestatem; non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac decretis de non cultu editis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumtis, seu exemplis, etiam impressis, manu secretarii præfatæ Congregationis Cardinalium subscriptis, & sigillo Præfecti ejusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus & ubique tam in judicio, quam extra illud, habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud sanctum Petrum sub anulo piscatoris die decima quarta Maji anno millesimo septingentesimo vicesimo octavo, pontificatus nostri quarto.

F. Cardinalis Oliverius.

Idem

III.

Idem summus Pontifex Beatorum numero adscribit Dei servum Fidelem a Sigmaringa, presbyterum ordinis fratrum Minorum, qui Cappuccini appellantur.

BENEDICTUS . PAPA . XIII

Ad perpetuam rei memoriam.

1729.

Beatorum Martyrum, quos nec tribulatio, nec angustia, nec fames, nec nuditas, nec periculum, nec persecutio, nec gladius a caritate Christi separare potuerunt, sed lorica fidei indutos, ac mucrone spiritus, quod est verbum Dei, accinctos, bono certamine peracto, cursuque feliciter consummato, victores post agonem corona justitiæ donavit in cœlis justus judex, gloriosos triumphos, ac trophæa in terris celebrari, devotaque fidelium veneratione honorari decet; ut qui sanguinis sui pretio immortalitatem emerunt, illustriaque invictæ constantiæ, fortitudinis, ac virtutis suæ exempla reliquerunt, infirmitatem nostram inter sæculi tentationes laborantem assidua sua apud Deum, cui in stolis candidis die ac nocte serviunt in templo ejus, intercessione juvare ac roborare dignentur. Quam in rem pro pastorali nostro munere, quo Ecclesiæ catholicæ regimini divina dispositione præsidemus, propensis studiis incumbentes, flagitantia id ipsum orthodoxorum Regum, & aliorum Christifidelium vota libenter exaudimus, prout ad gloriam omnipotentis Dei, ad Christianæ religionis decus, fideique catholicæ incrementum, ac sanctæ matris Ecclesiæ exaltationem, cognoscimus in Domino salubriter expedire.

Cum itaque, mature diligenterque discussis & perpensis per Congregationem venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, sacris ritibus præpositorum, processibus, de hujus sanctæ Sedis Apostolicæ licentia confectis super martyrio & causa martyrii Dei servi Fidelis a Sigmaringa presbyteri expresse professi ordinis fratrum Minorum sancti Francisci, Cappuccinorum nuncupatorum, qui olim a suis superioribus regularibus in Præfectum sacrarum Missionum, quæ in partibus Rhætorum, auctoritate eo tempore existentium ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, negotiis Propagandæ Fidei præpositorum, tunc primum institutæ fuerant, destinatus, cum in hoc munere hæreticorum conversioni eximiam, indefessamque operam navaret, ab iis vario telorum genere in odium ipsius fidei catholicæ anno millesimo sexcentesimo vicesimo secundo crudeliter trucidatus, palmam martyrii accepisse asserebatur; ac super signis, prodigiis & miraculis, quæ ad manifestandam mundo finalem illius perseverantiam, a Deo edita & patrata fuisse dicebantur, prædicta Congregatio Cardinalium coram nobis constituta, auditis etiam consultorum suffragiis, censuerit posse, quandocumque nobis videretur, eumdem Dei servum publice *Beatum* nuncupari cum solitis indultis; hinc est, quod nos piis atque enixis carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Catholici, & Romanorum Regis in Imperatorem electi, & carissimæ in Christo filiæ nostræ Elisabethæ Christinæ earumdem Hispaniarum Catholicæ, ac Roma-

norum Reginæ ejus conjugis, necnon venerabilium itidem fratrum nostrorum negotiis Propagandæ Fidei hujusmodi præpositorum, aliorumque dictæ S. R. E. Cardinalium, ac complurium Germaniæ antistitum & procerum, totiusque præfati ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Cappuccinorum, & nominatim Maximiliani a Wanghena ejusdem ordinis professoris, hujusque causæ postulatoris, supplicationibus, nobis & huic sanctæ Sedi super hoc humiliter porrectis, benigne inclinati, de supradictæ Congregationis Cardinalium consilio & assensu, auctoritate Apostolica tenore præseutium indulgemus, ut præfatus servus Dei Fidelis a Sigmaringa in posterum *Beati* nomine nuncupetur, ejusque corpus & reliquiæ venerationi fidelium (non tamen in processionibus circumferendæ) exponantur; imagines quoque radiis seu splendoribus exornentur, ac de eo quotannis die felicis ejus transitus, seu alia die non impedita, illam immediate sequenti, recitetur officium & missa celebretur de communi unius martyris juxta rubricas Breviarii, & Missalis Romani. Porro recitationem officii & missæ celebrationem hujusmodi fieri concedimus dumtaxat in universo ordine Minorum sancti Francisci Cappuccinorum utriusque sexus, quem idem Dei servus martyrio illustravit; in loco de Sigmaringa diœcesis Constantiensis provinciæ Moguntinæ, in quo natus est; in opido, civitate nuncupato, Friburgi, dictæ diœcesis, ubi regularem professionem emisit, diuque versatus fuit; in civitate Curiensi, ubi ipsius corpus; ac pago Veldekirchii Curiensis diœcesis, ubi ejus cranium, respective, asservantur, ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus tam sæcularibus, quam regularibus, qui ad horas canonicas tenentur, & quantum ad missas attinet, etiam ab omnibus sacerdotibus ad Ecclesias, in quibus festum peragetur, confluentibus. Præterea primo dumtaxat anno a datis hisce literis, & quoad Indias, a die, quo eædem literæ illuc pervenerint, inchoando, in Ecclesiis ordinis, loci, opidi, civitatis & pagi præfatorum solemnia *beatificationis* ipsius servi Dei cum officio & missa sub ritu duplici majori, die ab ordinariis, respective, constituta, postquam tamen in Ecclesia Lateranensi de Urbe celebrata fuerint eadem solemnia, pro qua re diem vicesimam quartam currentis mensis Martii assignamus, pariter celebrandi facimus potestatem; non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac decretis de non cultu editis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumtis, seu exemplis, etiam impressis, manu secretarii dictæ Congregationis Cardinalium subscriptis, & sigillo Præfecti ejusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus & ubique tam in judicio, quam extra illud, habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud sanctum Petrum sub anulo piscatoris die XII. Martii anno millesimo septingentesimo vicesimo nono, pontificatus nostri quinto.

F. Cardinalis Oliverius.

Idem

I V.

Idem summus Pontifex Beatorum numero adscribit Dei servum Vincentium a Paulo, Congregationis presbyterorum Missionis, & Societatis puellarum, quæ a Caritate appellantur, institutorem.

BENEDICTUS . PAPA . XIII

Ad perpetuam rei memoriam.

1729.

JUstus ac misericors Dominus peculiarium quorumdam servorum, atque electorum suorum, quos a constitutione mundi in opus suum prædestinatos multiformis gratiæ suæ charismatibus instruxit, sanctitatem interdum signis, atque portentis testatam facit in terris, ut illis, quos perennis gloriæ corona donat in cœlis, debitæ quoque venerationis cultus a fidelibus impendatur. Inter quos, cum longe, lateque refulserit servus Dei Vincentius a Paulo sacerdos Gallus, Congregationis presbyterorum sæcularium Missionis & Societatis puellarum, caritatis nuncupatarum, Fundator, qui mirabili in Deum, ac proximum caritate (dilatante cor ejus Spiritu sancto) succensus, veræque pietatis operibus, & præsertim animarum lucro jugiter intentus, pauperes ruricolas, quos ut plurimum in ignorantiæ tenebris misere jacere dolebat, erudiendi, fidelque catholicæ mysteria & præcepta, ac viam salutis edocendi voto se, & presbyteros dictæ Congregationis obstrinxit, necnon clero rite instituendo in primis addixit, aliarumque omnium virtutum præsidio, & robore accinctus ex alto, toto peregrinationis ac conversationis suæ tempore fidelem se ministrum, strenuumque, ac indefessum vineæ Domini cultorem & operarium exhibuit, atque Ecclesiam universam nedum suavissimo spiritualium aromatum odore implevit, sed etiam uberrimorum fructuum fœcunditate locupletavit, plenusque dierum ac meritorum, dilectus Deo & hominibus, mortalis hujus vitæ cursum feliciter consummavit; Apostolici muneris, quod nos gerere voluit Altissimus, ratio exigit, ut tam splendidam lucernam diutius sub modio latere non sinamus, sed super candelabrum ministerio nostro collocetur, ut luceat omnibus, qui in domo sunt, ad omnipotentis Dei gloriam, catholicæ Ecclesiæ decus, Christianique populi consolationem ac spiritualem ædificationem.

Cum itaque mature diligenterque discussis atque perpensis per Congregationem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, sacris ritibus præpositorum, processibus, de Apostolicæ Sedis licentia confectis, super vitæ sanctitate, & virtutibus heroicis, quibus idem servus Dei Vincentius a Paulo multipliciter claruisse, necnon miraculis, quæ ad ejus intercessionem, & ad manifestandam hominibus illius sanctitatem a Deo patrata fuisse asserebantur; ipsa Congregatio Cardinalium, coram nobis constituta, auditis etiam consultorum suffragiis, uno spiritu, unaque voce censuerit, posse, quandocumque nobis videretur, prædictum servum Dei *Beatum* declarari, cum solitis indultis; hinc est, quod nos piis atque enixis carissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum Regis Christianissimi, ac carissimæ in

Christo filiæ nostræ Mariæ, eorumdem Francorum Reginæ Christianissimæ ejus conjugis, pluriumque aliorum sublimium Catholicorum Principum, necnon venerabilium fratrum Archiepiscoporum & Episcoporum, ac dilectorum filiorum cleri Regni Galliarum, totiusque insuper dictæ Congregationis presbyterorum sæcularium Missionis supplicationibus, nobis & huic sanctæ Sedi super hoc humiliter porrectis, benigne inclinati, de memoratorum Cardinalium consilio & assensu, auctoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus, ut idem servus Dei Vincentius a Paulo in posterum *Beati* nomine nuncupetur, ejusque corpus & reliquiæ venerationi fidelium (non tamen in processionibus circumferendæ) exponantur: imagines quoque radiis, seu splendoribus exornentur, ac de eo quotannis die anniversaria felicis ejus obitus recitetur officium, & missa celebretur de confessore non pontifice juxta rubricas Breviarii & Missalis Romani. Porro recitationem officii & missæ celebrationem hujusmodi fieri concedimus in locis dumtaxat infrascriptis; videlicet in pago de Podio, vulgo Poy, Aquensis provinciæ Auxitanæ, ubi dictus servus natus est; in Castro de Clichi Parisiensis, & in opido de Chatillon juxta Principatum Dombarum Lugdunensis, respective, diœcesum, in quibus curam animarum obivit; ac in civitate Parisiensi, unde ad cœlos evolavit, & ubi venerabile ejus corpus requiescit, ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus tam sæcularibus, quam regularibus, qui ad horas canonicas tenentur, ac in universa Congregatione Missionis præfata, tam quoad clericos & presbyteros ejusdem Congregationis, quam quoad convictores & alumnos, qui in illius domibus commorantur; demum in singulis Ecclesiis, sive cappellis, vel oratoriis prædictæ Societatis Puellarum, quam ipse servus Dei sub nomine *Caritatis* instituit, pro sacerdotibus Ecclesiarum, sive cappellarum, vel oratoriorum istiusmodi servitio addictis: & quantum ad missas attinet, etiam ab omnibus presbyteris ad Ecclesias, in quibus festum peragetur, confluentibus. Præterea primo dumtaxat anno a datis hisce literis, & quoad Indias, a die, quo eædem literæ illuc pervenerint, inchoando, in Ecclesiis pagi, castri, opidi, civitatis, congregationis, ac societatis hujusmodi solemnia *beatificationis* ipsius servi Dei cum officio & missa sub ritu duplici majori, die ab ordinariis respective constituta; postquam tamen in Basilica principis Apostolorum de Urbe celebrata fuerint eadem solemnia, pro qua re diem vicesimam primam currentis mensis Augusti assignamus, pariter celebrandi facimus potestatem; non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac decretis de non cultu editis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut præsentium literarum transumtis, seu exemplis, etiam impressis, manu secretarii supradictæ Congregationis Cardinalium subscriptis, & sigillo Præfecti, seu Propræfecti ejusdem Congregationis munitis eadem prorsus fides ab omnibus & ubique, tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud sanctum Petrum sub anulo piscatoris die XIII. Augusti anno millesimo septingentesimo vicesimo nono, pontificatus nostri sexto.

F. Cardinalis Oliverius.

LEMMATA

LEMMATA CONSTITUTIONUM

Quæ hoc volumine continentur.

Sancto-

pum, & Corinthiorum Apostolum, qui obiit die XXVII. Novembris A. D. 780. 68.

XLVI.

— Sanctorum confessorum canoni adscribit Beatum Dominicum a Calaroga, opido Hispaniæ Tarraconensis, nunc regni Castellæ, in dioecesi Oxomensi, ordinis Fratrum Prædicatorum sub regula sancti Augustini institutorem, qui obiit die VI. Augusti A. D. 1221. 70.

XLVII.

— Sanctarum viduarum canoni adscribit Beatam Elisabetham, Thuringiæ in Saxonia Landgraviam, & tertii ordinis Minorum sanctimonialem, quæ obiit die XIX. Novembris A. D. 1231. 73.

XLVIII.

Innocentius IV. Sanctorum confessorum pontificum canoni adscribit Beatum Eadmundum, Cantuariensem in Anglia Archiepiscopum, qui obiit die XVI. Novembris A. D. 1240. 76.

XLIX.

— Sanctorum confessorum pontificum canoni adscribit Beatum Vvillhelmum, Briocensem in Armorica seu Britannia minori Episcopum, qui obiit die XXIX. Julii A. D. 1241. 79.

L.

— Sanctorum martyrum canoni adscribit Beatum Petrum a Verona in provincia Venetia, ordinis Fratrum Prædicatorum, ab hæreticis trucidatum die v. Aprilis A. D. 1252. 82.

LI.

— De eadem re ad omnium Ecclesiarum Præsules. 86.

LII.

— Sanctorum martyrum canoni adscribit Beatum Stanislaum, Cracoviensem in Polonia Episcopum, ad altare interemtum die VIII. Maji A. D. 1079. 89.

LIII.

Alexander IV. Sanctarum virginum canoni adscribit Beatam Claram ab Assisio in Umbria, sanctimonialium ordinis Minorum primam Abbatissam, & Clarissarum institutricem, quæ obiit die XII. Augusti A. D. 1253. 92.

LIV.

Urbanus IV. Sanctorum confessorum pontificum canoni adscribit Beatum Richardum, Cicestrensem in Anglia Episcopum, qui obiit die III. Aprilis A. D. 1253. 97.

LV.

Clemens IV. Sanctarum viduarum canoni adscribit Beatam Hedvvigem, Bertoldi III. Comitis Andecensis, Meraniæ Ducis,

Bonaventuram, Balneoregiensem in Tuscia Suburbicaria, ordinis Fratrum Minorum, & Episcopum Cardinalem Albanensum, qui obiit die XIV. Julii D. A. 1274. 189.

LXXVII.

Innocentius VIII. Sanctorum confessorum canoni adscribit Beatum Leopoldum, Austriæ in Norico Ripensi, alias Pannonia superiori, Marchionem IV. cognomento *Pium*, qui obiit die XVI. Decembris A. D. 1136. 195.

LXXVIII.

Leo X. Sanctorum confessorum canoni adscribit Beatum Franciscum de Paula, opido Calabriæ, ordinis Minimorum institutorem, qui obiit die II. Aprilis A. D. 1507. 200.

LXXIX.

Hadrianus VI. Sanctorum confessorum pontificum canoni adscribit Beatum Bennonem, Misnensem in Saxonia Episcopum, & Slavorum Apostolum, qui obiit die XVI. Junii A. D. 1106. 212.

LXXX.

Clemens VII. Beatum Antoninum, Florentiæ in Tuscia Archiepiscopum, ordinis Fratrum Prædicatorum, per Hadrianum VI. Pont. Max. Sanctorum confessorum pontificum canoni adscriptum fuisse promulgat. Obiit Antoninus die. II. Maji A. D. 1459. 220.

LXXXI.

Xyxtus V. Sanctorum confessorum canoni adscribit Beatum Didacum a sancto Nicolao ex Hispania Bætica, ordinis Fratrum Minorum observantium, qui obiit die XII. Novembris A. D. 1463. 233.

LXXXII.

Clemens VIII. Sanctorum confessorum canoni adscribit Beatum Hiacynthum Polonum, ordinis Fratrum Prædicatorum, qui obiit die XV. Augusti A. D. 1257. 248.

LXXXIII.

—— Sanctorum confessorum canoni adscribit Beatum Raymundum de Pennafort Barcinonensem in Hispania Tarraconensi, ordinis Fratrum Prædicatorum, qui obiit die VI. Augusti A. D. 1275. 260.

LXXXIV.

Paulus V. Sanctarum viduarum canoni adscribit Beatam Franciscam Romanam, ex oblatis sororibus ordinis sancti Benedicti Congregationis montis Oliveti, quæ obiit die IX. Martii A. D. 1440. 280.

LXXXV.

—— Sanctorum confessorum pontificum canoni adscribit Beatum Carolum

Carolum Borromæum S. R. E. Cardinalem & Archiepiscopum Mediolanensem, qui obiit vespere diei III. Novembris A. D. 1584. 291.

LXXXVI.

Gregorius XV. Sanctarum virginum canoni adscribit Beatam Teresam Abulensem in Castella veteri, ordinis Carmelitarum excalceatorum institutricem, quæ obiit die xv. Octobris A. D. 1582. 304.

LXXXVII.

Urbanus VIII. Beatum Philippum Nerium Florentinum in Tuscia, Congregationis presbyterorum Oratorii institutorem, per Gregorium XV. Pont. Max. Sanctorum confessorum canoni adscriptum fuisse promulgat. Obiit Philippus die xvi. Maji A. D. 1595. 315.

LXXXVIII.

—— Beatum Ignatium a Guipuscoa, alias Ipuscoa, in Cantabris, Societatis Jesu institutorem, per Gregorium XV. Pont. Max. Sanctorum confessorum canoni adscriptum fuisse promulgat. Obiit Ignatius die xxxi. Julii A. D. 1556. 329.

LXXXIX.

—— Beatum Franciscum Xaverium, a Xaverio Navarræ opido, Societatis Jesu presbyterum atque Indiarum Apostolum, per Gregorium XV. Pont. Max. Sanctorum confessorum canoni adscriptum fuisse promulgat. Obiit Franciscus die II. Octobris A. D. 1552. 341.

XC.

Alexander VII. Sanctorum confessorum pontificum canoni adscribit Beatum Thomam a Villanova, ordinis Fratrum Eremitarum sancti Augustini, Archiepiscopum Valentinum in Hispania Tarraconensi, qui obiit die VIII. Septembris A. D. 1555. 356.

XCI.

—— Sanctorum confessorum pontificum canoni adscribit Beatum Franciscum de Sales Allobrogem, Episcopum Gebennensem, qui obiit die XXVIII. Decembris A. D. 1622. 369.

XCII.

Clemens X. Beatum Petrum de Alcantara in Extremadura ad Tagum, ordinis Fratrum Minorum, per Clementem IX. Pont. Max. Sanctorum confessorum canoni adscriptum fuisse promulgat. Obiit Petrus die XVIII. Octobris A. D. 1562. 380.

XCIII.

—— Beatam Mariam Magdalenam de Pactiis, Florentinam in Tuscia, sanctimonialem ordinis beatæ Mariæ Virginis a monte Carmelo, per Clementem IX. Pont. Max. Sanctarum virgi-

virginum canoni adſcriptam fuiſſe promulgat. Obiit Dei ancilla die xxv. Maji A. D. 1607. 391.

XCIV.

Clemens X. Sanctarum virginum canoni adſcribit Beatam Roſam a ſancta Maria, ex Lima, civitate regni Peruani in America, tertii ordinis Prædicatorum ſanctimonialem, quæ obiit die xxiv. Auguſti A. D. 1617. 402.

XCV.

— Sanctorum confeſſorum canoni adſcribit Beatum Ludovicum Bertrandum, Valentinum in Hiſpania Tarraconenſi, ordinis Fratrum Prædicatorum, & Verbi Dei nuncium ad Americanos, qui obiit die ix. Octobris A. D. 1581. 431.

XCVI.

Innocentius XII. Beatum Cajetanum Thienæum Clericum regularem Vicetinum in provincia Venetia, per Clementem X. Pont. Max. Sanctorum confeſſorum canoni adſcriptum fuiſſe promulgat. Obiit Cajetanus die vii. Auguſti A. D. 1547. 446.

XCVII.

— Beatum Johannem ab opido ſancti Facundi, vulgo *Sahagun*, in regno & diœceſi Legionenſi, ordinis Fratrum Eremitarum ſancti Auguſtini, per Alexandrum VIII. Pont. Max. Sanctorum confeſſorum canoni adſcriptum fuiſſe promulgat. Obiit Johannes die xi. Junii A. D. 1479. 459.

XCVIII.

— Beatum Paſchalem Baylonium ordinis Fratrum Minorum, ex opido Turris formoſæ diœceſis Saguntinæ in regno Aragoniæ, per Alexandrum VIII. Pont. Max. Sanctorum confeſſorum canoni adſcriptum fuiſſe promulgat. Obiit Paſchalis die xvii. Maji A. D. 1592. 470.

XCIX.

— Beatum Johannem de Deo, ab opido Montis majoris in Luſitania, ordinis Fratrum Hoſpitalitatis pauperum infirmorum inſtitutorem, per Alexandrum VIII. Pont. Max. Sanctorum confeſſorum canoni adſcriptum fuiſſe promulgat. Obiit Johannes die viii. Martii A. D. 1550. 481.

C.

Clemens XI. Sanctorum confeſſorum pontificum canoni adſcribit Beatum Pium V. Pont. Max. ordinis Fratrum Prædicatorum, a Boſco, opido agri Alexandriæ Statiellorum in Gallia Ciſalpina, qui obiit die 1. Maji A. D. 1572. 493.

CI.

— Sanctorum confeſſorum canoni adſcribit Beatum Andream Avellinum a Caſtronovo in Lucania, Clericum regularem, qui

qui obiit die x. Novembris A. D. 1608. 506.

CII.

Benedictus XIII. Beatum Isidorum Agricolam Hispanum, per Gregorium XV. Pont. Max. Sanctorum confessorum canoni adscriptum fuisse promulgat. Obiit Isidorus die xxx. Novembris A. D. 1130. 520.

CIII.

— Beatum Andream Corsinum Florentinum in Tuscia, ordinis Fratrum beatæ Mariæ Virginis a monte Carmelo, & Episcopum Fesulanum, per Urbanum VIII. Pont. Max. Sanctorum confessorum pontificum canoni adscriptum fuisse promulgat. Obiit Andreas die VI. Januarii A. D. 1374. 527.

CIV.

— Beatum Franciscum Borgiam Hispanum, ex Gandiæ Duce, Societatis Jesu presbyterum & præpositum generalem tertium, per Clementem X. Pont. Max. Sanctorum confessorum canoni adscriptum fuisse promulgat. Obiit Franciscus die 1. Octobris A. D. 1572. 534.

CV.

— Beatum Philippum Benitium Florentinum in Tuscia, ordinis Fratrum Servorum beatæ Mariæ Virginis, per Clementem X. Pont. Max. Sanctorum confessorum canoni adscriptum fuisse promulgat. Obiit Philippus die XXIII. Augusti A. D. 1285. 542.

CVI.

— Beatum Laurentium Justinianum Venetum, Canonicum sæcularem Congregationis sancti Georgii in Alga, ultimum Episcopum & primum Patriarcham civitatis Venetiarum, per Alexandrum VIII. Pont. Max. Sanctorum confessorum pontificum canoni adscriptum fuisse promulgat. Obiit Laurentius die VIII. Januarii A. D. 1455. 548.

CVII.

— Beatum Johannem a Capistrano, opido in Marsis, ordinis Fratrum Minorum, per Alexandrum VIII. Pont. Max. Sanctorum confessorum canoni adscriptum fuisse promulgat. Obiit Johannes die XXIII. Octobris A. D. 1456. 558.

CVIII.

— Beatum Felicem a Cantalicio, opido agri Reatini in Sabinis, ordinis Fratrum Minorum, qui Cappuccini appellantur, per Clementem XI. Pont. Max. Sanctorum confessorum canoni adscriptum fuisse promulgat. Obiit Felix die XVIII. Maji A. D. 1582. 565.

CIX.

— Beatam Catharinam a Bononia in Æmilia, ordinis Sororum, quæ

INDEX. I

INDEX. II

INDEX. III

CODEX CONSTITUTIONUM

QUAS

SUMMI . PONTIFICES

EDIDERUNT

IN . SOLEMNI . CANONIZATIONE

SANCTORUM

I.

JOHANNES . XV

PONT . MAX

Sanctorum confeſſorum & pontificum canoni adſcribit Beatum Udalricum Epiſcopum Auguſtæ Vindelicorum, qui obiit die IV. Julii A. D. 973.

JOHANNES EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Omnibus Archiepiſcopis, Epiſcopis & Abbatibus in Gallia & Germania commorantibus ſalutem in Domino ac Apoſtolicam benedictionem.

CUM conventus eſſet factus in palatio Lateranenſi pridie Kalendas Februarias reſidente Johanne ſanctiſſimo Papa cum Epiſcopis & Presbyteris, adſtantibus Diaconibus & cuncto Clero, ſurgens reverendiſſimus Liutolfus Auguſtæ Epiſcopus, inquit: Domine ſanctiſſime Præſul, ſi vobis placet, & omnibus Epiſcopis & Presbyteris hic reſidentibus, libellus, quem præ manibus habeo, coram vobis legatur, de vita & miraculis venerabilis Udalrici ſanctæ Auguſtanæ eccleſiæ dudum Epiſcopi, & quid libitum vobis fuerit, decernatur, quia Spiritus ſancti teſtatur præſentia & congregatio ſacerdotum, certum eſſe quod legimus, quia nec poteſt veritas noſtra mentiri, cujus in Evangelio iſta ſententia eſt, *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi & ego ſum in medio eorum.* Quod cum ita ſit (nam nec huic tam brevi numero Spiritus ſanctus

Constitutio I
A. D. 993.

Matt. XVIII. 20

 deeſt)

CONSTIT. I. A. D. 993. deest) quanto magis eum nunc interesse credamus, quando in unum convenit turba Sanctorum? Sanctum namque est pro debita veneratione collegium. Cumque perlecta esset Vita prædicti sanctissimi Episcopi, ventum est ad miracula, quæ sive in corpore, sive extra corpus gesta sunt, videlicet cæcos illuminasse, dœmones ab obsessis corporibus effugasse, paralyticos curasse, & quamplurima alia signa gessisse, quæ nequaquam calamo & atramento illustrata sunt. Quæ omnia lepida satis urbanitate expolita recepimus, & communi consilio decrevimus memoriam illius, id est sancti Udalrici Episcopi, affectu piissimo & devotione fidelissima venerandam; quoniam sic adoramus & colimus reliquias Martyrum & Confessorum, ut eum, cujus Martyres & Confessores sunt, adoremus: honoramus servos, ut honor redundet in Dominum, qui dixit: *Qui vos recipit, me recipit*; ac perinde nos, qui fiduciam nostræ justitiæ non habemus, illorum precibus & meritis apud clementissimum Deum jugiter adjuvemur. Quia divina saluberrima præcepta, & sanctorum canonum ac venerabilium Patrum instabant efficaciter documenta omnium ecclesiarum Dei, pio considerationis intuitu; immo Apostolici moderaminis annisu, utilitatum commoditatem, atque firmitatis perficere integritatem, quatenus memoria Udalrici jam præfati venerabilis Episcopi, divino cultui dicata exsistat, & in laudibus Dei diutissime persolvendis semper valeat proficere. Si quis interea (quod non credimus) temerario ausu contra ea, quæ ab hac nostra auctoritate pie ac firmiter per hoc privilegium constituta sunt, contraire tentaverit; vel hæc, quæ a nobis ad laudem Dei pro reverentia jam dicti Episcopi, statuta sunt, refragari, aut in quoquam transgredi; sciat, se auctoritate beati Petri Principis Apostolorum, cujus vel immeriti vices agimus, anathematis vinculo innodatum. At vero qui pio intuitu observator exstiterit, benedictionis gratiam a misericordissimo Domino Deo nostro multipliciter consequatur, & æternæ vitæ particeps efficiatur.

Matth. x. 40.

Scriptum est per manum Stephani Notarii regionarii & Scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Februario, indictione sexta, anno nongentesimo nonagesimo tertio.

Ego JOHANNES sanctæ Romanæ catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ Episcopus huic decreto a nobis promulgato consensi & subscripsi.
Johannes Episcopus sanctæ Anagninæ Ecclesiæ consensi.
Benedictus Episcopus sanctæ Pipernensis Ecclesiæ consensi.
Dominicus Episcopus sanctæ Ferentinæ Ecclesiæ consensi.
Crescentius Episcopus sanctæ Silvæcandidæ Ecclesiæ consensi.
Anniso Episcopus sanctæ Cerensis Ecclesiæ consensi.
Bonizo Archipresbyter & Cardinalis sanctæ Luciæ consensi.
Benedictus Presbyter & Cardinalis sancti Stephani consensi.
Leo Presbyter & Cardinalis sancti Nerei consensi.
Johannes Presbyter & Cardinalis sancti Damasi consensi.
Leo Presbyter & Cardinalis sancti Sixti consensi.
Johannes Presbyter & Cardinalis sanctorum Apostolorum consensi.
Johannes Presbyter & Cardinalis Sanctorum quatuor Coronatorum consensi.
Johannes Presbyter & Cardinalis sancti Clementis consensi.
Crescentius Presbyter & Cardinalis sancti Calixti consensi.
Benedictus Archidiaconus.

Jo-

Johannes Diaconus & Oblationarius,
Benedictus Diaconus.
Johannes Diaconus,

Hi omnes consenserunt & subscripserunt.
Data tertio [a] Kalendas Februarii per manum Johannis Episcopi sanctæ Nepesinæ ecclesiæ & Bibliothecarii sanctæ sedis Apostolicæ, anno pontificatus domini nostri Johannis sanctissimi XV. Papæ, octavo, mense dicto, & indictione sexta.

N O T A.

[a] Hic vel legendum *tertio Nonas*; vel, si *tertio Kalendas*, id ita intelligendum, ut sensus sit, *tertio die post Kalendas*. Siquidem Synodus habita est *prid. Kalendas*, & Bulla data *in mense Februario*. Vide Marci Velseri opera pag. 587. Baronium A. D. 993. §. 1. Sæculum V. Benedictinum pag. 471. & Acta Sanctorum Julii to. II. pag. 80.

II.

BENEDICTUS . VIII

Sanctorum confessorum canoni adscribit BEATUM SIMEONEM monachum & eremitam in cœnobio Padolironensi agri Mantuani, qui obiit die XXVI. Junii A. D. 1016.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Bonifacio gratia Dei Marchioni inclyto salutem carissimam cum benedictione Apostolica.

REquisistis judicium nostrum, sicut dignum fuerat, utrum in honore Simeonis nuper sanctificati, quod opera probant, & innumera ac diversa miracula testificant, liceret vobis Ecclesiam constituere, & ejus venerabile corpus honorifice collocare ibidem. De quo respondemus: si ità coruscat miraculis, ut vester homo nobis asseruit, ædificate Ecclesiam, collocate in ea eumdem, juxta quem altare consecrari rogate, in quo reliquiæ antiquorum Sanctorum recondantur cum sacratissimo corpore Domini nostri Jesu Christi, & sic demum divina mysteria celebrentur. Tractate eum, ut Sanctum, ut sanctus sanctorum reddat vobis mercedem Sancti, sicut ipse dixit: *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet*. Ipse inspector est renum & cordium, & ipse illi dignam recompensationem remuneret, & vobis pro tanto desiderio gratiam suam indulgeat.

Constit. II. A. D. 1016. — Matth. x. 41.

N O T A.

De hac Simeonis eremitæ cononizatione consulatur Jo. Mabillonius in Sæculo VI. Benedictino, parte I. pag. 149. & 168. & in Annalibus tomo IV. pag. 252.

CONSTIT. III.
A. D. 1042.

III.

BENEDICTUS . IX

Sanctorum confessorum canoni adscribit BEATUM SIMEONEM Syracusanum, Reclusum Treviris, qui obiit die 1. Junii A. D. 1035.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Omnibus Archiepiscopis, Episcopis, Sacerdotibus, & universo Clero, cunctisque populis, tam Regni Teutonici, quam etiam quarumcumque nationum vel linguarum, salutem carissimam cum benedictione Apostolica.

CONST. III.
A. D. 1042.

Divinæ majestatis inenarrabilis auctoritas, semper inenarrabilia faciens, sicut in sanctis suis mirabilis prædicatur, ita & operibus declaratur, dans eis virtutem & fortitudinem curare omnem languorem & omnem infirmitatem. Quod donativum ipse Deus, spiritualium donorum distributor & auctor, militibus suis, quorum non est numerus, in hoc etiam mortali corpore, dum in sæculo degerent, propterea concessit, ut & iidem ipsi super spe divinæ retributionis habentes sancti Spiritus fidele pignus, fiducialius ac fortius inniterentur, & gentes divina, mysteria intuentes, omni superstitione postposita, ad viam Christianæ veritatis ex intimo cordis converterentur; alios vero, quorum similiter incomprehensibilis est multitudo post vincula tantum carnis, his quibus virtutem donavit atque magnificavit; ut corporeis exuviis in sepulcro positis, & membris in favillas resolutis, sentientibus atque videntibus mirabilia, fides inculcaretur & cumularetur, eos illic feliciter vivere, ubi vera est, & æterna vita: ad quam nemini accedere licet, nisi vitæ temporalis oblectamenta exosus, ad illam tota semper mentis intentione suspiret, si quando mereatur de peregrinatione ad patriam, de exilio ad postliminium revocari. Igitur quoniam crebris nuntiorum indiciis, crebrisque literarum characteribus clamor magnus strepensque rumor ex Trevirorum partibus usque Romam pervolavit, esse inibi viri cujusdam Simeonis admirabile corpus, signis & prodigiis, virtutibus & miraculis radians, ut sol meridie sereno aere; terram strictius osculati, Dominum benediximus toto corde, tota mente, totis viribus; qui nostris temporibus dignanter intra sanctam suum corpus Ecclesiam, hoc præcipuum membrum divino lumine accendit, ut sit lucerna ardens, posita super candelabrum, quæ luceat omnibus, qui sunt in domo Domini.

Itaque conventi atque pulsati a carissimo fratre nostro Domino Poppone ejusdem Treveris Archiepiscopo, ut quod nobis visum fuisset de celebratione ejusdem sanctissimi viri, salubri definitione nostræ Apostolicæ auctoritatis statueremus atque decerneremus; omnibus, quos in

in salutatione prænotavimus, notum his literis facimus, quid ex ea re censuerimus. Nam collecta Romani nostri Cleri splendida fraternitate, cum partus sacratissimæ Virginis annuo recursu per hunc orbem radiaret, concordi deliberatione determinavimus, & alta sententiæ radice fundavimus, eumdem virum Dei Simeonem, quem Dominus commendat atque probat, significatione tantarum virtutum, sanctitatis & gratiæ plenum, ab omnibus populis; tribubus & linguis Sanctum procul dubio esse nominandum, ejusque natalem singulis annis recurrentem passim solemniter observandum, & ferialiter celebrandum & venerandum ad instar diei festi: nomen quoque ipsius Martyrologio cum Sanctorum nominibus suo loco inferendum. Cui sententiæ hoc etiam subdidimus, ut quisquis hujus nostræ Constitutionis temerarius contemptor & cervicosus refragator exstiterit, primo se noverit Dominum graviter offendere, deinde Sancti illius patrocinia, immo omnium Sanctorum, quorum contubernio gratulatur, nostramque de cetero Apostolicam nullatenus debere benedictionem sperare; conservatoribus ea multipliciter donatis, in omnia sæcula sæculorum. Amen. CONSTIT. IV. A. D. 1050.

N O T A.

De hac beati Simeonis monachi Sinaitæ & Reclusi canonizatione vide Sæculum VI. Benedictinum parte I. pag. 387. Annalesque Benedictinos tomo IV. pag. 342. & 406. Junii Bollandiani tomum I. pag. 97. & Francisum Pagium in Breviario de Gestis Pontificum Romanorum tomo II. pag. 313.

IV.

SANCTUS. LEO. IX

Sanctorum confessorum & pontificum canoni adscribit Beatum Gerardum Tullensem Episcopum, qui obiit die 13. Aprilis A. D. 994.

LEO EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

Cunctis catholicæ Ecclesiæ filiis in Christo salutem & Apostolicam benedictionem.

Virtus divinæ operationis in omnibus est mirabilis, maxime tamen in sanctis suis, *quos præscivit & prædestinavit conformes fieri* Const. IV. A. D. 1050.
imaginis filii sui, quos etiam vocavit & sanctificavit antequam sæcula Rom. VIII. 29.
fierent, antequam ipsi extarent. Et quia ipse Dominus in evangelio dicit: *Pater meus usque modo operatur, & ego operor*, verum proculdubio Jo. V. 17.
esse quotidie ostendit, quando dicit, scilicet eos sanctificandos, quos vocavit, eos vocandos, quos prædestinavit sola gratuitæ miserationis bonitate, nec humani generis merito: quia naturaliter omnes sumus filii iræ & filii gehennæ. Cur autem hæc dicere cœperimus, continuo pate-

CONSTIT. IV. A. D. 1050. patefacienus; *quia sicut nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum statuit, ut luceat omnibus, qui in domo sunt*; sic & Dominus noster Jesus Christus agit, illos clarificando miraculis in mundo, quos secum vivere & gloriari facit in cœlo, ut, quia per adoptionem facti sunt filii Dei, præveniente gratia pateat eos heredes esse regni, quod promisit Deus diligentibus se. Paulo igitur ante nos in Episcopatu Tullensi (unde nutu omnipotentis & omnia suo arbitrio disponentis, non ullis nostrorum meritorum profectibus ad Apostolicam Sedem translati sumus) fuit Episcopus, nomine Gerardus, qui duo talenta, intellectum & operationem, a cœlesti Patrefamilias accipiens, divinam legem, quam medullitus intellexit, sic opere adimplere studuit, ut fieret dignus accipere illam desiderabilem a Deo salutationem: *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui*. Sic enim Domini sui talenta erogavit, sic animas lucratus est, verba salutis prædicando, ut geminatam Domino suo pecuniam præsentaret, & sibi æterna beneficia cumularet. Lumbos sibi præcinxit castitatem servando: lucernas in manibus portavit, exempla bonæ operationis aliis præbendo: exspectavit Dominum suum a nuptiis sanctæ Ecclesiæ, non dormiendo, sed vigilando prima, secunda, tertia vigilia, anxius ad ejus aspectum, secundum illud, quod quotidie psallebat: *Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus*. Item, *Sitivit anima mea ad te; quam multipliciter tibi caro mea*. At quia sic semper animo suspirabat ad Deum, ejus virtute comitatus angelicam ducens vitam, quotidie Christum in pauperibus ad mensam suscipiens, quotidie piis actibus insistens, nec docendo, nec agendo, nisi quod sanctum & Deo gratum esset, multis effulsit miraculorum prodigiis, sanctitati ejus testimonium perhibentibus: unde adhuc plures testes exsistunt, quod & idem post mortem carnis cum Christo Domino nostro spiritu vivens, & glorians sæpe operatus est, & sæpe adhuc operatur, curans diversos languores, diversasque infirmitates. Quamvis autem venerabile corpus ejus multis, ut diximus, hactenus coruscarit miraculis, & ipse in numero Sanctorum divino sit deputatus judicio; nondum tamen in catalogo Sanctorum sortitus est humana corroboratione numerum: quod Dei miseratrix clementia nobis servis suis reliquit agendum, ubi ad culmen conscendimus Apostolicum. Residentibus ergo nobis Romæ in Synodo in Ecclesia Salvatoris cum multis coepiscopis nostris, circa sexto nonas Majas, relatum est auribus nostris ab Udone Tullensi Præposito, eadem nocte ipsum domnum Gerardum in visione apparuisse cuidam venerabili monacho, nomine Albizoni, qui Synodo intererat, quem ipse Udo nimiis precibus constrinxerat exorare Dominum, ostendere sibi cujus meriti esset apud Deum ipse domnus Gerardus, qui tot miraculorum radiis coruscabat. Videbatur ergo illi ipsum assistere sibi, quem numquam corporaliter viderat, nec etiam nomen ejus audierat, & dicere, seipsum Gerardum esse, pro quo Deum decreverat exorare. Ad quod ille gavisus, sedulo sciscitari cœpit, an esset apud Deum in numero Sanctorum. Cui læto vultu respondit, proculdubio se esse cum Deo, dignumque ac justum fore, eos honorari in terris ab hominibus, qui honorantur in cœlis ante Deum ab Angelorum agminibus. Quam visionem ipsi ore proprio divulgavimus in Synodo, exponentes ipsius domni Gerardi vitam venerabilem, conversationem mirabilem, miraculorum multitudinem, efficaciam divinæ virtutis ad corpus ejus exuberan-

Matth. v. 15.

Matth. xxv. 21.

Psal. xli. 2.
Psal. lxii. 2.

beran-

berantem: & sequenter sanctam Synodum interrogavimus, si deberet ut sanctus venerari, & sanctus deinceps nominari. Ad quod cuncti tam Archiepiscopi, quam Episcopi, tam Abbates, quam Clerici ac Laici, quorum utrorumque magna intererat multitudo, quasi uno ore clamaverunt, ipsum dominum Gerardum virum esse sanctum, a Deo inter sanctos numeratum, & ab hominibus inter Sanctos numerandum & venerandum, pro eo quod vivens in carne, testantibus miraculis, ut vir Sanctus extitit, & carne exutus qualis in mundo fuerit, in cœlesti beatitudine positus mundo quotidie eisdem miraculis innotescet. Decrevimus igitur, sic sancta annuente ac laudante Synodo, ut ex hoc sanctus habeatur, & Sanctus colatur nono Kalendas Majas, tam Leuchæ, sicut Sanctus Mansuetus & sanctus Aper, quam ubique terrarum, sicut ceteri Sancti: cujus Sancti venerabile corpus per nos ipsos cupimus transferre, & digno honore, digno loco in altare proprio collocare ad laudem & gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui ideo factus est pro nobis homo, ut non solum solveret nos a peccatis, sed etiam conferret nobis præmium æternæ beatitudinis, & mansionem in cœlis, ubi ipse cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Nomina Episcoporum atque Abbatum, qui interfuerunt Synodo Romæ

Domiaicus Patriarcha Gradensis.
Alinardus Archiepiscopus Lugdunensis.
Leodegarius Viennensis Archiepiscopus.
Hugo Bisuntiensis Archiepiscopus.
Humbertus Siciliensis Archiepiscopus.
Hildebrandus Capuensis Archiepiscopus.
Petrus Comsanensis Archiepiscopus.
Johannes Portuensis Episcopus.
Johannes Senensis Episcopus.
Vvido Volaterrensis Episcopus.
Crescentius Silvæcandidæ Episcopus.
Johannes Veletrensis Episcopus.
Johannes Ostiensis Episcopus.
Johannes Sabinensis Episcopus.
Johannes Tiburtinus Episcopus.
Benedictus Salernitanus Episcopus.
Leo Cajetanus Episcopus.
Atto Camerinensis Episcopus.
Johannes Sisinensis Episcopus.
Adalbero Metensis Episcopus.
Obizo Pisensis Episcopus.
Henricus Populonii Episcopus.
Atenulfus Fesulanus Episcopus.
Crescentius Cerensis Episcopus.
Azo Centumcellensis Episcopus.
Gerardus Reatinensis Episcopus.
Bonizo Tuscanellensis Episcopus.
Johannes Suanensis Episcopus.
Gerardus Rosellanus Episcopus.
Theodericus Orbiensis Episcopus.
Aldedus Vulgradensis Episcopus.

Leo

CONSTIT. IV.
A. D. 1050.

Leo Murensis Episcopus.
Masio Montis-viridis Episcopus,
Bonus Perosinensis Episcopus,
Henricus Spoletanus Episcopus,
Bernardus Pataviensis Episcopus,
Vualterus Veronensis Episcopus,
Ysembardus Theanensis Episcopus,
Petrus Bulturnensis Episcopus.
Atto Marsicanus Episcopus.
Leo Soranus Episcopus.
Benedictus Berulensis Episcopus.
Azo Folinensis Episcopus,
Attigrinus Imolensis Episcopus.
Gerardus Florentinus Episcopus.
Fridericus Genuensis Episcopus,
Goffridus Constantiensis Episcopus.
Mainus Redonensis Episcopus.
Hugo Nivernensis Episcopus.
Isembaldus Pictavensis Episcopus.
Arnolfus Santonensis Episcopus.
Arduinus Tudertinus Episcopus.
Hugo Archidiaconus Ecclesiæ Romanæ.
Petrus ejusdem Ecclesiæ Diaconus, Cancellarius, & Bibliothecarius
Sico Primicerius ipsius Ecclesiæ,
Richardus Abbas sancti Benedicti.
Hugo Abbas Cluniacensis.
Airardus Abbas sancti Pauli.
Johannes Abbas sancti Sabæ.
Reinerius Abbas sancti Cosmæ.
Petrus Abbas sancti Bonifacii.
Johannes Abbas sancti Vitalis.
Johannes Abbas sancti Laurentii.
Bonactus Abbas sancti Johannis.
Richerus Abbas sancti Juliani.
Liufridus Abbas sancti Vincentii.
Gosfridus Abbas de Vergeliaco.
Valerandus Abbas sancti Vitoni.
Gervinus Abbas sancti Richarii.
Vincentius Abbas sancti Januarii.
Leo Abbas sancti Cornelii.
Martinus Abbas sancti Blasii.
Felix Abbas sancti Andreæ.
Richardus Abbas sancti Ragneberti.
Dudo Abbas sanctæ Mariæ.
Perenesius Abbas sancti Salvatoris.
Agino Abbas sancti Silvestri.
Adam Abbas sancti Isaac.
Theuso Abbas sancti Petri.
Bonizo Abbas sancti Petri.
Vincentius Abbas sancti Januarii.
Vuillemus Abbas sancti Apollinaris.
Vuido Abbas sancti Severi.

Leuzo

Leuzo Abbas sanctæ Mariæ.
Albricus Abbas sancti Zenonis.
Johannes Abbas sancti Salvatoris.
Bonactus Abbas sancti Salvatoris.
Lætus Abbas sancti Angeli.
Stephanus Abbas sancti Thomæ.
Rodulphus Abbas sancti Petri.

N O T A.

Mabillonius has literas, a Bollandianis ignoratas, bis edidit ex variis codicibus, primum Sæculo v. Benedictino pag. 894. postea tomo iv. Annalium pag. 738. Nos ex hac gemina editione subscriptiones utcumque emendavimus. Synodus, ubi hæc acta sunt, Romæ post Leonis reditum ex Galliis habita est circa nonas Majas A. D. 1050. non certe A. D. 1049. quo Leo per mensem Majum Romæ non fuit, sed Ticini, ubi Synodum celebravit hebdomada festi Pentecostes, quod eo anno 1049. incidit in diem xiv. Maji, ex Pagio juniore in Breviario tomo II. pag. 338. Adi Concilia Labbei tomo ix. pag. 1028. Mabillonius ipse, qui Sæculo v. Benedictino pag. 895. Bullam nostram datam putaverat A. D. 1049. postea in Annalibus tomo iv. pag. 511. eam revocavit ad annum 1050. Leo postmodum die xxx. Octobris ejusdem anni corpus sancti Gerardi elevavit, quod se elevaturum in Bulla prædixerat. Vide Pagium juniorem tomo II. indicato pag. 341. Ceterum Leo IX. in tertia sua profectione Germanica duos alios Dei servos Sanctorum canoni Ratisponæ adscripsit per *elevationem*. Hi fuerunt Vuolfgangus confessor & pontifex, & Erhardus confessor. Vide Pagium seniorem A. D. 1052. §. III.

V.

BEATUS URBANUS. II

Bisantio I. Tranensi in Apulia Archiepiscopo Sanctorum confessorum canoni adscribendum, committit BEATUM NICOLAUM PEREGRINUM Tranensem, qui obiit die II. Junii A. D. 1094.

URBANUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Clero & ordini, nobilibus & plebi, Trani consistentibus, salutem & Apostolicam benedictionem.

CUM, largiente Domino, nuper cum magna Episcoporum, Abbatumque frequentia Synodale Concilium ageremus; venerabilis frater noster Bisantius, vestræ civitatis Archiepiscopus, venerabilis viri Nicolai (qui apud vos Peregrinus cognominatur) nonnulla miracula coram universo Concilio, scripto edita recitavit; & eumdem Dei hominem auctoritate nostra in Sanctorum catalogo adnumerari instantissime postulavit. Nos igitur causam ipsam eidem fratri nostro commisimus; de ejus nimirum probitate ac scientia nihil hæsitantes, ut, quod ei, revelante Domino, visum fuerit, maturiori deliberatione constituat ad laudem & gloriam illius, qui gratuita misericordia famulos suos mirifice gratificare consuevit. CONST. VI. A. D. 1099.

CONSTIT. VI, A. D. 1105.

N O T A.

Amandus Ecclesiæ Tranensis Diaconus has literas refert in Junio Bollandiano tomo 1. pag. 249. num. 55. quas A. D. 1099. in plenario Concilio Romano de more editas statuit Theodericus Ruinartus in Vita beati Urbani II. pag. 327. Aliam canonizationem in forma commissaria, uti vocant, huic persimilem habes in eodem tomo 1. Junii Bollandiani pag. 119. §. 36. ubi Petrus Burgensis Episcopus in Hispania ex commissione sibi facta ab Alexandro II. Pont. Max. circa A. D. 1062. Sanctorum confessorum canoni adscribit beatum Eneconem Onniensem Abbatem Benedictinum, A. D. 1057. defunctum.

V I.

P A S C H A L I S . II

Sanctorum confessorum pontificum canoni adscribit Beatum Petrum Anagniæ in Latio Episcopum, qui obiit die IV. Augusti A. D. 1105.

PASCHALIS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Venerabilibus fratribus Episcopis, Anagniæ, & aliis per Campaniam constitutis salutem & Apostolicam benedictionem.

CONST. VI. A. D. 1105.

Dominum excelsum habentes præ oculis, qui in amicis suis laudatur, & benedicitur: & considerantes propterea strenuæ, probatæque vitæ merita, quibus vir Sanctus Petrus, quondam Anagniæ Episcopus, de regula monachorum assumtus, in pastorali officio pure, simpliciter, solerti vigilantia & exemplo Deo deservivit: admirantes etiam miraculorum insignia, quibus Sanctum suum ante & post obitum divina gratia decoravit, prout per Brunonem Signiensem Episcopum fideliter annotatur, & usque ad nostra tempora decorare non desinit, auctoritate præsentium nobis licere volumus & mandamus, quatenus tertio nonas Augusti diem natalem ejusdem confessoris & præsulis memorandi, Sanctorum catalogo congrue celebrem, recolatis, quatenus in præsenti gratiam, & in futurum, opitulante divina clementia, piis ejus intercessionibus, mereamur gloriam sempiternam.
Datum Signiæ secundo nonas Junii, pontificatus nostri anno decimo.

N O T A.

Has literas vulgavit Cæsar Cardinalis Baronius A. D. 1105. §. xiv. De Petro videndus Mabillonius in Annalibus Benedictinis tomo v. lib. LXX, §. CXIV. pag. 484. ubi ejusdem sancti Præsulis Vitam a Brunone Signino Episcopo scriptam, sed *necdum integram typis vulgatam*, animadvertit. Optandum ergo, ut eam *integram* vulgent qui in Annalibus & Actis Sanctorum Ordinis sancti Benedicti prosequendis insudant, sociique Bollandiani, ad Acta Sanctorum mensis Augusti concinnanda proxime accedentes. Idem Paschalis II. A. D. 1110. Sanctorum confessorum canoni adscripsit etiam beatum Angilramnum Centulensem Abbatem, ex Mabillonio in Sæculo IV. Benedictino parte 1. pag. 106. num. 33. inque Annalibus to. v. pag. 531. §. CVIII. Sed literæ decretales nondum repertæ.

IN-

CONSTIT. VII. A. D. 1131.

VII.

INNOCENTIUS . II

Sanctorum confessorum pontificum canoni adscribit Beatum Godehardum Hildesheimensem in Saxonia Episcopum, qui obiit die IV. Maji A. D. 1038.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Dilectis filiis, clero & populo Hildenesheimensi salutem & Apostolicam benedictionem.

Veniens ad nos venerabilis frater noster Bernvvardus Episcopus vester, in plenaria Synodo, quæ Remis per Dei gratiam fuerat congregata, attestatione fratrum nostrorum Episcoporum, & Abbatum, & aliorum qui secum venerant, sanctæ memoriæ Godehardum Episcopum vestrum laudabiliter vixisse in mundo, & tam in vita, quam post mortem multis miraculis coruscasse asseruit. Unde nos cum fratribus nostris omnipotenti Deo gratias referentes, habito eorum consilio, & collaudatione, quia eumdem in cœlis cum Sanctis credimus coronari, ipsum inter Sanctos honorari præcipimus, mandantes vobis, ut & eidem beato viro solemnitatem in vestra Ecclesia statuatis, & ad eam annualiter convenire curetis. CONST. VII. A. D. 1131.

Data Remis IV. Kalendas Novembris.

NOTA.

I: Rem totam de sanctitate & miraculis beati Godehardi, quem *Gothardum* vulgo appellant, in Concilio Remensi peractam A. D. 1131. vide Sæculo VI. Benedictino, parte I. pag. 433. inque Majo Bollandiano to. I. pag. 523. §. XI. De canonizatione Godehardi vide Pagium seniorem A. D. 1131. §. XIV. & Pagium juniorem in Breviario Pontificum Romanorum tomo II. pag. 628. Porro scribitur *Hildenesheimensis, Hilderheimensis*, & *Hildesiensis*. Bullam primus edidit Brovverus de Godehardo agens in Sideribus Germaniæ pag. 64.

CONSTIT, VIII.
A. D. 1134.

VIII.

IDEM

INNOCENTIUS . II

Sanctorum confessorum pontificum canoni adscribit Beatum Hugonem Gratianopolitanum in Gallia Narbonensi Episcopum, qui obiit die 1. Aprilis A. D. 1132.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Dilecto filio Guigoni Priori Carthusiensi salutem & Apostolicam benedictionem

Const. VIII. A. D. 1134.

Divinis respondentes beneficiis, cognita vita ejus, & auditis, quæ per beati Hugonis merita fiunt, miraculis; supernæ majestatis clementiam collaudavimus: & Archiepiscoporum, Episcoporum & Cardinalium, atque aliorum, qui nobiscum aderant, communicato consilio, ipsum inter Sanctos & electos honorari præcipimus, & diem ejus assumptionis cum gaudio solemniter celebrari. Quia igitur ipsius vita, quam pie duxit in corpore, & miraculorum coruscatio, qua Deus eum facit apud homines præfulgere, tuæ maxime dilectioni non extant incognita, auctoritate beati Petri & nostra tibi mandamus quatenus ea, quæ tibi super hoc nota fuerint, diligenter describendo, posterorum memoriæ tradas, ut & Deus honoretur in Sancto, & clerus legens, ac populus audiens; gratias agant Domino, atque ipsius intercessione peccatorum veniam percipere mereantur, orantes pro nobis. Dilectos filios nostros Carthusienses Fratres per te in Domino salutamus & benedicimus.

Data Pisis decimo Kalendas Maji.

NOTA.

Has literas profert Baronius A. D. 1134. §. 21. Sanctorum canonizationes a Summis Pontificibus sæpe fieri consueverunt vel in Conciliis generalibus, vel circa tempus, quo ea celebrarentur. Hæc octo & triginta dies antequam Concilium Pisanum contra Anacletum Antipapam celebraretur, facta est ab Innocentio II. die XXII. Aprilis A. D. 1134 coram Patribus, qui Concilium celebraturi, Pisas convenerant. Vide Pagium juniorem in Breviario to. 2I. pag. 638. & Pagium seniorem A. D. 1134. §. 21.

IDEM

IX.

IDEM

INNOCENTIUS . II

Sanctorum confessorum canoni adscribit Beatum Sturmium, Abbatem primum Fuldensem, & Saxoniæ Apostolum, qui obiit die XVII. Decembris A. D. 779.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Dilecto filio Chuonrado Abbati & monachis Fuldensis monasterii salutem & Apostolicam benedictionem.

CONST. IX.
A. D. 1139.

Dignum valde est, & omni laude dignissimum, ut quos Rex regum, & Dominus dominantium honorare dignatur; eisdem ab hominibus devota reverentia impendatur. Nos igitur, audita vita laudabili beati Sturmii confessoris, cognitis etiam ex parte miraculis, quæ per ejus merita Dominus operatur, attestatione fratrum nostrorum, qui de partibus Teutonicis advenerant; in plenaria Synodo, quæ apud Lateranum est per Dei gratiam congregata, communicato consilio Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, atque Abbatum, eumdem beatum virum inter Sanctos & electos honorari præcepimus: & diem depositionis ejus cum gaudio solemniter celebrari. Vestra itaque, filii carissimi, interest, ita ejusdem confessoris obsequiis ad honorem Dei omnipotentis addictos existere; ita matris nostræ sanctæ Romanæ Ecclesiæ decreta veneranda servare, ut locus vester tam apud Deum, quam apud homines laudem & gloriam mereatur, & vestra devotio æternæ vitæ præmia assequatur.

Data Laterani XIII. Kalendas Maji.

NOTA.

Innocentius II. sicut in plenario Concilio Remensi beatum Godehardum episcopum Sanctorum canoni adscripserat, ita octennio serius in Oecumenico Lateranensi II. beatum Sturmium, alias Sturmionem, Sanctis confessoribus adnumeravit die XIX. Aprilis A. D. 1139. Literas decretales vulgavit Christophorus Brovverus Fuldensium antiquitatum libro II. cap. IX. pag. 197. & postea Mabillonius in Sæculo III. Benedictino, parte II. pag. 284. Sturmium autem A. D. 779. obiisse, docet Pagius senior eodem anno §. III. & Pagius junior in Breviario to. II. pag. 656. Ejus gesta recenset Mabillonius Annalium to. II. quem vide, præsertim pag. 245. & Carolum Cointium to. VI. Annalium Francorum A. D. 779. §. XXX.

CONSTIT. X.
A. D. 1152.

X.

EUGENIUS . III

Sanctorum confessorum canoni adscribit Beatum Henricum I. Imperatorem, & Germaniæ Regem II. hujus nominis, qui obiit die XIII. Julii A. D. 1024.

EUGENIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Venerabili fratri Egilberto Episcopo, & dilectis filiis Canonicis Bambergensis Ecclesiæ salutem & Apostolicam benedictionem.

Const. x.
A. D. 1152.

Sicut per literas & nuntios vestros vobis mandasse meminimus, venerabiles fratres nostros, N. sanctæ Rufinæ Episcopum, & N. presbyterum Cardinalem pro diversis negociis ad partes illas de nostro latere delegavimus, eisque viva voce injunximus, ut ad Ecclesiam vestram accederent, atque de vita & miraculis Henrici Regis rei veritatem diligenter inquirerent, & literis suis nobis significarent. Nunc autem eorundem fratrum nostrorum & multorum religiosorum & discretorum virorum attestatione, de castitate ipsius, de fundatione Bambergensis Ecclesiæ, & multarum aliarum, quarumdam quoque episcopalium sedium reparatione, & multiplici eleemosynarum largitione, de conversione Regis Stephani & totius Hungariæ, Domino cooperante, per eum facta: de glorioso etiam ipsius obitu, pluribusque miraculis post obitum, ad ipsius corporis præsentiam divinitus ostensis, multa cognovimus. Inter quæ illud præcipuum & mirabile plurimum attendentes, quod cum diadema sceptrumque Imperii suscepisset, non imperialiter, sed spiritualiter vixit. In thoro etiam legitimo positus (quod paucorum fuisse legitur) integritatem castimoniæ usque in finem vitæ conservavit. Quæ quidem nos omnia simul perpendentes, atque devotionem vestram & Ecclesiæ Bambergensis, quæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ soli subesse dignoscitur, diligenter considerantes, tametsi hujusmodi petitio, nisi in generalibus Conciliis admitti non soleat, auctoritate tamen S. R. E. quæ omnium Conciliorum firmamentum est, petitionibus vestris acquiescimus, atque ejusdem memorabilis viri, cujus exaltationem requiritis, fratrum nostrorum Archiepiscoporum & Episcoporum, qui præsentes aderant, communicato consilio, memoriam inter Sanctos de cetero fieri censemus, & anniversarium ipsius diem solemniter celebrari constituimus. Vestra itaque interest sic in S. R. E. obedientia & fidelitate persistere, & ei dignæ devotionis obsequiis respondere, ut ampliori beati Petri & nostra gratia digni inveniamini.

Datum Trans-Tiberim secundo idus Martii.

NOTA

N O T A.

CONSTIT. XI. A. D. 1161.

Baronius vulgavit hanc Bullam A. D. 1152. 6. IV. Sed Bollandiani Scriptores tomo III. Julii pag. 715. datam ostendunt A. D. 1145. Sanctus Henricus A. D. 1024. die XIII. Julii obiit Grunæ in Saxonia, Bambergæ depositus; licet alias cultus fuerit die XIV. nunc vero colatur die XV. ejusdem mensis, ut memorati Scriptores adnotaverunt pag. 714. Anno vero 1147. ab Eberhardo episcopo Bambergensi, successore Egilberti, cui Eugenius Bullam inscripsit, quique Egilbertus obiit A. D. 1146. facta est *elevatio* corporis Sancti Henrici, pontificia auctoritate inter Sanctos relati, adnotantibus iisdem sociis Bollandianis pag. 716. num. 25.

X I.

ALEXANDER. III

Sanctorum confessorum canoni adscribit Beatum Eduardum Regem Anglorum, qui obiit die IV. Januarii A. D. 1066.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Venerabilibus fratribus Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, aliisque Ecclesiarum Prælatis per Angliam constitutis salutem & Apostolicam benedictionem.

Const. XI. A. D. 1161.

ILlius devotionis constantiam, & fidei firmitatem, quam circa matrem vestram sacrosanctam Romanam Ecclesiam exhibetis, diligentius attendentes, in id propositi voluntatis adducimur, ut vos, sicut carissimos fratres, & speciales Ecclesiæ filios, sincera caritate in Domino diligamus, propensius honoremus, & postulationes vestras, quantum cum Deo possumus, libenti animo admittamus. Inde utique fuit, quod super petitione, quam de Eduardo glorioso quondam Rege Anglorum canonizando, & Sanctorum numero ascribendo tam carissimus in Christo filius noster Henricus illustris Anglorum Rex, quam ipsi, nobis instantius porrexistis, sollicitam cum fratribus nostris deliberationem habentes, libro miraculorum inspecto, quæ, dum in carne viveret, & postquam de præsenti sæculo est assumtus, omnipotens Deus per suam misericordiam declaravit; visis etiam literis antecessoris nostri piæ recordationis Innocentii Papæ, vestris quoque testimoniis inde receptis; quamvis negocium tam arduum, & sublime non frequenter soleat in solemnibus Conciliis, de more concedi; de communi tamen fratrum nostrorum consilio, juxta votum & desiderium prædicti filii Regis, ac vestrum, corpus ipsius confessoris ita glorificandum censuimus, & debitis præconiis honorandum in terris; sicut eumdem confessorem Dominus per suam gratiam glorificavit in cœlis; unde videlicet inter Sanctos confessores de cetero numeretur, qui hoc ipsum apud Deum signis meruit & virtutibus obtinere. Quia igitur decet hone-

CONSTIT. XII. A. D. 1173.

honestatis vestræ prudentiam eum pie colere, & toto studio venerari, quem auctoritate Apostolica venerandum vestra postulavit devotio, & colendum; universitatem vestram per Apostolica scripta monemus & exhortamur in Domino, quatenus eum ita deinceps studeatis debitis obsequiis honorare, ut ipsius intercessionibus apud districtum Judicem mereamini veniam obtinere, & gloriosum in æterna beatitudine præmium invenire.

Datum Anagniæ septimo idus Februarii.

N O T A.

Hanc Bullam præter Baronium A.D.1161. §.1. bis edidit Michael Alfordus in Annalibus Britannicis to.11. pag.578. & tomo IV. parte II. pag.101. quem Alfordum, egregium Eduardi præconem, consule.

X I I.

I D E M

A L E X A N D E R . III

Sanctorum canoni adscribit Beatum Thomam Cantuariensem Archiepiscopum, qui martyr justitiæ & ecclesiasticæ immunitatis occubuit die XXIX. Decembris A. D. 1170.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Dilectis filiis Priori & Monachis Carthusiensis Ecclesiæ salutem & Apostolicam benedictionem.

CONST. XII. A. D. 1173.

GAudendum est universitati fidelium de mirabilibus illius Sancti, & reverendi viri Thomæ Archiepiscopi vestri; sed vos exinde tanto ampliori gaudio & exultatione debetis repleri; quanto ipsius miracula, oculata fide sæpius intuemini, & ejus sanctissimo corpore, Ecclesia vestra specialius meruit illustrari. Nos autem considerata gloria meritorum ejus, quibus in vita sua magnanimiter claruit, & de miraculis ejus non solum communi & celebri fama; sed & dilectorum filiorum nostrorum Alberti Tituli sancti Laurentii in Lucina, & Theodini Tituli sancti Vitalis presbyterorum Cardinalium, Apostolicæ Sedis legatorum, & aliarum plurium personarum testimonio certitudinem plenam habentes, præfatum Archiepiscopum in capite jejunii, multitudine clericorum & laicorum præsente in Ecclesia, deliberato cum fratribus nostris consilio, solemniter canonizavimus: cumque decrevimus sanctorum Martyrum collegio annumerandum; vobis & universitati fidelium de Anglia Apostolica auctoritate mandantes, ut natalem ejus diem, quo vitam suam gloriosa morte finivit, annis singulis cum debita veneratione celebretis. Quoniam igitur dignum est, & vo-

& vobis plurimum expedit, ut sanctum corpus ejus cum ea, qua decet reverentia & honore condatur. Discretioni vestræ Apostolica auctoritate mandantes, quatenus corpus ejus devote & reverenter, facta solemni processione, aliquo solemni die congregato clero & populo, in altari honorifice recondatis; aut ipsum in aliqua decenti capsa ponentes, prout convenit, elevetis in altum; & patrocinium ejus pro salute fidelium, & pace universalis Ecclesiæ satagatis apud Dominum vestris piis orationibus impetrare. CONSTIT. XIII. A. D. 1173.

Datum Signiæ quarto idus Martii.

XIII.

IDEM

ALEXANDER. III

DE EADEM RE

Ad omnes Prælatos Ecclesiæ

Redolet Anglia fragrantia & virtute signorum, quæ per merita illius sancti & venerandi viri, Thomæ quondam Cantuariensis Archiepiscopi, omnipotens Deus operatur, ut universa ubique lætatur fidelium Christiana religio pro eo, quod ille, qui est mirabilis & gloriosus in Sanctis, Sanctum suum post mortem clarificavit: cujus vita laudabilis multa fulsit gloria meritorum, & tandem martyrio consummata est certaminis gloriosi. Quamvis autem de sanctitate ipsius dubitari non possit qui ejus & laudabilem conversationem attendit, & gloriosam considerat passionem; voluit tamen Redemptor atque Salvator noster ejus sanctitatis insignia magnificis radiare miraculis, ut qui pro Christo insuperabilis virtutis constantia necessitates & pericula pertulit sui laboris & certaminis, in æterna beatitudine cognoscatur ab omnibus percepisse triumphum. Nos vero auditis innumeris & magnis miraculis, quæ jugiter per Sancti illius merita fieri universitas narrat fidelium; & super non sine magno gaudio per dilectos fratres nostros Albertum Tituli sancti Laurentii in Lucina, & Theodinum Tituli sancti Vitalis presbyteros Cardinales atque Apostolicæ Sedis Legatos, qui eadem miracula tanto perspicacius didicerunt, quanto amplius sunt loco vicini; præcipue certiores effecti, & plurium aliarum personarum testimonio fidem, sicut debuimus, adhibentes, prædictum Archiepiscopum solemniter in Ecclesia, magno ibidem clericorum & laicorum collegio præsente in capite jejunii deliberato fratrum nostrorum consilio canonizavimus, ipsumque decrevimus Sanctorum catalogo adscribendum. Universitatem itaque vestram monemus, & auctoritate qua fungimur, districte præcipimus, ut natalem prædicti gloriosi Martyris diem passionis suæ solemniter annis singulis celebretis: & apud ipsum votivis orationibus satagatis veniam promereri. Ut qui pro Christo in vita exilium, & in morte virtute constantiæ passionis martyrium pertulit; fidelium jugi supplicatione pulsatus, pro nobis apud Dominum intercedat. CONST. XIII. A. D. 1173.

Datum Signiæ quarto idus Martii.

CONSTIT. XIV. A. D. 1173.

XIV.

IDEM

ALEXANDER . III

DE EADEM RE

Ad Episcopum Aversanum.

Const. xiv. A. D. 1173.

QUia vice beati Petri Apostolorum Principis, supremum in Ecclesia Dei, licet immeriti, locum obtinemus; ex injuncto nobis Apostolatus officio gloriosissimum martyrem Thomam quondam Cantuariensem Archiepiscopum, qui pro Dei justitia, & Ecclesiæ libertate certavit usque ad mortem, & veluti supra firmam petram fundatus a verbis impiorum non timuit, tanto in terris studiosius venerari debemus; quanto certius meritis ejus exigentibus, eum constat inter exultantium Sanctorum choros, æterna felicitate lætari. Audistis siquidem, & maxima pars orbis, divina gratia revelante, cognoscit, qualiter omnipotens Dominus, qui mirabilis & gloriosus est in Sanctis suis, eum potentia virtutis suæ, a die, qua per Martyrii palmam, cœlos, sicut indubitanter credimus, victor introivit, magnifice in terris glorificavit, & sub nomine ipsius, multa quotidie miraculorum signa non cessat operari. Unde nos deliberato consilio, cum fratribus nostris, post multam sollicitationem Archiepiscoporum, & præsertim commonitione dilectorum filiorum nostrorum, Alberti de titulo sancti Laurentii in Lucina, & Theodini, de titulo sancti Vitalis, presbyterorum Cardinalium, & Apostolicæ Sedis Legatorum; qui exinde veritatem plenius investigaverunt, & visu & auditu cognoverunt; ipsum canonizavimus, catalogo Sanctorum connumerantes, diem passionis suæ proximum sanctorum Innocentium ad honorem Dei singulis annis solemniter celebrandam, & inter sanctorum Martyrum festivitates enumerandam esse constituimus, & eam per prædictos, nec non & per Archiepiscopos, tam in Anglia, quam in Gallia, necnon in aliis regionibus constitutos præcipimus devotissime celebrari.

Quia ergo, quod a sacrosancta Romana Ecclesia; quæ ab ipso Domino caput est, & magistra omnium Ecclesiarum constituta, tam sancta constat, & provida deliberatione ordinatum, ab universis Christifidelibus, cum magna est veneratione observandum: fraternitati tuæ, per Apostolica scripta mandamus, quatenus solemnitatem prænominati Martyris annuatim cum magna devotione, celebres, & a parochianis tuis præcipias generaliter observari: eos studiose commonens, ut ad ipsius Sancti venerationem, ita frequenter intendant, quod meritis suis intervenientibus, redemptoris sui gratiam sibi valeant indeficienter comparare. Ad hæc præsentium tibi auctoritate injungimus, ut fratribus tuis comprovincialibus Episcopis, ex parte nostra significes, te istud mandatum a nobis suscepisse; & eos ad celebrandam illius pretiosi Martyris festivitatem invites attentius & horteris. Ita quod ipsi, ad hoc per studium & sollicitudinem tuam vehementius accendantur; & eam faciant a parochianis suis annuatim, cum magna devotione observari. Per cujus merita nos illi societ divina gratia. Amen.

NO-

NOTA.

Baronius vulgavit has literas A. D. 1173. §. vi. & subinde Michael Alfordus in Annalibus Britannicis to. iv parte ii. pag. 247. Acta vero omnia totius caussæ strenui Christi martyris beati Thomæ, olim a Johanne Sarisberiensi collecta, bono rei ecclesiasticæ edidit Christianus Lupus Bruxellis apud Henricum Friex A. D. 1682. in 4.

XV.

IDEM

ALEXANDER III

Sanctorum confessorum canoni adscribit BEATUM BERNARDUM Abbatem primum Claravallensem in Burgundia, qui obiit die xx. Augusti A. D. 1153.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Venerabilibus fratribus, universis Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, aliisque Ecclesiarum, Prælatis in Regno Franciæ constitutis salutem & Apostolicam benedictionem.

Contigit olim, dum essemus [a] Parisius constituti, ut magni quidam, ac venerabiles viri de canonizando sanctæ recordationis Bernardo quondam Claræ-vallensi Abbate facerent mentionem, optantes utique & piis nobis precibus suggerentes, ut in Concilio, quod de proximo erat Turonis celebrandum, digno huic, & laudabili voto celerem daremus effectum. Cumque nos eidem negocio favorabili satis intenderemus affectu, supervenit multitudo & frequentia petitorum, qui in diversis provinciis rem similem postulabant. Unde cum videremus non posse congruenter omnibus satisfieri, statutum fuit pro scandalo devitando etiam in hoc differri quod oportebat pro tempore ceteris denegari. Nuper autem ex instantia & devotione Claræ-vallis fratrum, & aliarum sublimium personarum eisdem apud nos precibus innovatis, reduximus ad memoriam nostram ejusdem beati viri sanctam ac venerabilem vitam, qualiter ipse singularis gratiæ prærogativa suffultus non solum in seipso sanctitate ac religione præfulserit, sed etiam in universa Ecclesia Dei fidei & doctrinæ lumine radiarit. Fructum vero, quem in domo Domini & verbo operatus est & exemplo, nullus fere terminus sanctæ Christianitatis ignorat, cum usque ad exteras quoque & barbaras nationes sanctæ religionis instituta transmiserit, atque monasteriorum fundationem extenderit, & infinitam multitudinem peccatorum per viæ sæcularis latitudinem incedentem ad spiritualis vitæ rectitudinem revocarit.

[a] *Parisius* pro *Parisiis*.

CONSTIT. XVI. A. D. 1174. Specialiter autem sacrosanctam Romanam Ecclesiam, cui, auctore Deo præsidemus, ita quondam sub gravis persecutionis turbine laborantem, tam vitæ merito, quam datæ sibi cœlitus sapientiæ studio sustentavit, ut digne quidem & nobis, & omnibus ejusdem Ecclesiæ filiis in memoria habendus sit & devotione perpetua venerandus. In afflictione vero corporis sui usque adeo sibi mundum, seque mundo reddidit crucifixum, ut confidamus, Martyrum quoque eum merita obtinere sanctorum, quem confessionis ordine, & parsimonia vitæ, tam longum constat duxisse martyrium. Quibus omnibus pia consideratione pensatis, & in Concilio fratrum nostrorum expositis, confisi de misericordia Dei, cui perseveranter & fideliter militavit, necnon & de beatorum Petri & Pauli Apostolorum, & ejusdem beatissimi confessoris meritis præsumentes, cum Apostolicæ Sedis auctoritate catalogo Sanctorum adscribi mandavimus, & commemorationis suæ festum decrevimus amodo publice celebrandum. Vos ergo, qui ejusdem Sedis Apostolicæ instituta suscipere, & Deum in Sanctis suis consuevistis gloriosius honorare, sic memoriam Sancti hujus celebretis in terris, ut precibus ejus, & meritis digna præmia recipiatis in cœlis.

Datum Anagniæ xv. Kalendas Februarii.

XVI.

IDEM

ALEXANDER. III

DE EADEM RE

Ad Regem Francorum.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Illustri Francorum Regi Ludovico salutem & Apostolicam benedictionem.

CONST. XVI. A. D. 1174. NOvit (ut credimus) regalis tuæ magnificentiæ celsitudo, quod ea quæ cum honore Dei grata tibi acceptaque cognovimus, ad utilem semper effectum magno & volenti animo promovemus. Maxime autem hoc in illis operibus observamus, in quibus specialiter & honor Dei, & suorum gloria Sanctorum declaratur; scientes quoque tibi fore gratissimum quicquid ad decus Ecclesiæ, & superni Regis honorem auctoritate fuerit Apostolica constitutum. Unde quoniam sanctæ recordationis Bernardus quondam Abbas Claræ-vallis, & Deo semper carus, & tam tibi, quam universo Regno tuo gratus exstitit & acceptus, eum ad gloriam Dei & exaltationem Ecclesiæ ac totius Regni tui, canonizandum decrevimus, & inter beatissimos confessores festiva celebritate colendum, tam de misericordia Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus confisi meritis, quam suæ conservationis & sanctimoniæ non ignari. Monemus igitur Christianissimæ Serenitatis tuæ regiam

regiam pietatem, ut hoc cœlestis gratiæ donum, Regno tuo te regnante collatum, lætæ devotionis brachiis amplectaris, eique jam cœlesti beatitudine perfruenti solita pietate devotus exsistas, quem pro sua venerabili sanctitate adhuc in tenebris positum diligebas. Claræ-vallense vero monasterium, quod fundavit, in quo etiam corpus ejus venerabile requiescit, ita te ob reverentiam ejus habere volumus commendatum, ut eum semper merearis habere patronum. CONSTIT. XVII. A. D. 1174.

Datum Anagniæ xv. Kalendas Februarii.

XVII.
IDEM
ALEXANDER. III
DE EADEM RE
Ad monachos Cistercienses.
ALEXANDER EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

Dilectis filiis Cistercii, de Firmitate, & Pontiniaci, & Claræ-vallis, & Morimundi, atque universis Abbatibus Cisterciensis Ordinis salutem & Apostolicam benedictionem.

QUoties honesta nobis opportunitas exhibetur, ut fidei & devotioni, quam circa Ecclesiam Dei nostris temporibus habuistis, possimus in aliquo pro meritis respondere, opportunitatem ipsam libenter amplectimur, & in his maxime, quæ specialem noscuntur redolere virtutem, vestris occurrere profectibus non moramur. Contigit autem hoc tempore, ut verbum, quod ab olim fuerat de beati Bernardi quondam Claræ-vallis Abbatis canonizatione propositum, & pro quorumdam similia postulantium scandalo, a Turonensis Concilii celebratione dilatum, ad nostram reduceretur, Deo volente, memoriam, & faciente nobiscum signum in bonum qui hoc pietatis opus nostris servavit manibus consummandum. Nos enim vitam & sanctitatem ejusdem beatissimi confessoris recordatione sollicita memorantes, quomodo scilicet, & in seipso religionis & sanctimoniæ prærogativa magnificus, & universæ Ecclesiæ Dei, specialiter autem Ordini vestro fide & doctrina utilis exstiterit, & copiosissime fructuosus; confisi de misericordia Dei & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, necnon de ejusdem sancti confessoris meritis præsumentes, eum fratrum nostrorum communicato consilio, auctoritate Apostolicæ Sedis Sanctorum catalogo duximus adscribendum, & diem depositionis ipsius in Ecclesia publice celebrandum; unde quoniam hoc ita in gloriam & honorem summi Conditoris exuberat, & in vestram quoque ædificationem consolationemque redundat; vestra potissimum interest omnipotenti Deo gratias egere, qui modernis temporibus virum perfectæ & prædicabilis sanctitatis in vestro Ordine voluit suscitare. Vos igitur munificentiæ donum speciali devotione suscipite, & Deum in Sanctorum suorum glorificatione mirabilem, in ejus celebratione specialiter honorate. CONST. XVII. A. D. 1174.

Datum Anagniæ xv. Kalendas Februarii.

IDEM

CONSTIT. XVIII.
A. D. 1174.

XVIII.

IDEM

ALEXANDER III

DE EADEM RE

Ad Claravallenses.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Dilectis filiis Gerardo Abbati, & universo conventui Clara-vallis salutem & Apostolicam benedictionem.

Const. xviii. A. D. 1174.

Sicut de religione & pietate, quam circa Deum geritis, nihil nobis restat ambiguum; sic exhibitæ circa robur devotionis & fidei clara semper est certitudine manifestum. Non enim poteratis, sed nec deinceps, Deo auctore, poteritis a gratia sanctitatis apparere degeneres, quos sancti Patris constat esse heredes, cui & gratia spiritualis abundavit ad meritum, & operum efficacia non defuit ad exemplum. Scitis namque & pia veneratione recolitis, qualiter beatæ memoriæ Bernardus, cœnobii vestri primus Abbas, præcipuusque Fundator, Deo quidem pro virtute religionis acceptus, & Ecclesiæ Dei pro plenitudine devotionis & fidei exstiterit gratiosus, ita ut merito deberetis haberi culpabiles, si imitationis & venerationis ipsius essetis in aliquo negligentes. Placuit ergo nobis, quod pro eo, tamquam pro pio Patre, sollicitudinem habuistis, & canonizationem ipsius voto laudabili postulastis. Nos quibus cordi semper est pro multis, fili Abba, tuæ devotionis obsequiis, & totius domus vestræ studiis religiosis & piis, vestris jugiter obtemperare precibus & profectibus adspirare: voto huic clementer annuimus, ut nostram circa vos & gratiam & benevolentiam comprobemus. Vita igitur ejusdem beatissimi confessoris ad memoriam revocata, quomodo scilicet fide & religione atque doctrina præfulserit, quantoque in Ecclesia Dei perspicuæ claritatis lumine radiarit: eum fratrum nostrorum consilio habito, confisi de misericordia Dei, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, atque de ejusdem Sancti meritis præsumentes, catalogo Sanctorum duximus adscribendum, diemque depositionis ejus festivum de cetero & celebrem observandum. Unde quia vestra potissimum interest, & ejus imitari vitam, & gloriam venerari, satagite in omnibus & studete ipsius sancti Patris & inhærere vestigiis, & festum excolere sanctitatis, ut cujus conversationis meruistis esse participes, digni habeamini ejusdem beatitudinis fore consortes. Datum Anagniæ xv. Kalendas Februarii.

NOTA.

Has literas Alexandrinas de canonizatione S. Bernardi habes to. I. ejus operum pag. 1341. editionis recognitæ secundis curis Johannis Mabillonii, Parisiis A.D. 1690. ubi vir doctus & accuratus magnam illam cæremoniam factam ostendit Anagniæ in Latio, ubi Pontifex morabatur, die XVIII. Januarii A.D. 1174. quum res ipsa primum agitari olim cœpisset coram eodem Pontifice Alexandro III. in Concilio Turonensi A.D. 1163. neque hoc satis fuisse ad Bernardi memoriam, nisi etiam summus ecclesiæ antistes Innocentius III. ejus officium ore proprio dictaret A.D. 1201. in quo sanctissimum virum *Doctoris* elogio insignivit: quod quidem præstiterat ipse etiam Alexander III. in missa canonizationis. Vide eumdem Mabillonium pag. 1344. 1345.

XIX.

IDEM

ALEXANDER . III

Sanctorum confessorum canoni adscribit Beatum Theobaldum eremitam, qui obiit die 1. Julii A. D. 1066.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Omnibus fidem Christi colentibus gratiam & Apostolicam benedictionem.

Const. XIX. A. D. 1175.

Multa præclara & admiratione digna de quodam eremita religioso viro, Theobaldo nomine, celebris fama divulgat; quam sancte & religiose vixerit, & exutus omnibus, Dominica præcepta secutus sit, cum in præsentiarum fuisset, manifeste patet. Miraculorum vero indicia indubitata fide ejus merita commendant, multis religiosis viris super his cognita & vera referentibus. Quapropter vitæ ejus conversatione cognita & miraculorum indiciis probatis per non fallacia testimonia, suggerentibus nobis de eo Mainardo & Damiano Episcopis & Vincentiæ populo, illum celebri memoria dignum Romana decrevit Ecclesia. Et quia procul dubio cum electis coronatur in cœlis, ut ejus memoria, sicuti aliorum Sanctorum, præcipimus, solemniter celebretur in terris.

NOTA.

Mabillonio hasce literas Apostolicas debemus, qui eas vulgavit Sæculo VI. Benedictino part. II. pag. 182. una cum viri sancti vita, a Petro Vangadiciæ Abbate conscripta. Obiit Theobaldus in agro Vicetino ipsa nocte, qua fuit media inter ultimam diem Junii, & primam Julii A. D. 1066. unde factum, ut dies ejus emortualis ab aliquibus consignetur 30. Junii, ab aliis 1. Julii. Corpus viri sancti, ex Campaniæ Comitibus in diœcesi Senonensi orti, Vicetiæ in æde principe depositum fuit, inque Vangadiciæ Abbatiam postea translatum, unde brachium ejus cum aliis reliquiis ab Arnulpho fratre Pruvinum patrium opidum in Gallias advectum est. In pontificio diplomate desunt notæ chronologicæ, sed Mabillonius ab Alexandro III. *centum circiter annos* post Theobaldi mortem editum putat. Nos illud post reliqua, certo tempori affixa, hoc loco exhibemus, donec magis certam rei notitiam habeamus. Bollandiani de illo agentes tomo V. Junii (non viso Mabillonio) pag. 597. illud tribuunt Alexandro Papæ II. nec tamen ullam rei caussam adducunt. De Theobaldo videndi etiam Annales Benedictini tomo IV. pag. 495. 681. & to. V. pag. 85. 86. 188. Quarumnam sedium fuerint episcopi *Mainardus*, & *Damianus*, in Alexandrinis literis memorati, nobis, ad alia properantibus, in præsentia scrutari non vacat.

CLE-

CONSTIT. XX.
A. D. 1189.

X X.

CLEMENS . III

Sanctorum confessorum pontificum canoni adscribendum decernit B. OTTONEM Episcopum Bambergensem , Pomeranorum Apostolum , qui obiit die xxx. Julii A. D. 1139.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Venerabilibus E. Merseburgensi & O. Eistettensi Episcopis , & dilectis filiis sancti Emmerammi Ratisponensi & Schvvartzensi Abbatibus , Decano , & Scholastico Vvirtziburgensi salutem & Apostolicam benedictionem .

CONST. XX.
A. D. 1189.

AD audientiam Apostolatus nostri ex quorumdam serie literarum & relatione multorum pervenit , quod divina potentia per merita & interventum beati Ottonis , qui Babenbergensis fuit Episcopus , multam est operata salutem , præcipue in gente Pomeranica , ad quam fuit ab Apostolica Sede transmissus , & in ea compluribus miraculis donavit illi Dominus coruscare . Quoniam igitur, juxta divinæ Scripturæ testimonium , *lucerna non sub modio* , (sed) *super candelabrum est ponenda* , (Matth. v. 15.) discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus , quatenus de vita ipsius & miraculis diligentius inquiratis , quæ nobis fuerunt per multorum literas indicata . Et si non inveneritis aliquid , quod obsistat ; ipsum canonizatum , auctoritate freti Apostolica , solemniter & publice nuncietis , anniversarium diem sui transitus facientes, & publice nunciantes ad honorem Dei , & ipsius beati viri memoriam solemnem haberi .

Datum Laterani III. Kalendas Maji, pontificatus nostri anno secundo.

IDEM

XXI.

IDEM

CLEMENS . III

DE EADEM RE

Ad Bambergenſes.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Venerabili fratri Ottoni Epiſcopo, & dilectis filiis Canonicis & univerſo clero & populo Babenbergenſi Montis ſancti Michaelis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

CUM Sedi Apoſtolicæ referuntur ea, quæ ad ſalutem pertinent animarum, & devotionem cleri & populi manifeſtis indiciis reſpicere comprobantur, ea, ſicut convenit, libenter audimus, & ut debeant in Domino promoveri, favorem, ut expedit, impertimur Apoſtolicum & aſſenſum. Hinc eſt, quod cum ad audientiam Apoſtolatus noſtri, quarumdam ſerie literarum & multorum relatione pervenerit, quod divina potentia, per miracula & interventum beati Ottonis, qui Babenbergenſis fuit Epiſcopus, ſit multorum operata ſalutem, præcipue in gente Pomeranica, ad quam fuit ab Apoſtolica Sede tranſmiſſus, in qua donavit illi Dominus Deus compluribus miraculis coruſcare. His gratanter auditis, & pro tantis beneficiis omnipotenti Domino gratiarum actionibus exſolutis, veſtris piis deſideriis ad laudem Dei, ſatisfacere cupientes, venerabilibus fratribus noſtris, Merſeburgenſi & Eyſtettenſi Epiſcopis, & dilectis filiis, ſancti Emmerammi Ratiſponenſi & Schvvartzenſi Abbatibus, Decano, & Scholaſtico Vvirtzeburgenſi, dedimus in mandatis, quatenus de vita ipſius & miraculis diligenter inquirant, quæ nobis fuerunt per multorum literas indicata. Et ſi non fuerit inventum aliquid, quod obſiſtat, ipſum canonizatum prædictæ perſonæ debeant ſolemniter & publice, auctoritate freti Apoſtolica, nunciare, anniverſarium diem ſui tranſitus facientes, & publice nunciantes ad honorem Dei & ipſius beati viri memoriam ſolemnem haberi. CONSTIT. XXI. A. D. 1189.

Datum Laterani Kalendis Maji, pontificatus noſtri anno ſecundo.

NOTA.

Primas ex his Apoſtolicis literis vulgavit Baronius A.D. 1189. §. XIII. utraſque Jacobus Gretſerus in Divis Bambergenſibus pag. 374. & ex hoc ſocii Bollandiani tomo 1. Julii pag. 367. §. IX. num. 84. 85. ubi geſta ſancti Ottonis fuſe & accurate proſequuntur. Demortuum faciunt pag. 366. num. 82. die XXX. Junii A.D. 1139. depoſitum die III. Julii quamvis hodie colatur die II. ejuſdem menſis. Iidem porro Bollandiani hagiologi pag. 357. §. V. in dubium vocant Ottonis ortum Bavaricum ex perinſigni & clara ſtirpe Andecenſi, plurium Sanctorum matre: cui tamen ſe eum vindicaturum nuper ſpopondit Benedictus Friepeis in ſua optatiſſima *Hiſtoria veterum Comitum Andecenſium* apud Bernardum Pezium in Diſſertatione iſagogica ad tomum 1. Theſauri anecdotorum pag. XXII. §. XXXIX. De hoc Sancto viro conſulendus etiam Antonius Pagius A. D. 1189. §. II. Scribitur autem *Babenbergenſis*, & *Bambergenſis*.

CONSTIT. XXII.
A. D. 1189.

XXII.
IDEM
CLEMENS III
Sanctorum confessorum canoni adscribit Beatum Stephanum ordinis Grandimontensis apud Lemovicas in Aquitania auctorem, qui obiit die VIII. Novembris A. D. 1124.

CLEMENS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

Dilectis filiis Gerardo Priori & Fratribus Grandimontis salutem & Apostolicam benedictionem

Const. XXII. A. D. 1189.

IN Deo sacrosanctam Romanam Ecclesiam Redemptor noster caput omnium esse voluit & magistram, ut ad ejus dispositionem & nutum, divina gratia praeunte, quae ubicumque a fidelibus gerenda sunt, ordinentur, & errata, in melius corrigantur, & ad ejus consilium in ambiguis recurratur, quod ipsa statuerit, nemini, quantumcumque de suis meritis glorietur, liceat immutare, ne, si forte promiscua daretur universalis licentia, quaecumque sibi secundum voluntatem propriam occurrerent, perpetrandi confusa libertas, cum secundum personarum diversitatem vota dissentiant, in aliorum aliquando scandalum, sine justi discretione libraminis, commendanda supprimeret, & minus digna laudibus indebitis celebraret.

Inde siquidem fuit, quod bonae memoriae praedecessor noster Urbanus, audita fama religionis, & vitae commendabilis puritate, qua sanctae recordationis Stephanus, Grandimontensis ordinis institutor emicuit, quantis etiam miraculorum testimoniis omnipotens Deus ipsius voluit mundo merita declarare, Legatis, quos ad partes illas direxit pro quibusdam negociis Ecclesiae tractandis, plenam circa haec investigationem committere voluit, ut ex ipsorum, ceterorumque virorum, quibus sine dubitatione fides esset adhibenda, testimonio, ad id agendum consulto procederent: quod & fidelium commodis, & ipsius sancti viri honori, qui hactenus velut in sterquilinio gemma latuerat, congrue videretur.

Nos etiam ex testimonio carissimi in Christo filii nostri Henrici, illustris Anglorum Regis; necnon venerabilium fratrum nostrorum, Guillelmi Remensis, sanctae Sabinae presbyteri Cardinalis, Bartholomaei Turonensis, & Heliae Burdegalensis Archiepiscoporum, & Seibrandi Lemoviensis Episcopi, & dilectorum filiorum nostrorum Bobardi, tunc sancti Angeli, & Octaviani sanctorum Sergii & Bacchi Diaconorum Cardinalium, qui in partibus illis functi sunt legationis officio, & aliorum mul-

multorum Episcoporum plenius instructi de vita, meritis & conversatione, qua supradictus vir sanctus asseritur floruisse, & quod multimodis miraculorum indiciis divina voluit pietas eum illustrare; hujus executionem negocii dilecti filii nostri Johannis sancti Marci presbyteri Cardinalis, Apostolicæ Sedis Legati, duximus arbitrio committendam, per Apostolica illi scripta mandantes, ut ad locum vestrum accedens, & convocatis adjacentium illarum partium Episcopis, ceterisque viris religiosis, ipsum inter Sanctos, auctoritate qua fungimur, nos denunciet adscripsisse, deinceps in Sanctorum catalogo numerandum, & per ipsius merita Redemptoris suffragia decrevisse cum reliquorum Sanctorum interventionibus postulanda. CONSTIT. XXIII. A. D. 1191.

Datum Laterani duodecima Kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno secundo.

NOTA.

Johannes Bollandus in Actis Sanctorum die VIII. Februarii tomo II. pag. 204. num. 30. hanc Clementis III. Constitutionem adducit, ab eo datam die XXI. Martii A. D. 1189. De gestis porro Sancti Stephani, deque ordine Grandimontensi Bollandus fuse agens ibidem est consulendus; sed & Mabillonius in Annalibus tomo V. pag. 65. 66. 97. 109.

XXIII.

COELESTINUS III

Sanctorum confessorum pontificum canoni adscribit BEATUM UBALDUM, Canonicum regularem, & Eugubinum in Umbria Episcopum, qui obiit die XIV. Maji A. D. 1136.

COELESTINUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Venerabili fratri B. Episcopo, & dilectis filiis B. Priori, clero & populo Eugubino salutem & Apostolicam benedictionem.

Benedictus Deus in donis suis, & Sanctus in omnibus operibus suis, qui secundum multitudinem miserationum suarum illis, qui natura fuerant filii iræ, spiritum adoptionis, in quo clamamus Abba Pater, indulget, & homines ex lutea materia constitutos in consortium Angelorum & gloriam suam pietatis assumit, sicut factum est temporibus nostris de sanctæ recordationis Ubaldo pontifice vestro, qui cum pius & justus dum in carne viveret haberetur, post transitum, a vicinis & longe positis propter miracula, quæ per merita ejus operatus est CONST. XXIII. A. D. 1191.

CONSTIT. XXIII.
A. D. 1191.
Psal. XLIV. 17.

Deus, Sanctus meruit æstimari. Impletum in ipso quod Propheta dixit in psalmo: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram: memores erunt nominis tui Domine.* Tu autem, frater Episcope, apud Sedem Apostolicam constitutus, opportune & importune in humilitate, qua decuit, institisti, ut memoriam prædicti Pontificis canonizare, & ipsum adscribere Sanctorum catalogo auctoritate Apostolica deberemus, consideratione habita ad religiosam vitam ipsius, & ad multa miracula, quæ per eum, postquam migravit a sæculo, omnipotens dignatus est operari. Nos vero opus istud intuentes, sensum, & intelligentias nostras excedere, quia potius est divini judicii, quam humani, cum ipse solus plene noverit qui sunt ejus, suspendimus desiderium tuum aliquamdiu, ut nobis & fratribus nostris, quid potius agendum esset Spiritus sancti gratia revelaret. Tua igitur tandem pia supplicatione inducti, & multorum Episcoporum, & aliorum testimoniis inclinati, non de propriis meritis, sed de misericordia creatoris potissimum confidentes, de communi fratrum consilio acquievimus votis vestris, & canonizantes prædictum Sanctum auctoritate beatorum Apostolorum Petri & Pauli, qua fungimur, licet immeriti, decrevimus, ut festum transitus ipsius sicut beatissimi confessoris apud vos perpetuo habeatur. Quapropter universitatem vestram monemus & exhortamur in Domino, quatenus non in vacuum gratiam istam recipiatis, sed exemplo beati viri renovemini spiritu mentis vestræ, & in reverentia Dei & prædicti Sancti, & omnium aliorum, ferventiores solito existatis, & festum ejus septimo decimo Kalendas Junii hilariter annis singulis celebrare sollicite operemini, quod vestra circa divinum cultum devotio profecisse merito videatur, & alii de facto vestro exemplum profectus assumant, & ipse vestris motus precibus pro totius Ecclesiæ statu apud omnipotentem Dominum intercedat.

Datum Laterani, quarto nonas Martii, pontificatus nostri anno primo.

N O T A.

Hanc Bullam habes apud Baronium A. D. 1192. §. 1. in Conciliis Labbeanis tomo x, pag. 1770, & in Majo Bollandiano tomo III. pag. 639. cap. 1. num. 3. ubi multus sermo de sancto Ubaldo, Data vero est die IV. Martii A. D. 1192.

IDEM

XXIV.

IDEM

COELESTINUS. III

Sanctorum confessorum pontificum canoni adscribit Beatum Bernvvardum Hildesheimensem in Saxonia Episcopum, qui obiit die XXVI. Octobris A. D. 1023.

COELESTINUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Venerabili fratri Hildeneshemensi Episcopo, & dilectis filiis clero ejusdem civitatis, universis etiam fidelibus per suam diœcesin constitutis salutem & Apostolicam benedictionem.

CUM universorum conditor & creator, mirabilis & gloriosus in Sanctis suis, frequenter appareat, & dignetur per eos ejus opera suis fidelibus revelare; dignum duximus, & Omnipotenti pariter honorificum quæ in celebris memoriæ Bernvvardo, quondam Hildenesheimensi Episcopo per suam voluit gratiam demonstrare, suscipere humiliter & audire, ac præterea eum in Sanctorum collegio numerare. Inde est, quod de meritis ipsius, ac vita laudabili, ac miraculis multiplicibus per dilectum filium nostrum Centium Tituli sancti Laurentii in Lucina presbyterum Cardinalem, & venerabilem fratrem nostrum Mogontinum Archiepiscopum, Sabinensem Episcopum Conradum, & alios Episcopos, & dilectum filium Thidericum Abbatem Ecclesiæ sancti Michaelis in Hildenesheim, & honestas personas ac religiosas ejus provinciæ certiores effecti, & famam illius celebrem & commendandam memoriæ plenius cognoscentes, fratrum nostrorum deliberatione habita diligenti prædictum reverendissimum virum in Sanctorum catalogo duximus numerandum & venerandum corpus ejus de terra gremio erigendum, & inter Sanctorum reliquias collocandum, ut ibi a Christi fidelibus assidua devotione officium debitæ venerationis accipiat, & ipsi per intercessionem ejus felicem, & Domino complacentem suorum dilectorum veniam consequantur. Ideoque universitati vestræ, per Apostolica scripta mandamus, quatenus quod de Sancto ipso a nobis tam celebriter institutum est, vos publicantes, eundem Sanctum debitis obsequiis amodo prævenire curetis, ut vestras votivas preces, quas omnium Creatori porrexeritis, per intercessionem ejus placabilem dignetur per suam misericordiam exaudire.

Data Romæ apud sanctum Petrum VI. Idus Januarii, pontificatus nostri anno secundo.

NOTA.

Has Apostolicas literas primus vulgavit Brovverus, de Sancto Bernvvardo agens in Sideribus Germaniæ pag. 100. & ex eo Mabillonius Sæculo VI. Benedictino parte 1. pag. 251. quem etiam vide in Annalibus to. IV. pag. 292.

IDEM

CONSTIT. XXV.
A. D. 1193.

XXV.

IDEM

COELESTINUS III

Sanctorum confessorum canoni adscribit Beatum Johannem Gualbertum Abbatem, & Congregationis Vallisumbrosæ in Tuscia institutorem, qui obiit die XIII. Julii A. D. 1073.

COELESTINUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

Dilectis filiis Abbati & Conventui Vallis-Umbrosæ salutem & Apostolicam benedictionem.

Const. XXV. A. D. 1193.

GLoriosus Deus in Sanctis suis, & in majestate mirabilis, ministros suos, qui sibi veraciter & sincere ministrant, non solum immarcescibili bravio & æterno remunerat, verum etiam in præsenti vita, per exhibitionem plurium miraculorum, commendabiles reddit, &, secundum propheticum verbum, eos facit in æterna esse memoria, & ab omnibus celebriter venerari: nec enim quisquam Catholicus ambigit, cum & hoc Scriptura sacra testetur, quod in Sanctis suis laudatur Dominus, & qui honorat eos, ipsum Dominum prorsus honorat; ipso attestante, qui dicit: *Qui vos honorat, me honorat, & qui vos recipit, me recipit.* Et item: *Quod uni ex meis minimis fecistis, mihi fecistis.* Et quidem rationi consentaneum esse probatur, ut, quandoquidem omnipotens Pater Filii sui coheredes eo quo ipsum honore voluit insigniri, ipso horante & dicente: *Volo Pater, ut ubi ego sum, illic sit & minister meus.* Et rursum: *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus, qui in cœlis est.* Homines, qui ex lutea materia sunt, ipsius memoriam celebrent & venerentur in terris, cujus nomen creditur scriptum esse in cœlis.

Matth. x. 40. et xxv. 40.

Jo. xii. 26.

Hac nimirum consideratione inducti, cum preces dilectorum filiorum nostrorum Gregorii Abbatis & Conventus Passinianensis monasterii, vestrumque testimonium recepissemus & literas, ut inclytæ recordationis Johannem quondam Abbatem, Vallis-Umbrosanæ Congregationis institutorem, qui Creatoris sui servus prudens extitit & fidelis, & familiæ sibi commissæ in tempore tritici mensuram impendit; & quem, qui fuit super pauca fidelis, post obitum suum super multa Dominus ipse constituit, & multis miraculorum privilegiis insignivit, istis etiam temporibus, ut dicitur, incessanter illustrat, Sanctorum catalogo annumerare & consociare vellemus, visum itaque est nobis, & communi consilio fratrum insedit, & vicinorum Episcoporum & aliorum Prælatorum Ecclesiæ, deberemus de conversatione ejusdem boni

boni Viri & miraculis, teſtimonia præſtolari. Demum vero cum Epiſcoporum, Abbatum, Priorum, Archidiaconorum, Plebanorum, Præpoſitorum, eccleſiaſticorum & monaſticorum conventuum atque aliorum ſuper ejuſdem miniſtri Jeſu Chriſti vita & converſatione, atque miraculis recepiſſemus teſtimonia & preces; ſuper canonizando eodem, fratrum noſtrorum convenientiâ requiſitâ & habitâ, referentes gratias Creatori, qui Eccleſiam ſuam ſemper nova prole multiplicat, & tam roſarum, quam liliorum flore decorat, prænominatum beatum Johannem canonizavimus, & numero confeſſorum Chriſti decrevimus adjungendum, confeſſorum omnium Regem prece humili depoſcentes, ut ejuſdem confeſſoris, qui ſibi propter lucidas & conſpicuas placuit actiones, precibus & meritis recolendis, ab inſtantibus periculis eruamur & in noſtris neceſſitatibus ipſius patrocinium ſentiamus.

Veſtræ itaque devotioni per Apoſtolica ſcripta mandamus, atque præcipimus, quatenus de tanti Patroni ſuffragio, quem genuit & nutrivit ipſa Italia, ſpiritualiter gratulemini, & ejus memoriam certo die inter alios confeſſores veneratione celebri recolatis, ipſius feſtivitatem colere ſtudeatis, in eo divinam omnipotentiam exaltantes. Si enim, atteſtante voce Dominica, Deum diligere comprobatur qui mandata ejus obſervat, a fructibus prænominati ſancti viri cognoſcitur, quod apud Deum poſſit & debeat pro peccatoribus efficaciter exaudiri qui Evangelicæ prædicationis non ſurdus auditor, mundi gaudia, tamquam ſtercora reputans, dereliquit, & ſequens Chriſti veſtigia, non ſolum in veſtro monaſterio monaſticam religionem inſtituit, verum etiam ſeptem monaſteria fabricavit, & ad ultimum Paſſinianenſe monaſterium reparans, in eo præſentem vitam laudabili deceſſu finivit. Illud tamen inter ejus miracula primum & præcipuum invenitur, quod pro quodam opere miſericordiæ cuidam in ſe deliquenti, ante ipſum in modum crucis proſtrato, provide & clementer exhibito, imago Crucifixi ei, adhuc in ſæculari militia exiſtenti, caput dicitur inclinaſſe.

Datum Laterani ſecundo nonas Octobris, pontificatus noſtri anno tertio.

N O T A.

Idem Pontifex Cœleſtinus anno inſequenti tribus Epiſcopis novas literas dedit pro ſolemni *elevatione* corporis ſancti viri facienda, ejuſdemque annuo feſto celebrando: quibus tamen literis non ſtatim executioni mandatis, hoc tandem factum ſub Cœleſtini ſucceſſore Innocentio III. cujus hac de re literæ habentur in Julio Bollandiano to. II. pag. 339. num. 145. Quas vero Cœleſtinus dedit, hæ ſunt.

IDEM

CONSTIT. XXVI.
A. D. 1194.

XXVI.

IDEM

COELESTINUS . III

DE EADEM RE

Ad Episcopos Arretinum, Senensem & Pistoriensem.

COELESTINUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Venerabilibus fratribus, Arretino, Senensi & Pistoriensi Episcopis salutem & Apostolicam benedictionem.

Const. XXVI. A. D. 1194.

SAluti nostræ plurimum credimus expedire, si eorum in terris celebrem habeamus memoriam, eorum merita solemnibus recolendo præconiis, quorum in cœlis speramus intercessionibus assiduis adjuvari. Hinc est igitur, quod cum dilectus filius noster Gregorius Abbas de Passiniano ad Sedem Apostolicam accessisset, & de sancta conversatione, vita, & meritis beati Johannis confessoris, cujus venerabile corpus in ejus Ecclesia requiescit, plurima certa indicia coram nobis & fratribus obtulisset; nos auditis virtutum ejus & miraculorum insigniis, & quod inter carnales spiritualem, inter homines etiam conversationem angelicam habuisset, ipsum, qui corporaliter dissolutus, cum Christo jam esse meruit, ne debito ipsius honori & gloriæ quodammodo detrahere videremur, si sanctificatum a Deo, permitteremus ulterius devotionis humanæ carere veneratione; de fratrum nostrorum consilio Sanctorum catalogo censuimus adscribendum.

Cum igitur lucerna ejus sic arserit hactenus in hoc mundo, quod per Dei gratiam jam non sub modio, sed super candelabrum meruerit collocari, in se ardens per opera caritatis, aliis lucens per exemplum, fraternitatem vestram monemus & hortamur in Domino, per Apostolica scripta mandantes, quatenus a prædicto Abbate & fratribus ejus fueritis requisiti, ad jam dictum monasterium pariter accedatis, & cum honore & reverentia, quam in talibus adhiberi oportet, corpus sancti viri ab eo loco, in quo positum fuerat, sicut decet Sanctum, solemniter erigentes, devotionem fidelium ad venerationem ipsius salubriter excitetis, ipsumque festivitate solemni pronuntietis constituto. die annis singulis specialiter excolendum.

Datum Laterani x. Kalendas Junii, pontificatus nostri anno quarto

NOTA.

De Sancto Johanne Gualberto videndus Mabillonius in Sæculo VI. Benedictino parte II. pag. 266. inque Annalibus tomo V. pag. 138. Bullas dedimus ex Julio Bollandiano tomo III. pag. 318. num. 118. & pag. 339. num. 143.

IDEM

XXVII.

IDEM

COELESTINUS. III

Sanctorum confessorum canoni adscribit Beatum Geraldum coenobii Silvaemajoris, sive Altivillaris in agro Burdigalensi in Gallia Aquitanica Abbatem primum & fundatorem, qui obiit die v. Aprilis A. D. 1095.

COELESTINUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Universis Christifidelibus, per provinciam Burdegalensem constitutis salutem & Apostolicam benedictionem.

SIcut phialae aureae odoramentorum, plenae orationibus Sanctorum in conspectu Altissimi, ad expiandam criminum nostrorum corruptelam odorem suavitatis emittunt; ita saluti nostrae plurimum credimus expedire, si eorum in terris celebrem habeamus memoriam, ipsorum merita solemnibus recolendo praeconiis, quorum in coelo speramus intercessionibus assiduis adjuvari. Sane cum dilecti filii G. & P. monachi Silvae-majoris ad Sedem Apostolicam accessissent, & de sancta conversatione, vita & meritis beati Geraldi, ipsius monasterii fundatoris, tam per literas venerabilium fratrum nostrorum Burdegalensis Archiepiscopi & suffraganeorum ejus, quam aliorum, Abbatum videlicet & nobilium nos plenarie instruxissent, & plurima certa indicia eorum, nobis & fratribus obtulissent: & per venerabiles fratres nostros Rotomagensem Archiepiscopum, Catalaunensem Episcopum, & quosdam alios (qui miracula, quae Dominus per illius sancti viri merita operatur, plenius cognoverunt) certiores fuissemus effecti; auditis etiam virtutis ejus & miraculorum insigniis: & quod inter carnales spiritualem, inter homines etiam angelicam conversationem habuisset, ipsum, qui corporaliter dissolutus cum Christo esse meruit (ne debito ipsius honori & gloriae quodammodo videremur detrahere, si sanctificatum a Domino permitteremus ulterius devotionis humanae veneratione carere) de fratrum nostrorum consilio canonizavimus, & decrevimus ipsum in Sanctorum catalogo numerandum. Cum ergo lucerna ejus sic arserit in hoc mundo, quod per Dei gratiam jam non sub modio, sed super candelabrum meruerit collocari, ut in se ardens per opera caritatis, luceat aliis per exemplum; universitatem vestram rogamus, monemus, & auctoritate, qua fungimur, praecipiendo mandamus, quatenus ad venerationem ipsius devote ac salubriter excitati, ipsum

 festi-

CONSTIT. XXVIII. A. D. 1198.

festivitate solemni, constituta die, annis singulis excolatis; ut idem orationibus votivis pulsatus, pro nobis apud Dominum intercedat.

Datum Laterani v. Kalendas Maji, pontificatus nostri anno septimo.

NOTA.

Geraldi, qui etiam *Giraldus*, *Girardus* & *Gerardus* dictus occurrit. Bullam canonizationis dedimus ex Mabillonii Saeculo VI. Benedictino parte II. pag. 874. De eo videndus etiam Aprilis Bollandianus tomo I. pag. 409. Ejusdem viri sancti gesta fuse prosequitur Mabillonius in Annalibus to. v. variis in locis de more, praecipue vero pag. 355. 356. Martyrologii Hispanici farcinator Jo. Tamayus tomo II. pag. 40. sub nomine Coelestini III. Bullam adducit ex sermone Hispanico de canonizatione beati Rodesindi, quae apud ipsum videri potest.

XXVIII.

INNOCENTIUS. III

Sanctorum confessorum canoni adscribit Beatum Homobonum Cremonensem in Gallia Cisalpina, qui obiit die XIII. Novembris A. D. 1197.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Dilectis filiis universo clero & populo Cremonensi salutem & Apostolicam benedictionem.

Const. XXVIII. A. D. 1198.

Quia pietas promissionem habet vitae, quae nunc est, & futurae, justus & misericors Dominus fideles suos, quos praedestinavit ad vitam, frequenter in hac vita glorificat, & semper in futuro coronat; quibus & per Prophetam promittit: *Dabo vos in laudem, gloriam & honorem in cunctis populis*. Et per se pollicetur: *Fulgebunt justi, sicut sol in regno patris eorum*. Mirabilis enim in se ipso Dominus, mirabilis in Sanctis, mirabilis in omnibus operibus suis. Verum nobis exhibet suae virtutis indicium, & frigescentem jam in pluribus caritatis igniculum, mirabilium suorum signis accendit, assumptis in gloriam suam, qui certaverunt legitime in hoc mundo, ad memorias eorum innovat signa, & mirabilia, juxta Prophetam, immutat, ut qui Sanctus est apud ipsum, Sanctus etiam ab hominibus habeatur; & in hoc praesertim haereticorum confundatur perversitas, cum ad catholicorum tumulos viderint prodigia pullulare.

Deut. XXVI. 19.
Matth. XIII. 43.

Licet autem juxta testimonium veritatis, sola finalis perseverantia exigatur ad sanctitatem animae in Ecclesia triumphanti, *quoniam qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*; duo tamen, virtus videlicet morum, & virtus signorum, opera scilicet pietatis in vita, & miraculorum signa post mortem, ut quis reputetur Sanctus in militanti Ecclesia, requiruntur. Nam quia frequenter Angelus Satanae se in lucis Angelum transfigurat, & quidam faciunt opera sua bona, ut videantur ab hominibus, quidam etiam coruscant miraculis, quorum tamen vita merito

Matth. X. 22.

merito reprobatur (sicut de Magis legitur Pharaonis) & etiam Antichristus, qui electos etiam, si fieri potest, inducet miraculis suis in errorem; ad id nec opera sufficiunt sola, nec signa; sed quum, illis præcedentibus, ista succedunt, verum nobis præbent indicium sanctitatis; nec immerito nos ad ipsius venerationem inducunt, quem Dominus suus ostendit miraculis venerandum. Hæc autem duo ex verbis Evangelistæ plenius colliguntur, ubi de Apostolis loquens ait: *illi autem profecti prædicabant, ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis*. In eo namque quod ait: *cooperante*, eos operatos esse demonstrans; & in eo, quod sequitur, *sequentibus signis*, eos exponens, immo Dominum in eis miraculis claruisse. Hoc etiam Dominus usque hodie operatur in Sanctis, & potentiam suam signis evidentibus manifestat, dum vivorum curat ægritudines ad memoriam mortuorum, & eos plus posse post mortem, & felicius vivere mortuos, qui in Domino moriuntur, quam qui vivunt in mundo, demonstrat.

CONSTIT. XXVIII. A. D. 1198.

Marci XVI. 20.

Sane veniens ad præsentiam nostram venerabilis frater Episcopus vester, multis viris religiosis & aliis honestis personis de sua diœcesi comitatus, ejusdam beati viri, & re & nomine Homoboni, vitam & actus, necnon & modum transitus ejus humiliter nobis aperuit: in quibus & sanctæ ipsius degustavimus conversationis odorem, Deumque mirabilem, & omnia opera ejus in fide cognovimus & prædicavimus gloriosa. Idem etenim Sanctus, tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dat in tempore suo, prout eorumdem nobis assertio facta tam viva voce, quam aliorum plurium honestorum literis patefecit; adeo in lege Domini meditabatur die ac nocte, ut ei serviens in timore, & secundum Prophetam, media nocte surgens ad confitendum ei, matutinis semper laudibus interesset. Missæ quoque officium & alias horas cum summa devotione frequentans, ita assiduis orationibus insistebat, ut in certis horis aut incessanter oraret, aut horas ipsas aliquando præveniret; nisi forte ipsum sollicitudo, quam super pace reformanda per civitatem, tanquam pacificus vir, gerebat, aut occasio eleemosynæ pro pauperibus acquirendæ, seu alia justa causa in aliis operibus misericordiæ detineret. Qui nimirum ante crucem dominicam ex assuetudine se prosternens, opus quodlibet faciendo, stando, sedendo, jacendo, ad orationem labia movere continuo videbatur. Inter alia vero pietatis opera, quæ tam circa pauperes, quos secum in domo propria tenebat, curabat, & pariter procurabat, quam circa alios indigentes, quibus viventibus humanitatis officium, mortuis sepulturæ beneficium, consueverat devotus impendere, diligentius exercebat, ipse a sæcularium hominum consortio segregatus, inter quos virebat, quasi lilium inter spinas, hæreticorum, quorum pernicies partes illas infecit, austerus extitit aspernator. Deducto autem sic vitæ sanctæ curriculo, cum ad matutinale officium, prout dictum est, in festivitate sancti Brictii surrexisset, circa Missæ primordia idem se ante crucem dominicam more solito in oratione prosternens, dum cantaretur hymnus angelicus, beato fine quievit.

Quæ vero, quot, & quanta miracula fuerint subsecuta, & quot advenientibus ad sepulcrum ejus, sanitatis beneficia sint impensa, cum longum sit enumerare per singula, unum inter cetera ad assertionem catholicæ fidei duximus expressius annotandum. Dum enim quædam dœmoniaca mulier ad sepulcrum ejus deducta fuisset, ne aliqua fraus

CONSTIT. XXVIII. A. D. 1198.

lateret, eadem primo fuit aquâ non benedictâ resperfa: quæ se patienter aspergi permittens, aquam secundo respuit benedictam. Et ut res evidentiori experimento pateret, oblatam non consecratam absque aliqua præscientia sibi recipiens præsentatam, eucharistiam consecratam subsequenter abhorruit, nec recepit: quæ & meritis ejusdem Sancti liberata recessit. Ut autem virtus morum, prout est superius prælibatum, licet omnis dubitatio amoveri ex subsecutione signorum per divinum judicium videretur, fide apud nos claresceret pleniori, ne miraculorum etiam virtus aliqua fraude posset vel figmento juvari, veritatem rei sollicitius duximus inquirendam. Fidem namque, quam super conversatione ipsius absque figmento hypocrisis fraudulento divinum judicium, ut dictum est, manifeste ostendere videbatur, per testimonium dilecti filii Osberti presbyteri sancti Ægidii Cremonensis, præsentis cum Episcopo memorato, recepto ab eo firmavimus juramento: suâ cujus obtestatione, videlicet juramenti, ipse, qui patrinus ejus existens, per xx. annos & amplius confessionem ejus sæpe receperat, quæ de illius Sancti conversatione præmisimus, cum ipso Episcopo & aliis supradictis, juratis similiter, asseruit esse vera, & de obedientia, quam in orationibus, vigiliis & aliis pœnitentiæ fructibus, quæ sibi ab eo imposita erat, plus injuncto satisfaciens exhibebat, nos reddidit certiores. Ea etiam, quæ de miraculis ipsis fuerant nobis exposita, per juramentum omnium prædictorum, qui propter hoc venerant, fide suscepimus pleniori; assertione ipsius Episcopi sub firmo verbo sacerdotis requisita, in virtute obedientiæ concurrente; non sic divinum & humanum secuti judicium, cum majori procedere securitate possemus.

Cum igitur hæc omnia, tam de probitate morum, quam virtute signorum, ad favorem petitionis, pro qua Episcopus memoratus, & alii supradicti ex parte vestra vehementer instabant, concurrere videremus, de fratrum nostrorum consilio, post multam deliberationem habitam cum eisdem Archiepiscopis & Episcopis, quos super hoc ad consilium nostrum admisimus, de divina misericordia, & ejusdem Sancti meritis confidentes, ipsum Sanctorum catalogo duximus adscribendum; statuentes, ut in die depositionis ipsius, ejusdem festivitas devote a vobis & aliis Christifidelibus annis singulis de cetero celebretur. Inde est, quod universitatem vestram rogamus in Domino & monemus, per Apostolica scripta præcipiendo mandantes, quatenus ejusdem Sancti memoriam, prout dictum est, cum celebritate debita venerantes, ejus apud Deum suffragia humiliter imploretis; per cujus merita ad gaudia æterna pertingere valeatis.

Datum Laterani II. idus Januarii.

N O T A.

* Hanc Bullam reperimus inter epistolas Innocentii III. tomo 1. libro 1. epist. 530. pag. 300. editionis Stephani Baluzii. De Sancto Homobono videndus Laurentius Surius in Vitis Sanctorum die XIII. Novembris, & Baronius in notis ad Martyrologium Romanum eadem die. Bullæ autographum in tabulario civitatis Cremonensis adhuc extare, ait Antonius Campius in sua Cremona libro 1. pag. 27. edit. 1.

IDEM

XXIX.

CONSTIT. XXIX.

A. D. 1200.

IDEM

INNOCENTIUS . III

Sanctarum virginum canoni adscribit Beatam Chunegundem Imperatricem, quæ obiit die III. Martii A. D. 1040.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Venerabili fratri Theumoni Episcopo, & dilectis filiis Capitulo Babenbergensi salutem & Apostolicam benedictionem.

CUM secundum evangelicam veritatem, *nemo accendat lucernam, & ponat illam sub modio, sed super candelabrum, ut omnes, qui in domo sunt, videant*; pium pariter & justum est, ut quos Deus merito sanctitatis coronat & honorat in cœlis, nos venerationis officio laudemus & glorificemus in terris, cum ipse potius laudetur & glorificetur in illis, qui est laudabilis & gloriosus in Sanctis. Pietas enim promissionem habet vitæ, quæ nunc est, & futuræ, dicente Domino per Prophetam: *Dabo vos cunctis populis in laudem, gloriam & honorem*; & per se pollicente: *Fulgebunt justi, sicut sol in regno Patris eorum.* Nam ut suæ virtutis potentiam mirabiliter manifestet, & nostræ salutis causam misericorditer operetur, fideles suos, quos semper coronat in cœlo, frequenter etiam honorat in mundo, ad eorum memorias signa faciens & prodigia, per quæ pravitas confundatur hæretica, & fides catholica confirmetur. Nos ergo, carissimi, quantas possumus, etsi non quantas debemus, omnipotenti Deo gratiarum referimus actiones, qui in diebus nostris ad confirmationem fidei catholicæ & confusionem hæreticæ pravitatis evidenter innovat signa, & miracula potenter immutat, faciens eos coruscare miraculis, qui fidem catholicam tam corde, quam ore, necnon & opere tenuerint.

Const. XXIX. A. D. 1200. Matth. v. 15. Deut. XXVI. 19. Matth. XIII. 43.

Inter quos beatæ memoriæ Kunegundis, Romanorum Imperatrix Augusta, quæ degens olim in mundo, magnis meritis præpollebat, nunc vivens in cœlo multis coruscat miraculis, ut ejus sanctitas certis indiciis comprobetur. Licet enim ad hoc, ut aliquis Sanctus sit apud Deum in Ecclesia triumphante, sola sufficiat finalis perseverantia, testante veritate, quæ dicit: *Quoniam qui perseveravit usque in finem, hic salvus erit*; & iterum: *Esto fideiis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*; ad hoc tamen, ut ipse Sanctus apud homines habeatur in Ecclesia militante, duo sunt necessaria, virtus morum, & virtus signorum, videlicet merita & miracula, ut & hæc & illa sibi invicem contestentur.

Matth. X. 22. Apoc. II. 10.

Non

CONSTIT. XXIX. A. D. 1200. Non enim aut merita sine miraculis, aut miracula sine meritis plene sufficiunt ad perhibendum inter omnes testimonium sanctitati, cum interdum Angelus Satanæ transfiguret se in Angelum lucis, & quidam opera sua faciant, ut ab hominibus videantur. Sed & Magi Pharaonis olim signa fecerunt, & Antichristus tandem prodigia operabitur, ut, si fieri possit, in errores etiam inducantur Electi. Verum cum & merita sana præcedunt, & clara succedunt miracula, certum præbent indicium sanctitatis, ut nos ad ipsius venerationem inducant, quem Deus & meritis præcedentibus, & miraculis subsequentibus exhibet venerandum. Quæ duo ex verbis Evangelistæ plenius colliguntur, qui de Apostolis loquens ajebat: *Illi autem profecti prædicaverunt, ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Marc. XVI. 20.

Sane cum ad audientiam bonæ memoriæ Cœlestini papæ, prædecessoris mei, merita & miracula præfatæ Imperatricis, vobis referentibus, pervenissent, ut ipse de illis notitiam conciperet certiorem, inquisitionem eorum venerabilibus fratribus nostris Augustensi & Eystettensi, & bonæ memoriæ Vvirtzburgensi Episcopis, & dilectis filiis Eboracensi, Lancheimensi & Hailsbrunensi Abbatibus per Apostolica scripta commisit: post cujus obitum usque adeo manifestari cœperunt, & multiplicari miracula, ut ex evidentia pariter & frequentia, sanctitas ejus ab omnibus, quasi notoria, prædicetur, sicut ex multis testimonialibus literis Episcoporum, Abbatum, Præpositorum & Principum, necnon & aliorum multorum nuper nostro exstitit Apostolatui reseratum.

Venientes igitur ad Apostolicam Sedem ex parte vestra dilecti filii D. Abbas Michelveldensis, Gundelus decanus, Cunradus custos, Marcus archidiaconus, Hermannus subdiaconus majoris Ecclesiæ vestræ, Lupoldus diaconus sancti Stephani, Burchardus diaconus sanctæ Mariæ, Henricus presbyter sancti Michaelis, Henricus subdiaconus sanctæ Mariæ, nobis & fratribus nostris humiliter supplicarunt, ut ex plenitudine potestatis, quam Jesus Christus beato Petro concessit, prænominatam Imperatricem Sanctorum catalogo dignaremur adscribere, decernentes, ejus memoriam inter Sanctos ab universis fidelibus de cetero celebrandam, cum hoc sublime judicium ad eum tantum pertineat, qui est beati Petri successor & Vicarius Jesu Christi. Nos itaque cognoscentes, quod hoc revera judicium sublimius est inter cetera judicia judicandum, in ipsius examinatione plenariam voluimus adhibere cautelam: & ideo prænominatos jurisjurandi religione constrinximus, ut puram nobis super hoc dicerent veritatem. Qui jurati dixerunt, quod, sicut ex celebri fama & solemni scriptura noverunt, beata Kunegundis sancto Henrico Imperatori fuit matrimonialiter copulata, sed ab eo non exstitit carnaliter cognita. Unde cum Dominus Imperator ageret in extremis, principibus & parentibus inquit de illa: *qualem mihi eam assignastis, talem vobis eam resigno. Virginem eam dedistis, & virginem reddo.* Suam ergo virginitatem Domino consecravit & servavit intactam, ita quod cum aliquando, instigante humani generis inimico, suspicio quædam contra ipsam fuisset exorta, ipsa, ut suam innocentiam demonstraret, super ignitos vomeres nudis plantis incessit, & processit illæsa. Item sanctus Imperator Henricus & hæc Imperatrix egregia Kunegundis de propriis facultatibus Babenbergensem fundaverunt Ecclesiam & dotaverunt: quam cum suis omnibus pertinentiis ex fervore devotionis, quam ad Apostolicam Sedem habebant, beato Petro Apostolorum principi obtulerunt, annuum ei censum

censum ad indicium, quod juris sit Ecclesiæ Romanæ, solventes; sed & alia plurima beneficia piis locis & venerabilibus Ecclesiis contulerunt, Christum sibi facientes heredem. Hæc & alia retulere de meritis: de miraculis asserentes, quod eis præsentibus & videntibus ad memoriam hujus virginis cæci visum, claudi gressum, muti verbum & surdi recuperaverunt auditum, aliisque languoribus impediti frequenter & evidenter plenam consecuti sunt sanitatem: & quod est mirabilis novitatis & novi miraculi, pulvis de tumulo ejus assumtus sæpe conversus est in frumentum. Nos ergo de meritis & miraculis ejus multis & magnis non solum testimoniis, sed & testibus certiores effecti, cum secundum Prophetam, *laudandus sit Deus in Sanctis suis*; de fratrum nostrorum consilio & pontificum multorum apud Sedem Apostolicam existentium, ipsam beatam virginem Kunegundem catalogo Sanctorum adscripsimus, ejusque memoriam inter Sanctos decrevimus celebrandam. Quapropter universitatem vestram monemus & hortamur in Domino, per Apostolica scripta mandantes, quatenus quod nos solemniter & caute statuimus, vos humiliter & devote servetis, ut meritis ejus & precibus apud misericordissimum Judicem indulgentiam consequamur. Collectam autem & alias orationes in commemoratione ejus dicendas edidimus, quas in hac pagina duximus subscribendas.

CONSTIT. XXIX.

A. D. 1200.

Psal. cl. 1.

ORATIO.

Omnipotens & misericors Deus, qui a gloria tua nullum excipis sexum, nullamque conditionem excludis, te suppliciter exoramus, ut sicut beatæ Kunegundi virgini tuæ post terreni culmen imperii cœlestis regni solium contulisti, ita meritis ejus & precibus, nobis quoque famulis tuis æternæ felicitatis præmia largiaris. Per Dominum &c.

SECRETA.

Sacrificium laudis tuæ tibi, Domine Deus noster, offerimus, tuam clementiam implorantes, ut per hujus Sacramenti virtutem, intercedente beata Kunegunde virgine tua, nos & a peccatis expedias, & a periculis tuearis. Per Dominum &c.

COMPLENDA.

Sacramentum redemtionis humanæ, quod in honore beatæ Kunegundis obtulimus, tibi nos, Domine, reddat acceptos, ut per hoc, quod & accepimus ipsi de tuo, & suscepisti de nostro; in tui semper unione vivamus. Qui cum Patre &c.

Datum Laterani III. nonas Aprilis, pontificatus nostri anno tertio.

NOTA.

Exstat hæc Bulla in Sæculo VI. Benedictino parte I. pag. 465. inque Actis Bollandianis to. I. Martii pag. 281. Odoricus Raynaldus in Annalibus A. D. 1200. §. 44. eam contractam adducit. De hac sancta Virgine, sancti Henrici I. Imp. uxore, agitur etiam in Annalibus Benedictinis to. IV. præsertim pag. 421. §. XCVIII.

CONSTIT. XXX.
A. D. 1203.

XXX.

IDEM

INNOCENTIUS . III

Sanctorum confeſſorum pontificum canoni adſcribit Beatum Vvlstanum Vvigornienſem in Anglia Epiſcopum, qui obiit die XIX. Januarii A. D. 1095.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Venerabili fratri Epiſcopo, & dilectis filiis Capitulo Vvigornienſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Const. XXX. A. D. 1203.

CUM ſecundum Evangelicam veritatem *&c. ut in ſecundo libro Regeſtorum, uſque*. Inter quos piæ memoriæ Vvulſtanus Vvigornienſis Epiſcopus degens olim in mundo magnis meritis præpollebat, & nunc vivens in cœlo multis coruſcat miraculis, ut ejus ſanctitas certis indiciis comprobetur *&c. in eodem modo, uſque*. Sane cum olim ad audientiam noſtram tanti viri merita & miracula perveniſſent, maturius procedere cupientes, cum divinum ſit judicium hujuſmodi potius, quam humanum, venerabili fratri Cantuarienſi Archiepiſcopo & Epiſcopo Helienſi, & dilectis filiis, ſancti Edmundi, & de Vviburno Abbatibus, dedimus in mandatis, ut ad Vvigornienſem Eccleſiam pariter accedentes, univerſo collegio veſtro & populo civitatis jejunium indicerent triduanum, infra quod omnes unanimiter peteretis ab eo, qui via, veritas eſt, & vita, aperiri ſuper hoc viam veritatis ad vitam, & deinde non per teſtimonia tantum, ſed per teſtes & famam vulgatam, & ſcripturam authenticam de virtute morum, & virtute ſignorum, operibus videlicet, & miraculis, diligenter inquirerent veritatem, & nobis fideliter intimarent. Ipſi ergo cum ad Vvigornienſem Eccleſiam acceſſiſſent, juxta mandatum Apoſtolicum proceſſerunt: & quaſi pauca de multis miraculis ejus, ſuper quibus teſtes depoſuere jurati, & in quorum teſtimonio tota civitas acclamabat, ſcripturam quoque authenticam de vita ipſius, ante centum annos Anglicana lingua conſcriptam, ſub ſigillis ſuis, per te, frater Epiſcope, nobis dirigere curarunt: qui poſtmodum in noſtra præſentia conſtitutus, nobis humiliter ſupplicaſti, ut prædictum Epiſcopum adſcriberemus Sanctorum catalogo venerandum. Patuit ergo nobis per ſcripturam authenticam & depoſitiones teſtium, quod ad ſepulcrum ejus muti loquelam, leproſus mundationem, hydropicus & paralyticus receperant ſanitatem, & quod quamplura miracula Dominus invocantibus nomen ejus, & prædicti Epiſcopi, jugiter operatur. Quare de meritis, & miraculis ejus multis & magnis, non ſolum teſtimoniis, ſed & teſtibus certiores effecti, cum, ſecundum Prophetam, *laudandus ſit Deus in Sanctis ſuis*, Pſalm. CL. 1.

de

de fratrum nostrorum consilio, ipsum beatum pontificem & confessorem Vvulstanum catalogo Sanctorum adscripsimus, ejusque memoriam inter Sanctos decrevimus celebrandam. Quapropter universitatem vestram monemus & exhortamur in Domino, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus quod nos solemniter & caute statuimus, vos humiliter & devote servetis, ut meritis ejus, & precibus apud misericordissimum Judicem nos & vos indulgentiam consequamur. Collectam autem in commemoratione ejus dicendam edidimus, quam in hac pagina duximus subscribendam. CONSTIT. XXXI. A. D. 1208.

ORATIO.

Spiritum nobis Domine tuæ caritatis infunde, ut intercedente beato Vvulstano confessore tuo atque pontifice tuam mereamur dulcedinem in æterna felicitate gustare. Per Dominum &c.

Datum Ferentini secundo Idus Maji.

NOTA.

Raynaldus A. D. 1203. §. 62. has literas adducit ex Innocentii III. Regestis M. SS. Vaticanis libro VI. epist. LXII. *pontificatus anno VI.* De sancto *Vulstano*, qui etiam *Vvolstanus*, & *Ulstanus*, vide Mabillonium de eo agentem Sæculo VI. Benedictino parte II. pag. 836. inque Annalibus tomo V. pag. 346. & Pagium juniorem to. III. Breviarii pag. 184. Quæ desunt initio Bullæ, sunt parvi momenti. Ea tamen congruere videntur Bullæ antecedenti XXIX. de sancta Chunegunde. Alibi enim reperiri non potuerunt. De hoc sancto Præsule agit etiam Alfordus to. IV. præsertim pag. 142. §. XXV.

XXXI.

IDEM

INNOCENTIUS. III

Sancti Christi *Martyris* elogium tribuit B. Petro de Castronovo in Gallia Narbonensi, monacho Cisterciensi, Legato Apostolico, & contra hæreticos Albigenses fidei Inquisitori, qui gladiis impiorum occubuit die XVI. Februarii A. D. 1208.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Venerabilibus fratribus, Narbonensi, Arelatensi, Ebredunensi, Aquensi & Viennensi Archiepiscopis, eorumque suffraganeis salutem & Apostolicam benedictionem.

Ne nos ejus tangeret increpatio, qui per hominis pigri agrum, & vineam viri stulti pertransiens, quod totam urticæ repleverint, exprobravit, primo quasi mane nostræ promotionis, ac deinde per ordinem evangelicæ vicis exivimus, ut in Dominicam vineam, nostræ culturæ commissam, operarios mitteremus. Attendentes ergo jamdudum, CONST. XXXI. A. D. 1208.

 quod

CONSTIT. XXXI. A. D. 1208. Sep. IV. 3. quod in Provincia nimis creverant plantaria vitiorum, *ne spuria vitulamina radices mitterent altiores*, viros illuc idoneos destinavimus, qui de vinea Domini Sabaoth avellerent inutilia,& utilia propagarent, capientes vulpeculas, quæ moliuntur ipsam vineam demoliri. Ipsi vero profecti repererunt ibi, secundum Apostoli verbum, homines pestilentes, qui doctrinam sanam minime sustinebant, sed ad sua potius desideria magistros coacervabant erroris. Propter, quod nuncios veritatis suis esse contrarios operibus arbitrati, usque adeo sævierunt in illos, ut ipsos proculdubio videatur prænuncia Salvatoris conquestio tetigisse, dicentis: *Ecce ego mitto ad vos sapientes & scribas, & ex eis occidetis &c.* Matt. XXIII. 34.

Sane rem audivimus detestabilem, & in communem luctum generalis Ecclesiæ deducendam, quod, cum sanctæ memoriæ frater Petrus de Castronovo, monachus & sacerdos, vir inter viros utique virtuosos, vita, scientia & fama præclarus, ad evangelizandum pacem, & astruendam fidem in eandem Provinciam a nobis cum aliis destinatus, in commisso sibi ministerio laudabiliter profecisset & proficere non cessaret; quippe qui plene in schola Christi didicerat quod doceret, & eum,qui secundum doctrinam est,fidelem obtinendo sermonem, in sana poterat exhortari doctrina, & contradicentes revincere,paratus semper omni poscenti reddere rationem, utpote vir in fide catholicus, in lege peritus,& in sermone facundus,concitavit adversus eum Diabolus ministrum suum Comitem Tolosanum, qui cum pro multis & magnis excessibus, quos in Ecclesiam commiserat & in Deum, sæpe censuram ecclesiasticam incurrisset, & sæpe, sicut homo versipellis & callidus, lubricus & inconstans, pœnitudine simulata, fuerit absolutus, tandem odium continere non prævalens, quod conceperat contra ipsum, ex eo, quod non erat in ejus ore verbum Domini alligatum: *ad faciendam vindictam in nationibus & increpationes in populis*, ac eo fortius in eodem, quo magis pro majoribus erat ipse facinoribus increpandus, tam eum, quam collegam ipsius, Apostolicæ Sedis Legatos, ad villam sancti Ægidii convocavit, promittens super cunctis, quibus impetebatur capitulis satisfactionem plenariam exhibere. Psal. CXLIX. 7.

Cum autem convenientibus illis,in villa prædicta præfatus Comes salutaria monita sibi facta, modo, velut verax & facilis, promitteret se facturum, & modo, velut fallax & durus, ea prorsus efficere recusaret, volentibus illis demum ab eadem villa recedere, mortem est publice comminatus, dicens, quod quocunque vel per terram diverterent, vel per aquam, vigilanter eorum observaret egressum: & confestim factis dicta compensans, complices suos ad exquisitas insidias destinavit. Cumque nec ad preces dilecti filii Abbatis sancti Ægidii, nec instantiam Consulum & Burgensium, furoris sui mitigari vesania potuisset, ipsi eos,invito Comite,nimiumque dolente,cum armatæ manus præsidio prope ripam Rhodani deduxerunt; ubi nocte quieverunt instante, quibusdam ejusdem Comitis satellitibus,ipsis prorsus ignotis hospitantibus cum eisdem, qui, sicut apparuit, in effectu, sanguinem inquirebant ipsorum. In crastinum itaque mane facto, & missa celebrata de more, cum innocui Christi milites ad transitum fluminis se pararent, unus de prædictis Satanæ satellitibus lanceam suam vibrans, prænominatum Petrum,supra Christum,petram,immobili firmitate fundatum,tantæ proditionis incautum,inter costas posterius vulneravit: qui prius in impium respiciens percussorem, & Christi magistri sui cum beato Stephano secutus

secutus exemplum, dixit ad ipsum: *Deus tibi dimittat, quia ego dimitto*, pietatis & patientiæ tantæ verbum sæpius repetendo. Deinde sic transfixus, acerbitatem illati vulneris spe cœlestium est oblitus, & in instanti suæ pretiosæ mortis articulo, cum ministerii sui sociis, quæ fidem non promoverent & pacem, non desinens ordinare, post multas demum orationes, in Christo feliciter obdormivit. Qui profecto cum ob fidem & pacem, quibus nulla prorsus est causa laudabilior ad martyrium, sanguinem suum fuderit, claris jam, ut credimus, miraculis coruscasset, nisi hoc illorum incredulitas impediret, dequorum similibus in Evangelio legitur, *quod Jesus non faciebat ibi virtutes multas propter incredulitatem eorum*: quia, quamquam linguæ non fidelibus, sed infidelibus sint in signum, Salvator tamen præsentatus Herodi, qui, teste Luca, valde gavisus est viso ipso, pro eo quod signum aliquod videre fieri ab illo sperabat, & facere dedignatus est signum, & reddere interroganti responsum, sciens, quod in operatione signorum non credulitatis inductio, sed vanitatis illum admiratio delectabat.

CONSTIT. XXXI. A. D. 1208.

Matth. XIII. 58.

Licet autem illa prava & perversa generatio non sit digna, ut tam cito, sicut forsitan ipsa quærit, de suo sibi martyre detur signum, expediisse tamen credimus ei, ut unus iste pro ipsa, ne tota pereat, moreretur: quæ contagio hæreticæ pravitatis infecta per interpellantem occisi sanguinem a suo melius revocetur errore, quam vivus eam potuerit revocare. Hoc est enim vetus artificium Jesu Christi, hoc miraculosum ingenium Salvatoris, ut, cum in suis victus esse putatur, tunc vincat fortius in eisdem, & ea virtute, qua ipse mortem moriendo destruxit, a superatis interdum famulis suis superatores eorum faciat superari. Nisi enim granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, cum autem mortuum fuerit, plurimum fructum affert. Sperantes igitur, quod de morte hujus fœcundissimi grani multus sit fructus in Christi Ecclesia proventurus, cum profecto sit dure culpabilis & culpabiliter durus, cujus animam ipsius gladius non pertransiit; neque unquam penitus desperantes, quin utilitas tanta debeat in sanguine suo esse, quod suæ sanctæ prædicationis initiis circa memoratam Provinciam, pro qua ipse in corruptionem descendit, optata Deus tribuat incrementa, fraternitatem vestram monemus attentius & propensius exhortamur, per Spiritum sanctum in virtute obedientiæ districte præcipiendo mandantes, quatenus verbum pacis & fidei seminatum ab eo, vestræ prædicationis irriguis coalescere facientes, & ad expugnandam hæreticam pravitatem, ac fidem catholicam confirmandam extirpando vitia, & seminando virtutes, indefessæ studio sedulitatis instantes, jamdictum Dei famuli occisorem, & universos, quorum ope vel opera, consilio vel favore tantum facinus perpetravit, receptatores quoque vel defensores ipsius ex parte omnipotentis Dei Patris & Filii & Spiritus sancti, auctoritate quoque beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, ac nostra, excommunicatos & anathematizatos per universas vestras diœceses nuncietis, & omnia loca prorsus, ad quæ ipsi vel aliquis eorum devenerint, præsentibus eis interdicto faciatis ecclesiastico subjacere, singulis diebus dominicis & festivis, pulsatis campanis & candelis accensis, donec ad Sedem Apostolicam accedentes per satisfactionem condignam mereantur absolvi, sententiam hujusmodi solemniter innovantes. Illis autem, qui orthodoxæ fidei zelo succensi ad vindicandum sanguinem justum, qui de terra clamare non cessat ad cœlum, donec ad confundendum subversos & subversores

CONSTIT. XXXI.

A. D. 1208.

de cœlo descendat ad terram Dominus ultionum, viriliter se accinxerint adversus hujusmodi pestilentes, qui simul in unum & pacem & veritatem impugnant, suorum remissionem peccaminum a Deo, ejusque Vicario secure promittatis indultam, ut eis labor hujusmodi ad operis satisfactionem sufficiat super illis offensis, pro quibus cordis contritionem & oris confessionem veram obtulerint vero Deo. Hujusmodi siquidem pestilentes non tantum jam nostra diripere, sed nos perimere moliuntur; nec solum ad perimendum animas, linguas acuunt, verum etiam ad perdendum corpora manus extendunt, perversores animarum effecti, & corporum peremptores.

Licet autem præfatus Comes pro multis & magnis flagitiis, quæ longum esset per singula enarrare, jamdudum sit anathematis mucrone percussus, quia tamen certis indiciis mortis Sancti viri præsumitur esse reus, non solum ex eo, quod publice comminatus est ei mortem, & insidias paravit eidem; verum etiam ex eo quod, sicut asseritur, occisorem ipsius in multam familiaritatem admisit, & magnis donis remuneravit eundem, ut de ceteris præsumptionibus taceamus, quæ nobis plenius innotescunt, ob hanc quoque causam anathematizatum eum publice nuntietis. Et cum juxta Sanctorum Patrum canonicas sanctiones ei, qui Deo fidem non servat, fides servanda non sit, a communione fidelium segregato, utpote qui vitandus est potius, quam fovendus, omnes, qui dicto Comiti fidelitatis seu societatis, aut fœderis hujusmodi juramento tenentur astricti, auctoritate Apostolica denuntietis ab eo interim absolutos, & cuilibet catholico viro licere, salvo jure domini principalis, non solum persequi personam ejusdem, verum etiam occupare ac detinere terram ipsius, illo præsertim obtentu, quod ab hæresi per suam prudentiam fortiter expietur, qua per illius nequitiam fuit hactenus turpiter maculata; quia dignum est, ut manus omnium contra ipsum insurgant, cujus manus extitit contra omnes. Quod si nec sic vexatio sibi dederit intellectum, manus nostras in eum curabimus fortius aggravare. Si quando vero satisfactionem promiserit exhibere, procul dubio ipsum hæc pœnitudinis suæ signa præmittere oportebit, ut de toto penitus posse suo depellat pravitatis hæreticæ sectatores, & se paci satagat conciliare fraternæ, cum principaliter propter culpam, quam in utroque noscitur commisisse, in eum ecclesiastica fuerit prolata censura; quamquam si suas Dominus iniquitates voluerit observare, vix possit congrue satisfacere, non tantummodo pro se ipso, sed pro alia multitudine, quam in laqueum damnationis induxit.

Quia vero, secundum sententiam veritatis, timendi non sunt qui corpus occidunt, sed qui potest corpus & animam mittere in gehennam, confidimus & speramus in eo, qui, ut a fidelibus suis timorem mortis auferret, mortuus, die tertia resurrexit, quod præfati hominis Demors venerabili fratri nostro Conseranensi Episcopo & dilecto filio Abbati Cisterciensi, Apostolicæ Sedis Legatis, aliisque orthodoxæ fidei sectatoribus non solum timorem non incutiet, sed accendet amorem – ut ejus exemplo, qui vitam æternam temporali morte feliciter est mercatus, animas suas in tam glorioso certamine, si necesse fuerit, pro Christo ponere non formident. Unde consulimus & monemus, preces præceptis & præcepta precibus inculcantes, quatenus Legatorum ipsorum salubribus monitis & mandatis efficaciter intendentes, tamquam strenui commilitones assistatis eisdem in omnibus, quæ propter hoc vobis duxerint injungenda; scientes, quod sententiam, quam ipsi,

ipsi, non solum in rebelles, sed etiam in desides, promulgaverint, nos ratam haberi præcipimus & inviolabiliter observari. CONSTIT. XXXII. A. D. 1208.
Datum Laterani.

XXXII.

IDEM

INNOCENTIUS. III

DE EADEM RE

Ad Proceres Galliæ Narbonensis.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Dilectis & nobilibus viris, Comitibus, Baronibus & universis militibus per Narbonensem, Arelatensem, Ebredunensem, Aquensem & Viennensem provincias constitutis salutem & Apostolicam benedictionem.

REM crudelem audivimus, & in communem luctum generalis Ecclesiæ deducendam; quod cum sanctæ memoriæ frater Petrus de Castronovo, monachus & sacerdos, vir inter viros utique virtuosus, vita, scientia & fama præclarus, ad evangelizandum pacem & confirmandam fidem in provincia Occitania cum aliis destinatus, in commisso sibi ministerio laudabiliter profecisset & proficere non cessaret: quippe qui plene in schola Christi didicerat quod doceret; & eum, qui secundum doctrinam est, fidelem obtinendo sermonem, in sana poterat exhortari doctrina, & contradicentes revincere, paratus omni poscenti reddere rationem, ut poterat vir in fide catholicus, in lege peritus, in sermone facundus; concitavit adversus ipsum Diabolus ministrum suum Comitem Tolosanum Raymundum, qui cum pro multis & magnis excessibus, quos in Ecclesiam commiserat & in Deum, sæpe censuram ecclesiasticam incurrisset, & sæpe, sicut homo versipellis & callidus, lubricus & inconstans, pœnitudine simulata, fuerat absolutus; tandem odium continere non prævalens, quod cœperat contra ipsum, eo quod noverat in ore ejus verbum veritatis *ad faciendam vindictam in nationibus, & increpationes in populis*; ac eo fortius in eodem Comite, quo magis pro majoribus erat ipse facinoribus increpandus, tam eum, quam collegam suum, Apostolicæ Sedis Legatos ad villam sancti Ægidii convocavit, promittens super cunctis, quibus impetebatur capitulis, satisfactionem plenariam exhibere. Const. XXXII. A. D. 1208. Psal. CXLIX. 7.

Cum autem convenientibus illis in villam prædictam præfatus Comes salutaria monita sibi facta, modo velut verax & facilis, promitteret se facturum, & modo, velut fallax & durus ea prorsus facere recusaret; volentibus illis demum ab eadem villa recedere, mortem est publice comminatus, dicens, quod quocunque vel per terram divertant, vel

per

CONSTIT. XXXII. A. D. 1208. per aquam, diligenter eorum observaret egressum. Et confestim dictis facta compensans, complices suos ad exquisitas insidias destinavit. Cumque vero nec precibus dilecti filii Abbatis sancti Ægidii, nec instantia Consulum & Burgensium, furoris sui mitigari insania potuisset; ipsi eos, invito Comite, nimiumque dolente, cum armatæ manus præsidio, prope ripam Rhodani fluvii deduxerunt, ubi nocte quieverunt instante, quibusdam ejusdem Comitis satellitibus, ipsis prorsus ignotis hospitantibus cum eisdem; qui sicut apparuit in effectu, sanguinem quærebant eorum.

In crastino itaque mane facto, & missa celebrata de more, cum innocui Christi milites ad transitum se fluminis præpararent, unus de prædictis Satanæ satellitibus lanceam suam vibrans, prænominatum Petrum, supra Christum petram, immobili firmitate fundatum, tantæ proditionis incautum inter costas inferius vulneravit. Qui prius ipsum respiciens percussorem, & Christi magistri sui cum beato Stephano secutus exemplum, dixit ad ipsum: *Deus tibi dimittat, quia ego dimitto*, pietatis & patientiæ verbum sæpius repetendo. Deinde sic transfixus, ne acerbitatem quidem illati vulneris spe cœlestium est oblitus: & instanti suæ pretiosæ mortis articulo, cum ministerii sui sociis quæ fidem promoverent & pacem, non desinens ordinare, post justas orationes in Christo, feliciter obdormivit. Qui profecto cum ob fidem & pacem, quibus nulla est prorsus causa laudabilior ad martyrium, sanguinem suum fuderit, claris jam, ut eredimus, miraculis coruscasset, nisi hoc illorum incredulitas impediret, de quorum similibus in Evangelio legitur, *quia ibi virtutes Jesus non faciebat multas propter incredulitatem eorum*: quia, quanquam linguæ non fidelibus, sed infidelibus sint in signum; Salvator tamen præsentatus Herodi, qui, teste Luca, *Valde gavisus est viso ipso* pro eo, quod signum aliquod ab eo fieri sperabat: & facere dedignatus est signum, & reddere interroganti responsum, sciens, quia in credibilitate signorum non credulitatis inductio, sed vanitatis illum admiratio delectabat.

Luc. XXIII. 34. Act. VII. 59. Matth. XIII. 58. Luca XXIII. 8.

Licet autem ipsa prava generatio & perversa Provincialium non sit digna, ut tam cito, sicut forsitan ipse quærit, de suo sibi Martyre signum detur; expediisse tamen credimus, ut unus ipse pro ipsa, *ne tota pereat*, *moreretur*: quæ contagio hæreticæ pravitatis infecta per interpellantem occisi sanguinem a suo melius revocetur errore. Hoc est enim vetus sacrificium Jesu Christi, hoc miraculosum ingenium Salvatoris, ut cum in suis esse victus putatur, tunc vincat potius in eisdem, & ea virtute, qua ipse *mortem moriendo destruxit*, a superatis interdum famulis suis superatores eorum faciat superari. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, plurimum fructum affert*. Sperantes igitur, quod de morte hujus fœcundissimi grani sit fructus in Christi Ecclesia proventurus, cum profecto sit dure culpabilis & culpabiliter durus, cujus animam ipsius gladius non pertransit; nec unquam penitus desperantes, cum utilitas tanta debeat in sanguine suo esse, quod suæ prædicationis nunciis circa memoratam Provinciam, pro qua ipse in corruptionem descendit, optata Deus tribuat incrementa.

Jo. XI. 50. In Præfatione de Resurrect. Jo. XII. 24.

Venerabiles fratres nostros Archiepiscopos, eorumque suffraganeos monendos duximus attentius & hortandos per Spiritum sanctum, in virtute obedientiæ districte præcipiendo, ut verbum pacis, & fidei seminatum ab eo, suæ prædicationis irriguis convalescere facientes, & ad

& ad expugnandam hæreticam pravitatem, ac fidem catholicam confirmandam, ad extirpanda vitia, & plantandas virtutes indefesso studio sedulitatis instantes, jam dictum Dei famuli occisorem, & universos, quorum ope vel opere, consilio vel favore tantum facinus perpetravit. Receptatores quoque vel defensores illius, ex parte omnipotentis Dei Patris & Filii & Spiritus sancti, auctoritate quoque beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & nostra, excommunicatos & anathematizatos per suas diœceses denuncient universis, & omnia loca prorsus, ad quæ ipse vel aliquis ipsorum devenerint, præsentibus eis, interdicto faciant ecclesiastico subjacere, singulis diebus dominicis & festivis, pulsatis campanis & candelis accensis, donec ad Sedem Apostolicam accedentes per satisfactionem condignam mereantur absolvi, sententiam hujusmodi solemniter innovantes. CONSTIT. XXVII. A. D. 1208.

Illi autem, qui orthodoxæ fidei zelo succensi, ad vindicandum sanguinem justum, *qui de terra clamare non cessat ad cœlum*, donec ad confundendum subversos & subversores de cœlo descendat ad terram Deus ultionum, viriliter se accinxerint adversus hos pestilentes, suorum remissionem peccaminum a Deo, ejusque Vicario secure promittant indultam, ut eis labor hujusmodi ad operis satisfactionem sufficiat similiter pro illis offensis, pro quibus cordis contritionem, & veram confessionem oris obtulerint vero Deo. Hujusmodi siquidem pestilentes Provinciales non tam nostra diripere, sed nos perimere moliuntur: nec solum ad perimendas animas linguas acuunt; verum etiam ad perdenda corpora manus extendunt, proditores animarum effecti, & corporum peremptores. Gen. IV. 10.

Licet autem præfatus Comes pro multis & magnis flagitiis, quæ longum esset per omnia enarrare jamdudum sit anathematis mucrone percussus: quia tamen certis indiciis mortis Sancti viri præsumitur esse reus, non solum ex eo, quod publice comminatus est ei mortem, & insidias paravit eidem; verum etiam ex eo, quod occisorem ipsius in multam familiaritatem admisit, & magnis donis remuneravit eundem, ut de ceteris præsumptionibus taceamus, quæ plenius innotescunt multis; ob hanc quoque causam iidem Archiepiscopi & Episcopi publice nuncient anathematizatum eundem. Et cum, juxta sanctorum Patrum canonicas sanctiones, ei, qui fidem Deo non servat, fides servanda non sit, a communione fidelium segregato, utpote qui vitandus est, potius quam fovendus; omnes, qui dicto Comiti fidelitatis seu societatis, aut fœderis hujusmodi juramento tenentur adstricti, auctoritate Apostolica denunceint interim absolutos, & cuilibet catholico viro licere, salvo jure Domino principali, non solum persequi personam ejusdem; verum etiam occupare & detinere terram ipsius, illius præsertim obtentu, quod ab hæresi per suam prudentiam fortiter expietur, quæ per ipsius nequitiam fuit hactenus turpiter sauciata & maculata: quia dignum est, ut manus omnium contra ipsum consurgant, cujus manus extitit contra omnes.

Quod si nec sic vexatio dederit intellectum, manus nostras in eo curabimus aggravare. Si quo modo vero satisfactionem promiserit exhibere, ipsum pœnitudinis suæ hæc signa præmittere oportebit, ut de toto posse suo depellat pravitatis hæreticæ sectatores, & se paci satagat conciliare fraternæ; eum principaliter propter culpam, quam in utroque noscitur commisisse, in eum ecclesiastica fuerit prolata censura. Quanquam si in suas iniquitates Deus voluerit observare, vix possit congrue satisfa-

CONSTIT. XXXII. A. D. 1208. satisfacere, non tantummodo pro se ipso, sed pro alia multitudine, quam in laqueum damnationis induxit. Quia vero secundum sententiam veritatis, *timendi non sunt qui corpus occidunt, sed ille, qui potest* (Matth. x. 26.) *mittere corpus & animam in gehennam*, confidimus & speramus in eo, qui, ut a fidelibus suis timorem mortis auferret, mortuus die tertia resurrexit, quod præfati hominis Dei mors venerabili fratri nostro Consoranensi Episcopo, & dilecto filio A. Abbati Cisterciensi, Apostolicæ Sedis Legatis, aliisque orthodoxæ fidei sectatoribus non solum timorem non incutiet, sed amorem accendet, ut ejus exemplo, qui vitam æternam temporali morte feliciter est mercatus, animas suas in tam glorioso certamine, si necesse fuerit, pro Christo ponere non formident.

Unde Archiepiscopis & Episcopis consulendum duximus admovendo preces præceptis, præcepta precibus inculcantes, ut Legatorum ipsorum salubribus monitis & mandatis efficaciter intendentes, tanquam strenuissimi commilitones assistant eisdem in omnibus, quæ propter hæc ipsis duxerint injungenda: scientes, quod sententiam, quam ipsi non solum in rebelles, sed etiam in desides promulgaverint, nos ratam haberi præcipimus, & inviolabiliter observari.

Eja igitur, Christi milites, eja, strenui militiæ christianæ tirones, moveat vos generalis Ecclesiæ gemitus, succendat vos ad tantam Dei vindicandam injuriam pius zelus. Mementote, quia Creator noster nostri non indiguit, cum nos fecit, qui quanquam nostro servitio non indigeat, ut quasi per illud minus in agendo quicquid voluerit, fatigetur, & sua omnipotentia minor sit, obsequio nostro carens; occasionem tamen in hoc articulo nobis tribuit acceptabiliter serviendi. Cum igitur post interfectionem præfati justi, Ecclesia, quæ in partibus illis est absque consolatore in tristitia & mœrore sedente, fides evanuisse, periisse pax, hæretica pestis & hostilis rabies fortius invaluisse dicatur: ac si potenter in ejus novitate, procellæ non succurratur eidem, pene penitus videbitur navis Ecclesiæ naufragari, universitatem vestram monemus, attentius, & propensius exhortamur, ac in tantæ necessitatis articulo in virtute Christi confidenter injungimus, & in remissionem peccaminum indulgemus, quatenus tantis malis occurrere non tardetis, & ad pacificandum gentes illas in eo, qui est Deus pacis & dilectionis, intendere procuretis: & quibuscumque modis revelaverit vobis Deus, hæreticam ibi studeatis perfidiam abolere; sectatores ipsius eo, quam Saracenos securius, quo pejores sunt illis, in manu forti, & extento brachio impugnando.

Prænominatum etiam Comitem, qui quasi fœdus percussisset cum eadem morte, propria non recogitat, si forte vexatio sibi tribuat intelle- (Psal. LXXXII. 17.) ctum, & impleta facies ejus ignominia incipiat inquirere nomen Dei, ad satisfaciendum nobis, & Ecclesiæ, imo Deo, pondere non desinatis inductæ super eum oppressionis urgere, ipsum, & fautores ejusdem de castris Domini depellendo, & auferendo terras eorum, in quibus, relegatis hæreticis, habitatores catholici subrogentur, qui juxta orthodoxæ fidei nostræ disciplinam in sanctitate & in justitia serviant coram Deo.

Datum Laterani VII. idus Martii, pontificatus nostri anno XI.

N O T A.

Posteriores has literas integras dedimus ex Bollando to. I. Martii die V. pag. 414. Priores vero ex libro XI. epist. XXVI. Innocentii III. editionis Baluzianæ tomo II. pag. 147. Eas dederat, licet alicubi minus exacte, etiam Raynaldus A. D. 1208. §. 15. & Angelus Manriquius in Annalibus Cisterciensibus to. III. A. D. 1208. cap. II. pag. 484. quem postea de miraculis hujus sancti Martyris, agentem adi A. D. 1209. cap. VI. §. VI II. pag. 507. & Raynaldum A. D. 1212. §. 13. Sed omnino vide Bollandum loco indicato. Ceterum Claudius Castellanus in Martyrologio universali pag. 732. beati Petri martyrium illigavit diei XVI. Februarii.

HONO-

CONSTIT. XXXIII.
A. D. 1218.

XXXIII.

HONORIUS . III

Sanctorum confessorum pontificum canoni adscribit Beatum Vuillhelmum, Bituricensem Archiepiscopum in Gallia Aquitanica, qui obiit die x. Januarii A. D. 1209.

HONORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Dilectis filiis clero & populo Bituricensi salutem & Apostolicam benedictionem.

ETsi electi dicantur pauci respectu multitudinis vocatorum, non est tamen aliquatenus dubitandum, quin ex tanto fidelium numero eligatur maxima multitudo. Nam & Prophetæ conquerenti, se solum esse relictum, omnibus aliis interemptis, est responsum a Domino: *reliqui mihi septem millia virorum, qui ante Baal genua non curvaverunt*. Et beatus Evangelista Johannes, cum revelatum sibi numerum signatorum ex duodecim Tribubus conspexisset, vidit *turbam magnam, quæ dinumerari non poterat, amictam stolis candidis & tenentem palmas in manibus coram Domino*. Porro justus & misericors Dominus fideles suos, quos prædestinavit ad vitam omnes quidem coronans in patria, quosdam eorum, secundum altitudinem divitiarum sapientiæ ac misericordiæ suæ, glorificat & in via, ut frigescentem jam in pluribus caritatis igniculum accendat mirabilium novitate signorum, & pravitatem confundat hæreticam, dum ad catholicorum tumulos faciens miracula pullulare, manifeste demonstrat, eos habuisse, dum viverent, fidem rectam. Ipso igitur, piæ recordationis Vuillhelmum Bituricensem Archiepiscopum, quem in vita non solum virtutibus, sed etiam signorum ostensionibus insigniverat, faciente post obitum crebrioribus miraculis coruscare, venerabilis frater noster Archiepiscopus, & dilecti filii canonici Bituricenses ipsum per Apostolicam Sedem adscribi Sanctorum catalogo instanti devotione ac devota instantia multoties petierunt.

Const. XXXIII. A. D. 1218.

Rom. xi. 4.

Apoc. vii. 9.

Cum autem necessaria maturitate diu suspensa fuisset petitio eorumdem eo quod, cum hujusmodi judicium divinum sit potius, quam humanum, difficile est mortalem hominem judicare de illis, qui, veste mortalitatis exuti, cum Christo creduntur vivere ac regnare; demum ipsis propter miraculorum frequentiam, petitionem prædictam humiliter replicantibus, nos, ne ministerium nostrum divinæ dignationi, mirificanti servum suum, subtrahere videremur, venerabili

CONSTIT. XXXIII. A. D. 1218.

fratri nostro Antissiodorensi Episcopo, & dilectis filiis Boniradii & Callovienſi Abbatibus Cisterciensis ordinis, dedimus in mandatis, ut cum opera pietatis in vita & miraculorum signa post mortem ad hoc, quod quis reputetur Sanctus in militanti Ecclesia requirantur, licet ad sanctitatem animæ opera sola sufficiant in Ecclesia triumphanti, diligentissime inquirerent de utroque, & quæ invenirent, fideliter redigentes in scripta, ea nobis transmitterent sub suorum munimine sigillorum, quatenus per eorum relationem instructi, in negotio ipso securius, Domino inspirante, procedere valeremus: qui primo, juxta mandati nostri tenorem, de illius conversatione ac vita, ac deinde de miraculis inquisitionem facientes per legitimos testes & omni exceptione majores, adstrictos juramenti vinculo, diligentem, invenerunt, ipsum sanctæ conversationis odorem aliis fuisse dum viveret, & insignium miraculorum multitudine post obitum claruisse: quæ tum quia vobis nota sunt, tum quia pro sui multitudine non possent sub brevitate narrari, præsenti paginæ non duximus inserenda, melius æstimantes scripturo gloriosam ejus historiam universa relinquere, quam paucis auctoritatem bullæ nostræ appositione præstando, eam reliquis quodammodo derogare.

Ipsis autem miraculis, quæ inquisitores prædicti nobis sub suis sigillis inclusa, prout in mandatis receperant, transmiserunt, examinatis per quosdam de fratribus nostris penitus & diligenter, ea demum in pleno consistorio fecimus solemniter recitari, & cum sanctitatem morum, & signorum virtutem ad favorem petitionis, pro qua prædicti Archiepiscopus & Canonici una cum Episcopis & Prælatis Bituricensis provinciæ, aliisque quampluribus vehementer instabant, concurrere videremus, divinum & humanum sequuti judicium, de fratrum nostrorum consilio post multam deliberationem habitam cum eisdem, necnon cum Archiepiscopis & Episcopis, tunc exsistentibus apud Sedem Apostolicam, quos ad consilium nostrum admisimus, de divina misericordia, & ejusdem Sancti meritis confidentes, ipsum Sanctorum catalogo duximus adscribendum, statuentes, ut in die depositionis ipsius ejusdem festivitas devote a vobis & aliis Christifidelibus annis singulis de cetero celebretur.

Quocirca devotionem vestram monemus in Domino, & hortamur, per Apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes, quatenus ejusdem Sancti memoriam cum celebritate debita venerantes, ejus apud Deum suffragia humiliter imploretis.

Datum Romæ apud sanctum Petrum decimo sexto Kalendas Junii, pontificatus nostri anno secundo.

IDEM

CONSTIT. XXXIV. A. D. 1218.

XXXIV.

IDEM

HONORIUS III

DE EADEM RE

Ad omnes Catholicos.

HONORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Universis Christifidelibus præsentem paginam inspecturis salutem & Apostolicam benedictionem.

Divinæ benignitas pietatis Sanctos & electos suos, in cœlestis regni felicitate locatos, ad hoc in terra miraculorum coruscatione clarificat, ut fidelium per hoc excitata devotio, eorum suffragia digna veneratione deposcat. Unde cum beatum Vvillhelmum, Bituricensem Archiepiscopum, quem Dominus claris, sicut nobis constitit, miraculis illustravit, Sanctorum catalogo adscripserimus, monemus universitatem vestram in Domino, & hortamur, quatenus ejus apud Deum patrocinia devotis mentibus imploretis. Cum autem ejus venerabile corpus sit de loco, in quo est, ad alium transferendum, nos de beatorum Petri & Pauli, & ipsius gloriosi confessoris meritis confidentes, universis, qui ad solemnitatem translationis ejus ipso die, quo transferetur, & etiam infra octavas cum devotione convenerint, quadraginta dies de injunctis sibi pœnitentiis relaxamus, omnibus, qui ad ejusdem translationis solemnitatem futuris annis ipso translationis die reverenter accesserint, eamdem indulgentiam concedentes. — Const. XXXIV. A. D. 1218.

Datum Romæ apud sanctum Petrum decimo sexto Kalendas Junii, pontificatus nostri anno secundo.

NOTA:

Quum Raynaldus A. D. 1218. §. 33. mutilas adduxerit superiores Honorii III. literas, posteriores vero tantum indicaverit, nos integras utrasque protulimus ex Regestis M. SS. tabularii Vaticani. De hoc Sancto antistite, qui pro varia gentium pronunciatione, *Vvillhelmus*, *Vvilhelmus*, *Guilhelmus*, *Guillelmus* & *Guilielmus*, Italice *Guglielmo*, scribi consuevit, videndus Angelus Manriquius sparsim in Annalibus Cisterciensibus tomo III. Bollandus tomo I. Januarii pag. 627. Dionysius Sammarthanus, in Gallia Christiana tomo II. pag. 61. editionis novæ, & Pagius junior in Breviario tomo II. pag. 237. Notandum est porro hunc Guillelmum primo fuisse Suessionensem, tum Parisiensem canonicum, inde ordini Grandimontensi, mox Cisterciensi nomen dedisse. Postea factus est Abbas Belliloci, & tandem Archiepiscopus Bituricensis.

CONSTIT. XXXV.
A. D. 1220.

XXXV.

IDEM

HONORIUS III

Sanctorum confessorum pontificum canoni adscribit BEATUM HUGONEM ex Priore Carthusiæ Lincolnienſem in Anglia Episcopum, qui obiit die XVII. Novembris A. D. 1200.

HONORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Universis Christifidelibus præsentem paginam inspecturis salutem & Apostolicam benedictionem.

CONST. XXXV. A. D. 1220.

DIvinæ dignatio pietatis Sanctos & electos suos in cœlestis regni felicitate locatos, adhuc in terra miraculorum coruscatione clarificat, ut fidelium per hoc excitata devotio, eorum suffragia digna veneratione deposcat. Cum igitur sanctæ recordationis Hugonem Lincolnienſem Episcopum, quem, ſicut nobis plenarie conſtat, divini muneris largitas, tam in vita, quam etiam poſt veſtem mortalitatis exutam, inſignium miraculorum multitudine illuſtravit, Sanctorum catalogo adſcripſerimus, univerſitatem veſtram monemus & exhortamur in Domino, quatenus ejus apud Deum patrocinia devote imploretis, ad hæc ſtatuentes, ut die depoſitionis ipſius, ejuſdem feſtivitas annis ſingulis devote de cetero celebretur.

Datum Viterbii XIII. Kal. Martii, pontificatus noſtri anno quarto.

NOTA.

Perbreves has Honorii III. literas de canonizatione beati Hugonis Lincolnienſis Epiſcopi nobis ſervavit Matthæus Paris in Hiſtoria Anglorum libro III. A. D. 1220. pag. 309. editionis Londinenſis anni 1640. Fuit autem *Hugo* genere Burgundus, & Carthuſiæ Anglicanæ Prior, conſecratus Epiſcopus A.D. 1186. ex eodem ſcriptore libro II. pag. 143. De ſancti Hugonis vita & miraculis eundem Matthæum agentem conſule pag. 202. 203. 204. 205. 309. Vide etiam Raynaldum tomo XIII. Annalium A. D. 1199. §. 61. A. D. 1200. §. 18. 19. 20. A. D. 1219. §. 41. 42. A. D. 1220. §. 47. A. D. 1221. §. 49. & Baronium ad Martyrologium Romanum die XVII. Novembris. Camillus Tutinus in proſpectu Hiſtoriæ Carthuſianæ pag. 44. ſancti Hugonis canonizationem male illigavit A. D. 1219. De eo poſt Baronium A. D. 1186. §. XVII. XVIII. XIX. A. D. 1189. §. III. IV. V. VI. A. D. 1191. §. XLV. XLVI. XLVII. A. D. 1194. §. IV. V. & A. D. 1195. §. XII. agit Alfordus in Annalibus Britannicis to. IV. pag. 330. §. XVI. & Pagius uterque; ſenior quidem A. D. 1194. §. II. junior vero in Breviario tomo III. pag. 240.

IDEM

CONSTIT. XXXVI. A. D. 1224.

XXXVI.
IDEM
HONORIUS . III

Sanctorum confessorum canoni adscribit Beatum Vvillhelmum, Canonicum regularem Congregationis sancti Victoris Parisiensis & Abbatem Roschildensem in Dania, qui obiit die VI. Aprilis A. D. 1203.

HONORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Universis Christifidelibus per regnum Daciæ constitutis salutem & Apostolicam benedictionem.

SAcrosancta Ecclesia, divina luce perfusa, per orbem terrarum longe, lateque radios suæ illustrationis emittit, dum in Sanctis suis mirabilis Dominus vitam sanctam eorum, qui seminaverunt in lacrymis, miraculorum virtute confirmat, signisque sequentibus indicat quod eis splendorem pro meritis tribuit sempiternum, ostendens thesauri sui divitias, in vasa misericordiæ, justificando prædestinatos, & glorificando justos, quos in gloriam præparavit. Constit. XXXVI. A. D. 1224.

Cum ergo jamdudum sanctæ recordationis Vvillhelmus Abbas monasterii sancti Thomæ, quod dicitur de Paraclito, & quod quodam felici præsagio, hujusmodi videtur sortitum vocabulum ex eventu, cum vere Spiritus Paracliti donum fuerit, quo idem Domini famulus stola beatitudinis est indutus post mortem, cujus dispendium fides devota non patitur, domo lutea in cœleste habitaculum commutata. Quis esset, apparuit, & in præmium meriti præcedentis quia lumen in tenebris latere non poterat, neque civitas posita supra montem abscondi, multis cœpit coruscare miraculis, ut Sanctus ab omnibus haberetur. Expositis nobis vitæ & conversationis ipsius, & quæ Dominus operabatur per eum, miraculorum insigniis, cum debita fuit a venerabilibus fratribus nostris, a quondam Lundensi Archiepiscopo, & Absolensi, & Scariensi Episcopis, instantia supplicatum, ut, quia non erat quod tanto nunciabatur indicio negligendum, & canonizaremus eumdem, & Sanctorum annumerari catalogo faceremus.

Quia vero aliquando vitia sub specie virtutum occulte subintrant, & Angelus Satanæ sæpe se in lucis Angelum simulate transformat, de prædicti famuli Domini vita, fama, & miraculis per prædictum quondam Lundensem Archiepiscopum, approbatæ vitæ virum, timoratum & justum, cui merito erat super hoc adhibenda fides, ac per venerabilem fratrem nostrum P. Rosquildensem Episcopum, & dilectum filium Abbatem de Ervado Cisterciensis ordinis, inquiri mandavimus diligenter: qui de vita, & fama certi, de ipsis tam per se, quam per alios; & de miraculis, tam per eos, in quibus facta fuerant, quam per testes fide dignos, juratos, veritate cognita certos nos reddere curaverunt, eis

cis inter alia exponentibus, quod tanta in isto gratia divinæ benedictionis effulsit, ut ejus suffragiis leprosi mundentur, sanentur ægroti, liberentur Dœmoniaci, aperiatur lingua mutorum, & quod est mirabilius, jam idem sit plurium mortuorum almificus suscitator.

Gaudeat itaque mater Ecclesia, quod cœlestis fabricatur Jerusalem, superni ædificii structura consurgit, nova in templo Dei columna erigitur, novumque produxit misericordia Domini florem, quem cœlesti rore uberius irrigatum mira & suavi ubertate fructuum fœcundavit. Lætari quoque patria vestra debet, & cum jucunditate in laudes assurgere Creatori, quod tanto est exaltata patrono, talemque apud Deum meruit intercessorem habere, per quem nominis sui fama fit celebris latiusque diffunditur, & per cujus suffragium quo vicinius habitatores sui, possunt facilius veniam promereri. Cantet propterea novum Domino Canticum Ecclesia sancti Thomæ de Paraclito, quæ splendore novi luminis confessoris ipsius, requiescentis ibidem, pulchra facta est, & apparuit speciosa. Decet etiam,matrem Ecclesiam ab illius laudibus, quem vitæ beatitudine, signisque ac miraculis beatificatum adeo esse constat in gloria, non vacare, sed ei potius debitum honorem exsolvere, ac votis impendere sacramenta. Quare nos, quibus, licet immeritis, a Domino est Ecclesia gubernanda commissa, super vita, fama & miraculis præfati viri Domini, per dilectum filium nostrum G. sancti Theodori Diaconum Cardinalem, qui legationis officium in partibus illis exercuit, certiores effecti, ne velle videremur quod lateret lucerna sub modio, quæ supra condelabrum esse debet, sicque inutiliter Christi essemus Vicarii, si non faceremus, ut venerarentur fideles illum, quem Sanctorum splendor Dominus tot & tantis fulgentem miraculis ineffabili disposuit providentia venerandum, ipsum de fratrum nostrorum & multorum Prælatorum apud Sedem Apostolicam consistentium, canonizavimus consilio, & Sanctorum statuimus catalogo adscribendum.

Quocirca universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus sollicite attendentes quantum terram vestram Dominus honoravit, & speciali quadam prærogativa decoris regnum Daciæ insignivit, dum, mundo posito in maligno, & malitia hominum excrescente, virum sibi exinde Sanctum, qui pro peccatis omnium intercessor fieret, praelegit, vos, in quorum partibus tam sacri muneris thesaurus habetur, cum ex hoc tota patria nostra, tamquam sibi peculiaris, ejus sit suffragiis specialius commendata, prænominatum Sanctum Domini confessorem tota devotione, totoque studio venerari curetis, eum dignis tanto confessore laudum præconiis extollentes; ita quod ipse devoti sibi populi se gaudeat esse patronum, & vos ejus mereamini apud Deum intercessionibus adjuvari, docentes alios per exemplum quantum esse debeat celebris apud illos confessoris memoria gloriosa. Et quidem si diligenter attenditis hunc honorem gratiarum, exsolvetis assiduas largitori bonorum omnium actiones, uti ex impensa patriæ vestræ tantæ benedictionis gratia potestis merito & debetis vos cognoscere debitores.

Datum Laterani duodecimo Kalendas Februarii anno octavo.

N O T A.

Has literas damus ex Honorii III. Vaticanis Regestis M.SS. quum Raynaldus A.D. 1224. §. 30. eas non integras dederit. De hoc sancto viro consule Aprilem Bollandianum to. 1. pag. 621. *Daciæ* porro nomine inferiori ætate *Daniam* passim dictam invenies. V. Antonium Michaelem Baudrandum in Geographia to. 1. V. *Dacia*.

IDEM

XXXVII.

CONSTIT. XXXVII. A. D. 1225.

IDEM

HONORIUS . III

Sanctorum confessorum pontificum canoni adscribit Beatum Laurentium, Dublinensem in Hibernia Archiepiscopum, qui obiit die XIV. Novembris A. D. 1181.

HONORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Universis Christifidelibus in Rotomagensi provincia constitutis salutem & Apostolicam benedictionem.

INeffabilis providentia Dei, congruentia singulis quibusque temporibus ordinate dispensans, in splendoribus Sanctorum Ecclesiam, quasi ex utero, genuit, dum eos in exordio ipsius nascentis Ecclesiæ crebra miraculorum coruscatione mirificans, & in ipsorum miraculorum fulgore obstupefaciens gentes, ac prædestinatos in fide generans Jesu Christi, in cujus hæc fieri nomine ac virtute videbant, ipsos filiorum adoptionis numero aggregavit. Const. XXXVII. A. D. 1225.

Deinde crescente fidelium numero & multitudine, populi vocati de tenebris ambulantes juxta ipsius vaticinium in lumine Domini Dei sui, mirabilis dispensator in pluviam fulgura sua fecit, dum signis sive miraculis, quæ non erant jam fidelibus necessaria, intermissis, super novos populos, Pastores, qui eos pascerent scientia & doctrina, sicut per os Hieremiæ promiserat, suscitavit, Doctores Ecclesiæ scilicet, qui terram cordis fidelium imbre doctrinæ complerent, & exstirpatis sentibus vitiorum, eam ad proferendum virtutum germen & fructum hujusmodi operis, fœcundarent.

Ceterum quia caritate frigescente, ab exercitio hujusmodi boni operis torpet catholicus, errore devio abducente, delirat hæreticus, cœcutit, velamine adhuc super cor permanente, Judæus, & in tenebris ambulat, sidere lucis nondum sibi oriente, paganus; misericors Dominus, qui neminem vult perire, signa interdum innovat, & mirabilia, miseratus immutat, ex numero illorum, quos in Ecclesia triumphante glorificat, aliquorum fidem & merita in militante miraculis declarando, ut per ea catholici, mentis torpore discusso, ad boni operis excitentur justitiam, hæretici errore dimisso, ab invio reducantur ad viam, Judæi atque Pagani, vero lumine cognito, de tenebris & umbra mortis currant ad Christum, lucem, viam, veritatem & vitam.

Sanctæ igitur memoriæ Laurentio Dublinensi Archiepiscopo apud Ecclesiam sanctæ Mariæ de Augo Rotomagensis diœcesis, ubi corpus ejus feliciter requiescit, claris divino nomine coruscante miraculis, venerabilis frater noster Archiepiscopus, & dilecti filii capitulum Roto-

CONSTIT. XXXVII.
A.D. 1225.

Rotomagense una cum Abbate & conventu Ecclesiæ supradictæ, multisque aliis Archiepiscopis & Episcopis, Abbatibus & Religiosis viris, ejus venerabilis vitæ insignia & coruscantia miracula suis nobis literis intimantes, humiliter supplicarunt, ut ipsum Sanctorum catalogo adscribere curaremus, quatenus auctoritate Apostolica dignus honor illi exhiberetur in terris, qui sic claris signis & evidentibus argumentis apparet honoratus in cœlis.

Licet igitur quod divina honorat dignatio, humana devotio prompto effectu debeat honorare; volentes tamen in hujusmodi negocio, secundum consuetudinem Apostolicæ Sedis, cum digna maturitate procedere, præfato Archiepiscopo, & N. Decano, & N. Thesaurario Rotomagensi dedimus in mandatis, ut super dicti viri vita & miraculis inquirerent diligentissime veritatem, & eam nobis fideliter intimarent, ut ea plene comperta, pio supplicantium desiderio securius annuere valeremus.

Ipsi autem mandatum nostrum cum diligentia exequentes, quia de præfati viri conversatione ac vita per homines de partibus illis certificari nequibant, eo quod per partes illas transitum faciens, in Ecclesia prædicta, correptus infirmitate, decubuit, & infra octavum diem ab hac luce migravit; scripsere venerabili fratri nostro Archiepiscopo Dublinensi, ut veritatem super hoc inquisitam, eam per suas literas intimaret: qui citra mare Hibernicum illustris Regis Anglorum negociis occupatus non valens inquirere id per se ipsum, venerabilibus fratribus nostris Parensi Episcopo suffraganeo suo, ac Priori sanctæ Trinitatis Dublinensis commisit in hujusmodi negocio vices suas. Ac demum eorum literas sanctitatem vitæ & conversationis sæpe dicti viri plenius continentes, & ipsorum sigillis munitas destinavit eisdem: quas una cum depositionibus testium super miraculis receptorum nobis sub sigillis propriis transmisere.

Collegimus autem ex ipsarum serie literarum, quod sæpedictus vir Regis & Reginæ Hiberniæ filius exstitit, & ab infantia sacris literis eruditus senilem gessit in juventute gravitatem, & mundanarum illecebras vanitatum a se ultra quam ætas illa solebat, abdicavit.

Deinde in Archiepiscopum Dublinensium assumptus, sic in virtutem de virtute profecit, ut in oratione assiduus, austerus in maceratione proprii corporis, ac in eleemosynarum largitione profusus, se totaliter Domino dedicarit.

Per depositionem vero testium prædictorum constitit evidenter, sanctam vitam ejusdem esse tot sequentibus miraculis comprobatam, quot non parvam texet historiam qui volet ea singula scribere seriatim. Sed ut prætereamus, quod claudi gressum, cœci visum, surdi auditum, muti loquelam, leprosi mundationem, & variis afflicti languoribus sanitatem, ad invocationem ejus nominis receperunt, & hæc sola, quæ inter cetera emicuere, miracula referamus;

Idem Sanctus, immo Dominus ob ipsius merita gloriosa septem mortuos, quorum unus triduanus erat, mirifice suscitavit. De ipsius igitur sanctitate tantis certificati miraculis, divinumque secuti judicium, per quod ejus glorificatio nobis tam evidentibus innotuit argumentis, eumdem beatum virum catalogo Sanctorum adscripsimus, & annumerandum decrevimus Sanctorum collegio confessorum, ac inter eos a Christifidelibus venerandum.

Sta-

Statuentes, ut ejus veneranda festivitas de cetero annis singulis octavodecimo Kalendas Decembris solemniter celebretur. Monemus autem universitatem vestram, & hortamur in Domino, quatenus devotis mentibus collaudantes & studentes proficere tantæ virtutis exemplo, ejusdem gloriosissimi confessoris apud Dominum suffragia humiliter imploretis. CONSTIT. XXXVIII. A. D. 1225.

Nos autem de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui ad præfatam Ecclesiam in die solemnitatis ejusdem gloriosissimi confessoris, vel infra octavas cum devotione accesserint, ejus orationum suffragia petituri, viginti dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus.

Datum Reate tertio idus Decembris, anno decimo.

N O T A.

Has literas ex parte adducit Raynaldus A. D. 1225. §. 39. Sed Laertius Cherubinus totas inseruit Bullario Romano, ubi exstant tomo I. inter Honorianas § VII. De Sancto Laurentio post Baronium A.D. 1179. §. XIV. & A.D. 1181. §. XIV. agit Alfordus to. IV. Parte II. pag. 310. §. XXI. & Pagius junior in Breviario to. III. pag. 149.

XXXVIII.

IDEM

HONORIUS. III

Sanctorum confessorum pontificum canoni adscribit Beatum Vvillhelmum, Eboracensem in Anglia Archiepiscopum, qui obiit die VIII. Junii A. D. 1154.

HONORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Universis Archiepiscopis, & Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, & clericis ac laicis, per Angliam constitutis, salutem & Apostolicam benedictionem.

QUI statuit terminos gentium secundum numerum Angelorum, ut ruinam prævaricatorum spirituum, rectorum hominum suppletione restauraret, volens diversitatem gentium in confessione sui nominis adunare, coæternum scilicet, & consubstantialem filium in uterum immaculatæ Virginis cœlitus irroravit: qui siquidem ex ea, humana carne dignanter assumpta, fons Dei & hominum mediator, CONST. XXXVIII. A. D. 1226.

 Eccle-

CONSTIT. XXXVIII.

A. D. 1226.

Ecclesiam de omnibus gentibus aggregans, & qui de latere suo formans eam, in sanguine suo redemit & lavit, ipsamque, ut sororem diligens & ut sponsam, eamdem sibi junxit invincibili caritate: quæ utique nova semper prole fœcunda, donec impleatur numerus electorum, partim in terra contra hostes multiplices militans, partim in cœlo cum Christo triumphans, hic gratia Redemptoris adjuta, meretur. Unde ibi feliciter coronatur, hic contemplatur per speculum in ænigmate quicquid facie ad faciem ibi cernit. Et quia tanto ibi flagrant ardentius caritate qui divinæ fruuntur dulcedine visionis, quanto eum, qui caritas est, vicinius intuentur, etiam hi certantes, non solum suis orationibus adjuvant apud Deum verum, & miraculorum signis obtinent confortari, quibus ipsi magnifice coruscantes, divinæ gloriæ participes infallibiliter se ostendunt, & dum de fide ad spem, & de spe ad rem, caritate nullatenus decidente, sed potius augmentata, exhibent se feliciter pervenisse, datur promissi præmii certantibus certitudo, & sic finalem in bono perseverantiam efficaciter suadent. Quis enim videns electos Ecclesiæ post finem hujus vitæ felicem, novis coruscare miraculis, capiti ejus, Christo videlicet, non cupiat inseparabiliter adhærere, ut unus spiritus sit cum eo? Aut quomodo ei obsequi denegabit, qui sibi obsequentibus dans virtutes, tanta præmia elargitur, ut heredes quidem Domini, coheredes autem Christi effecti, gloriæ regni cœlestis insignia quæque feliciter obtinentes, miraculose revelentur in terris, & quidquid petierint, fiat eis? Confundantur ergo Judæi, confutentur Hæretici, erubescant Pagani, & peccatores ad pœnitentiam convertantur, dum fidem in Christo credentium tanta remunerati donorum conspiciunt largitione.

Sane venerabilis frater noster Archiepiscopus, & dilecti filii Decanus & Capitulum Eboracense apud nos per literas, & per magisttos G. Pœnitentiarium, & Heliam Bernardi Eboracensem, & Laurentium Aquilegensem Canonicos opportune, importune pluries institere, ut sanctæ memoriæ Vvillhelmum, quondam Eboracensem Archiepiscopum, qui, sicut ex multorum fide dignorum testimoniis apparebat, tanta fulsit gratia meritorum, quod multa per eum Dominus dignatus est gloriosa miracula operari, & post decessum ipsius, corpus ejus multo pluribus dedit mirabilibus coruscare, catalogo Sanctorum adscriberemus in Ecclesia militanti, cum non esset dubium, ipsum in triumphanti a Domino multipliciter honorari. Verum licet fidem testimoniis adhibentes, & famæ jugiter de ipso crescenti credulitatem minime denegantes, libenter vellemus annuere precibus supplicantium; quia tamen in tam sancto & divino negocio non erat nisi cum maturitate plurima procedendum, pluries per viros electos, tam super vita, quam super miraculis Sancti prædicti inquisitionem fieri fecimus diligentem, cum etsi ad sanctitatis existentiam sufficiat perfectio caritatis, ad ostensionem tamen ipsius, miraculorum exhibitio exigatur eo quod & nonnulli justitiam suam faciunt coram hominibus, ut videantur ab eis, & nonnunquam Diabolus se in lucis Angelum transfigurans, illudit hominibus fraudulenter; unde cum inquisitores prædicti, receptis super his quampluribus testibus fide dignis, & examinatis, sicut oportuit, diligenter, nobis ipsius Sancti sanctissimæ vitæ ordinem, & multa & magna miracula, quibus post decessum ejus, ipsum Dominus magnifice illustravit, plene ac plane fideliter retulissent, nos provide attendentes, quod non erat tanta lucerna

ponen-

ponenda sub modio, sed super candelabrum statuenda, cum præter alia miracula, quæ longum esset per singula enarrare, sepulcrum ejus olei ubertate pinguescat, quo ægri quamplures inuncti, a suis infirmitatibus sunt sanati, & quod non est prætereundum silentio, tres mortuos mirifice suscitarit: & quinque cœcos illuminans, uni ex eis, qui in duello devictus. . . . . damnatus, cum ad sepulcrum ipsius Sancti clamaret instanter, & peteret confidenter, ut ei oculos restitueret, quibus injuste ipsum sciebat orbatum, alios novos oculos reddiderit mirabili novitate; ipsum de communi fratrum nostrorum, & aliorum Prælatorum, qui præsentes erant Concilio, adscripsimus, vel potius adscriptum denunciavimus Sanctorum catalogo confessorum, statuentes, ut in anniversario ejus annuatim festum solemniter celebretur. CONSTIT. XXXVIII. A.D. 1226.

Ut igitur tantæ gratiæ gratos, sicut convenit, vos reddatis, universitatem vestram monemus & hortamur attente, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus ejusdem Sancti festum & memoriam veneratione debita recolentes, ipsius apud Deum virtutum suffragia pro vobis & aliis Christifidelibus fiducialiter imploretis. Nos enim de gratia divina, & prædicti Sancti meritis confidentes, omnibus ad Ecclesiam Eboracensem in festo ejus devote convenientibus, quadraginta dies de injuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus.

Datum Laterani decimo quinto Kalendas Aprilis, anno decimo.

N O T A.

Has literas eruimus ex Honorianis Regestis M. SS. tabularii Vaticani. Raynaldus enim A.D. 1226. §. 49. de more, non totas vulgaverat. De Sancto antistite loquentem vide Antonium Pagium A. D. 1154. §. x. xi. & Alfordum in Annalibus Britannicis to. IV. Parte II. pag. 65. 66. Sed ejus gesta fuse descripta reperies in Junio Bollandiano tom. II. pag. 136. ubi tamen de hac ejus pontificia canonizatione nullus est sermo. De illo etiam agentem vide Pagium juniorem in Breviario to. III. pag. 251.

CONSTIT. XXXIX. A.D. 1228.

XXXIX.

GREGORIUS IX

Sanctorum confessorum canoni adscribit Beatum Franciscum ab Assisio in Umbria, ordinis Fratrum minorum institutorem, qui obiit die Sabbato, IV. Octobris A.D. 1225.

GREGORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Venerabilibus fratribus, universis Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Archipresbyteris, Archidiaconis, Decanis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ad quos istæ pervenerint, salutem & Apostolicam benedictionem.

Const. XXXIX. A.D. 1228. MIra circa nos divinæ pietatis dignatio, & inæstimabilis dilectio caritatis, qua filium pro servo tradidit redimendo, dona suæ miserationis non deserens, & vineam dextera ejus plantatam continua protectione conservans, in illam, qui salubriter ipsam excolant, evel- Judic. III. 3. lentes sarculo ac vomere, quo Samgar sexcentos Philistæos percussit, spinas & tribulos ex eadem, operarios etiam in undecima hora transmittit, ut superfluitate palmitum resecata, & vitulaminibus spuriis, radices altas non dantibus, necnon sentibus extirpatis, fructum suavem afferat & jucundum, qui prælo patientiæ defæcatus, in æternitatis cellarium transferatur. Impietate profecto, velut igne, succensa, & frigescente caritate multorum, in ejusdem maceriam diruendam, irruentibus Philistæis potione terrenæ cadentibus voluptatis.

Sap. X. 4. Ecce in hora undecima Dominus, qui cum diluvii aqua terram deleret, justum, per lignum contemptibile gubernavit, super sortem justorum virgam peccantium non relinquens, excitavit servum suum beatum Franciscum, virum utique, secundum cor suum, apud cogitationes divitum lampadem quidem contemptam, sed paratam ad tempus statutum; illam in vineam suam mittens, ut ex ipsa spinas & vepres evelleret, prostratis illam impugnantibus Philistæis, illuminando patriam, & reconciliari Deo, exhortatione sedula commonendo. Qui Judic. XVI. 8. audita interius voce invitantis amici impiger surgens, mundi vincula blandientis, quasi alter Samson, gratia divina præventus dirupit, & 1. Cor. I. 17. spiritu fervoris concepto, asinique arrepta mandibula, prædicatione siquidem simplici, nullis verborum persuasibilium humanæ sapientiæ coloribus adornata, sed tamen Dei virtute potenti, qui infirma mundi eligit, ut fortia quæcumque confundat, non tantum mille, sed multa Psal. CIII. 32. millia Philistinorum, eo qui tangit montes, & fumigant, favente, pro-

prostravit, & in spiritus servitutem redegit, carnis illecebris antea servientes. Quibus, vitiis mortuis, & Deo viventibus, jam non ipsis, quorum pars pessima periit, ex mandibula ipsa egressa copiosa est aqua reficiens, abluens & fœcundans lapsos, sordidos, & arentes, quæ in vitam æternam saliens, absque argento, & commutatione aliqua potest emi, cujus rivuli longe lateque diffusi, vineam irrigant, usque ad mare palmites, & usque ad flumen propagines extendentem. CONSTIT. XXXIX. A. D. 1228. Judic. xv. 17. Isai. lv. 1. Psal. lxxix. 12.

Hic denique patris nostri Abrahæ imitatus vestigia, mente de terra & cognatione sua, necnon domo patris ejus egrediens, iturus in terram, quam sibi Dominus, divina inspiratione monstrarat, ut expeditus curreret ad bravium vocationis cœlestis, & per angustam portam posset facilius introire, sarcinam terrenæ substantiæ deposuit, se illi conformans, qui cum dives esset, pro nobis factus est pauper, eamque dispersit, dedit pauperibus, ut sic ejus justitia in sæculum sæculi permaneret. Et in terram visionis accedens, super unum sibi montium demonstratum, videlicet excellentiam fidei, carnem suam, quasi filiam unigenitam, quæ ipsum interdum deceperat, cum Jephte Domino in holocaustum obtulit, igne supposito caritatis, illam fame, siti, frigore ac nuditate, vigiliis multis, & jejuniis macerando: quæ cum vitiis & concupiscentiis crucifixa dicere poterat cum Apostolo, *vivo ego, jam non ego, vivit autem in me Christus*: quoniam jam non sibi vixerat, sed Christo potius, qui pro peccatis nostris mortuus est, & resurrexit propter justificationem nostram, ut nullatenus peccato ulterius serviamus. Vitia quoque supplantans, & contra mundum, carnem & potestates aereas luctamen assumens viriliter, uxore, villa, bobus, a cœna magna retrahentibus invitatos, penitus abdicatis, cum Jacob, Domino jubente, surrexit, & gratia spiritus septiformis accepta, octoque sibi assistentibus beatitudinibus Evangelicis, Bethel domum Dei, quam seipsum præparavit eidem per quindecim gradus virtutum, qui mystice in psalterio continentur, ascendit, & ibidem altare cordis Domino construens, aromata devotarum orationum obtulit super eo, per manus Angelicas in conspectu Domini deferenda, concivis Angelicus mox futurus. Ne vero sibi soli proficeret in monte, tantummodo Rachel amplexibus inhærendo, contemplationi pulchræ quidem, sed sterili, ad Liæ interdictum descendit cubiculum, minaturus gregem gemellis fœtibus fœcundatum ad interiora deserti pro vitæ pascuis perquirendis, ut illic ubi manna cœlestis dulcedinis reficit, a sæcularium strepitu segregatos cum lacrymarum effusione semina sua mittens, cum exultatione manipulos ad æternitatis horrea reportaret, cum populi sui principibus collocandus corona justitiæ coronatus. Qui nimirum non quæ sua sunt, quærens, sed potius quæ sunt Christi, & eidem, velut apis argumentosa, deserviens, necnon quasi stella matutina in medio nebulæ, & quasi luna plena in diebus suis, & sicut sol in Ecclesia Dei fulgens, lampadem & tubam in manus assumpsit, ut lucentium operum documentis, humiles attraheret ad gratiam, & protervos a noxiis retraheret excessibus dura increpatione terrendo. Ac sic virtute caritatis afflatus in castra Madianitarum, Ecclesiæ judicium declinantium per comtemptum, eo juvante, qui dum virginali utero clauderetur, mundum suo circuibat imperio universum, intrepidus irruit, & abstulit arma, in quibus confidebat fortis armatus, atrium suum custodiens, & distribuit spolia quæ tenebat, ejusque captivitatem captivam reduxit in obsequium Jesu Christi. Hoste itaque triplici in terra positus superato, regno

Gen. xii. 1. Luc. xiii. 24. 2. Cor. viii. 9. Psal. cxi. 9. Gen. xxii. 2. Galat. v. 24. Roman. iv. 25. Luc. xiv. 1. Gen. xxxv. 1. Apoc. viii. 1. Gen. xiii. 1. Psal. lxxv. 1. Phil. ii. 21. Ecclef. l. 6. Jud. vii. 20. Luc. xi. 28. Ephes. iv. 8.

CONSTIT. XXX. X
A. D. 1228.

regno cœlorum vim intulit, & illud rapuit violenter, & post hujus vitæ quamplura gloriosa certamina, mundum triumphans, feliciter migravit ad Dominum, multos præveniens scientia præditos scienter nescius, & sapienter indoctus. *Matth. 11. 12.*

Sane licet ejus vita tam sancta, tam strenua, & præclara sibi sufficeret ad obtinendum consortium Ecclesiæ triumphantis; quia tamen militans, quæ solummodo videt in facie, non præsumit de his, qui de suo foro non sunt, auctoritate propria judicare, ut illos pro vita tantum venerandos assumat, præsertim quia nonnunquam Angelus Satanæ in lucis Angelum se transformat; omnipotens & misericors Deus, de cujus munere venit, quod prædictus famulus Christi digni sibi & laudabiliter deservivit, tantam lucernam absconsam sub modio remanere non patiens, sed eam volens super candelabrum collocari, his, qui sunt in domo luminis solatium præbituram, vitam ejus sibi fuisse acceptam, & ipsius memoriam esse a militanti Ecclesia venerendam, multis & præclaris miraculis declaravit. *2. Cor. 11. 13.* *Matth. 5. 15.*

Cum igitur gloriosæ vitæ ipsius insignia ex multa familiaritate, quam nobiscum habuit in minori officio constitutis, plene cognita nobis essent, & de miraculorum coruscatione multiplici, per testes idoneos nobis facta fuerit plena fides, confidentes per Dei misericordiam, nos & gregem nobis commissum, ejus suffragiis adjuvari, & quem familiarem habuimus in terris, habere patronum in cœlis; habito fratrum nostrorum consilio & assensu, ipsum adscribi decrevimus Sanctorum catalogo venerandum, statuentes, ut quarto nonas Octobris, die videlicet, quo a carnis ergastulo absolutus, ad ætherea regna pervenit, ab universali Ecclesia natalitia ejus devote ac solemniter celebrentur.

Quocirca universitatem vestram rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus die prædicto in commemoratione ipsius, divinis laudibus alacriter insistentes, ejusdem patrocinia humiliter imploretis, ut ipsius intercedentibus meritis, ad ejus mereamini consortium pervenire, illo præstante, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Datum Perusii decimo quarto Kalendas Augusti, pontificatus nostri anno secundo.

IDEM

X L.

IDEM

GREGORIUS . IX

DE EADEM RE

Ad universam Ecclesiam.

GREGORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Venerabilibus fratribus, Archiepiscopis & Episcopis, & dilectis filiis, Abbatibus, Prioribus, Archipresbyteris, Archidiaconis, Decanis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ad quos literæ istæ pervenerint, salutem & Apostolicam benedictionem.

SIcut phialæ aureæ, quas vidit Johannes plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum in conspectu Altissimi, ad abolendum nostrorum criminum corruptelam odorem suavitatis emittunt; ita saluti nostræ credimus plurimum expedire, si eorum in terris celebrem habeamus memoriam, ipsorum merita solemnibus recolendo præconiis, quorum in cœlis speramus intercessionibus assiduis adjuvari. Sane cum de conversatione, vita & meritis beati Francisci institutoris & rectoris ordinis Fratrum minorum, qui juxta consilium Salvatoris, contemptis transitoriis, secundum promissionem ejusdem, ad cœlestia præmia feliciter & æterna pervenit; cujus vita & fama præclara, peccatorum depulsa caligine, ambulantes in regione umbræ mortis, de vitiorum tenebris ad pœnitentiæ vitam vocans, quorum tam virorum, quam mulierum, ad fidem Ecclesiæ roborandam, & confutandam hæreticam pravitatem, vivit adhuc & viget non modica multitudo, iam per vos, quam per multos alios fide dignos, qui miracula, quæ Deus per illius Sancti viri merita operatur, plenius cognoverunt, certiores effecti; auditis etiam ejus virtutibus & miraculorum insigniis, & quod inter carnales spiritualem, & inter homines etiam Angelicam conversationem habuisset: qui corporaliter dissolutus cum Christo esse meruit in cœlestibus, ne ipsius honori debito & gloriæ detrahere quodammo videremur, si glorificatum a Domino permitteremus ulterius humana devotione privari, de fratrum nostrorum consilio, & Prælatorum omnium, qui tunc temporis apud Sedem Apostolicam consistebant, Sanctorum catalogo duximus adscribendum. Cum igitur, sicut lucerna sic arserit hactenus in hoc mundo, quod per Dei gratiam jam non sub modio, sed super candelabrum meruerit collocari, universitatem vestram rogamus, monemus & attentius hortamur per Apostolica scripta mandantes, quatenus devotionem fidelium ad venerationem ipsius salubriter excitantes, festivitatem ejus quarto nonas Octobris annis singulis

Constit. XL. A. D. 1229. Matth. XIX. 29. Matth. V. 16.

CONSTIT. XLI. A. D. 1232.

ſingulis annis ſolemniter celebretis, & pronuncietis conſtituto die ſimiliter celebrandam, ut ejus precibus Dominus exoratus, ſuam nobis tribuat gratiam in præſenti, & gloriam in futuro.

Datum Perusii nono Kalendas Martii, pontificatus noſtri anno ſecundo.

N O T A.

In lemmate ſuperioris Conſtitutionis dormitionem ſancti *Franciſci* locevimus A. D. 1225. *die Sabbati, iv.*
nonas Octobris. Dies *Sabbati* certiſſimus eſt charecter anni 1225. Hoc enim anno *dies Sabbati* concurrit
cum *die iv. Octobris*, litera Dominicali E. Indictione xiii. quæ quidem *dies iv. Octobris* anno inſequenti 1226.
non convenit cum *die Sabbati*, ſed cum *die Dominica*. Franciſcum autem ad ſuperos evolaſſe *quarto nonas*
Octobris, die Sabbati in ſero, ſepultum in die Dominica, teſtatur S. Bonaventura in Vita cap. xv. Hinc extra
omnem dubitationem ponitur, ſanctum *Franciſcum* obiiſſe anno 1225. non 1226. ut ex mendoſa vocula ,
ſexto pro *quinto*, ſive vi. pro v. in idem caput xv. ſancti Bonaventuræ intruſa, cenſuit Lucas Vvaddingus,
perinſignis Minorum hiſtoricus, Annalium tomo 1. A. D. 1226. §. xxxvii. pag. 352. Porro vir Sanctus trien-
nium ab ſuo deceſſu, A. D. 1228. Indict. 1. lit. Dom. B. A. a Gregorio IX. ante diem ix. Julii, pontificatus
anno ii. in confeſſorum canonem Aſſiſii relatus eſt. Ea enim die apud Raynaldum A. D. 1228. §. 36. de
Franciſci canonizatione ab ſe facta literas ſcripſit ad Galliarum Præſules. Aſſiſium vero idem Pontifex ſub
finem Junii, vel *initium Julii* Peruſia proceſſerat; atque inde, ut ait auctor vitæ ejuſdem Pontificis apud
Raynaldum A. D. 1228. §. 33. *poſt triduum* canonizationis, Peruſiam reverſus eſt, ubi *anniverſarium diem*
Innocentii III. celebravit, teſte Richardo a ſancto Germano in Chronico: qui *dies anniverſarius* incidit in
diem xvi. vel xvii. Julii. Bulla canonizationis data non eſt, uti nunc fit, ipſa die magnæ cæremoniæ, ne-
que Aſſiſii; ſed poſtmodum *Peruſiæ* xiv. *Kal. Auguſtas*. Vide Franciſcum Pagium in Breviario tomo iii.
pag. 260. Rerum ſancti Franciſci pleni ſunt omnes libri. Quare ſupervacaneum ducimus hiſtoricos indicare,
qui tanti Dei famuli geſta pertractant. Unus inſtar omnium erit Vvaddingus tomo 1. Annalium. Poſterio-
res Gregorii IX. literæ, quas dedimus ex eodem to. 1. Vvaddingi pag. 400. ſcriptæ ſunt anno inſequenti 1229.
die xxi. Februarii, dum adhuc eſſet in curſu annus ii. pontificatus Gregoriani, incepti a die xix. Martii
elapſi anni 1228. His autem literis Gregorius Peruſiæ ſimiles dederat ad Galliarum Præſules, ſuperius indi-
catas.

X L I.

I D E M

G R E G O R I U S . IX

Sanctorum confeſſorum canoni adſcribit BEATUM ANTONIUM Ulyſſiponenſem, Patavinum nuncupatum, ordinis Fratrum minorum, qui obiit die xiii. Junii A. D. 1230.

GREGORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Venerabilibus fratribus, Archiepiſcopis & Epiſcopis, dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & aliis Eccleſiarum Prælatis præſentem paginam inſpecturis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

CONST. XLI. A. D. 1232. Soph. III. 8. Matth. XIII. 43.

CUM dicat Dominus per Prophetam: *Dabo vos cunctis populis in laudem & gloriam & honorem*; & per ſe polliceatur, quod *juſti, ſicut ſol, in conſpectu Dei fulgebunt*, pium & juſtum eſt, ut, quos Deus merito ſanctitatis coronat & honorat in cœlis, nos venerationis officio laudemus & glorificemus in terris, cum ipſe potius laudetur & glo-

& glorificetur in illis, *qui est laudabilis & gloriosus in sæcula*, & in Sanctis. Ut enim suæ virtutis potentiam mirabiliter manifestet, & nostræ salutis causam misericorditer operetur, fideles suos, quos semper coronat in cœlo, frequenter etiam honorat in sæculo, ad eorum memorias signa faciens & prodigia, per quæ pravitas confundatur hæretica, & fides catholica confirmetur: fideles, mentis torpore discusso, ad boni operis excitentur instantiam, hæretici, depulsa, in qua jacent, cœcitatis caligine, ab invia reducantur ad viam, & Judæi atque Pagani, vero lumine cognito, recurrant ad Christum, lucem, viam, veritatem & vitam. Unde nos, carissimi, & si non quantas debemus, quantas possumus gratias agimus gratiarum omnium largitori, quod diebus nostris ad confirmationem catholicæ fidei, & ad confusionem hæreticæ pravitatis evidenter innovat signa, & mirabilia potenter immutat; faciens illos coruscare miraculis, qui fidem catholicam, tam corde, quam ore, necnon & opere roborarunt. De quorum numero sanctæ memoriæ beatus Antonius, de ordine Fratrum minorum, qui olim degens in sæculo magnis pollebat meritis, nunc vivens in cœlo multis coruscat miraculis, ut ejus sanctitas certis indiciis comprobetur.

CONSTIT. XLI. A. D. 1232. Dan. iii. 56. Jo. xiv, 6.

Cum enim dudum venerabilis frater noster Episcopus, & dilecti filii, Potestas & Commune Paduanorum nobis per nuncios suos & literas humiliter supplicassent, ut cum Dominus eidem Sancto tantam contulerit gloriam, ut ad dandam scientiam primæ stolæ immortalitatis ipsius, & experimentum evidens de secunda; sepulcrum ejus tot & tantis daret coruscare miraculis, quod ejus inter alios Sanctos non invocari suffragia, est indignum, de ipsius miraculis testes recipi mandaremus: nos attendentes, quod licet ad hoc, ut aliquis Sanctus sit apud Deum in Ecclesia triumphante, sola sufficiat finalis perseverantia juxta illud: *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*; ad hoc tamen, ut Sanctus habeatur apud homines in Ecclesia militante, duo sunt necessaria; virtus morum, & veritas signorum; merita videlicet, & miracula, ut hæc & illa sibi ad invicem contestentur, cum nec merita sine miraculis, nec miracula sine meritis plene sufficiant ad perhibendum inter homines testimonium sanctitati. Sed cum merita sana præcedunt, & clara succedunt miracula, certum præbent indicium sanctitatis, ut nos ad ipsius venerationem inducant, quem Deus ex meritis præcedentibus, & signis subsequentibus exhibet venerandum; quæ duo ex verbis Evangelistæ plenius colliguntur: *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Eidem igitur Episcopo, & dilectis filiis, fratri Jordano sancti Benedicti, & J. sancti Augustini, Prioribus ordinis Fratrum Prædicatorum Paduanorum, receptionem testium de miraculis ejusdem Sancti duximus committendam. Nuper autem tam per relationem prædictorum, Episcopi & Priorum, quam per depositiones testium, super hoc receptorum, de ipsius virtutibus & miraculorum insigniis certiores effecti, & experti aliquando per nos ipsos sanctitatem vitæ, & admirabilem conversationem ipsius; utpote qui apud nos fuit aliquando laudabiliter conversatus; eisdem, Episcopo, Potestate ac Communi prædictis per solemnes nuncios suos & literas, nobis cum instantia denuo supplicantibus, quod eundem fratrem Sanctorum catalogo adscribere dignaremur, ut auctoritate (sicut convenit) Apostolica dignus honor illi exhiberetur in terris, qui (sicut claris signis, & evidentibus argumentis apparet) honoratur in cœlis, ipsum, qui corporaliter dissolutus,

Apoc. ii. 10. Marc. xvi. 20.

CONSTIT. XLII. A. D. 1232. cum Christo esse meruit in cœlestibus, ne illius honori debito & gloriæ detrahere quodammodo videremur, si glorificatum a Domino, permitteremus ulterius humana devotione privari, de fratrum nostrorum consilio, & Prælatorum omnium, tunc apud Sedem Apostolicam existentium, catalogo Sanctorum duximus adscribendum.

Matth. v. 15. Cum igitur secundum evangelicam veritatem, *nemo accendat lucernam, & ponat eam sub modio, sed super candelabrum, ut omnes, qui in domo sunt, lumen videant*, & prædicti Sancti lucerna sic arserit hactenus in hoc mundo, quod per Dei gratiam jam non sub modio, sed super candelabrum meruerit collocari; universitatem vestram rogamus, monemus attentius, & hortamur, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus devotionem fidelium ad venerationem ipsius salubriter excitantes, festivitatem ipsius idibus Junii annis singulis celebretis, & faciatis solemniter celebrari, ut ejusdem precibus Dominus exoratus, gratiam in præsenti, & gloriam nobis tribuat in futuro. Nos autem cupientes sepulcrum tanti confessoris, qui miraculorum fulgoribus illustrat Ecclesiam generalem, congruis honoribus frequentari, omnibus vere pœnitentibus & confessis, illud in festivitate ipsius usque ad octavum diem annis singulis cum reverentia debita visitantibus, de omnipotentis Dei misericordia & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, auctoritate confisi, annum unum de injuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus.

Datum Spoleti tertio nonas Junii, pontificatus nostri anno sexto.

XLII.
IDEM
GREGORIUS IX
DE EADEM RE
Ad Ecclesiæ Præsules, & Patavinos.
GREGORIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

Venerabilibus fratribus, Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis filiis Potestati & populo Paduano, salutem & Apostolicam benedictionem.

CONST. XLII. A. D. 1232. Literas, quas per dilectos filios, G. Priorem sanctæ Mariæ de Monte Crucis Archidiaconum & Canonicum, fratrem Gerardum, & fratrem Spinabellum, ac nobiles viros Schinellam & Robertum Comites, Paschalem & Carolum, Paduanos, nuncios vestros vestra nobis devotio destinavit, paterna benignitate recepimus, & tam ipsarum seriem, quam ea, quæ nobis ex parte vestra iidem prudenter exponere curaverunt, intelleximus diligenter. Ceterum cum tam per easdem literas, quam

quam per ipsos nuncios nobis duxeritis humiliter supplicandum, ut, cum Dominus tantam sanctæ memoriæ beato Antonio contulerit gloriam, ut (ad dandam scientiam primæ stolæ immortalitatis illius, & certum indicium de secunda) sepulcrum ejus tot & tantis det coruscare miraculis, quod ejus inter alios Sanctos non invocari suffragia est indignum; ipsum Sanctorum catalogo adscribere curaremus.

Nos, etsi Romana Ecclesia in tam sancto negocio non sic subito, sed cum gravitate & maturitate plurima consueverit procedere hactenus; tamen sinceræ fidei vestræ zelum & devotionem, quam ad nos & eamdem Ecclesiam habere noscimini, attendentes; ad confundendam hæreticam pravitatem, & fidem catholicam roborandam, ipsum catalogo Sanctorum, ex fratrum nostrorum consilio, & omnium Prælatorum apud Sedem Apostolicam existentium, duximus adscribendum. Volentes igitur, ut civitas Paduana, quasi lucerna super candelabrum posita, lumen præbeat aliis per exemplum; universitatem vestram rogamus, monemus attentius, & hortamur, ac in remissionem vobis injungimus peccatorum; quatenus in timore divini nominis, & amore ac devotione Apostolicæ Sedis immutabiliter persistatis. Nos enim, cum vos geramus in visceribus Jesu Christi, ad honorem & profectum vestrum libenter, quantum cum Deo poterimus, intendemus.

Datum Spoleti Kalendis Junii, pontificatus nostri anno sexto.

N O T A.

Gregorius IX. die xxx. Maji A. D. 1232. Spoleti in Umbria consistens, beatum Antonium, *Patavinum* à loco dormitionis appellatum, qui anno proxime elapso 1231. die XIII. Junii decesserat, Sanctorum canoni adscripsit. Literæ decretales paulo post a Gregorio ipso ibidem vulgatæ fuerunt die III. Junii, licet Cherubinus eas adnectat Kalendis Juniis anni insequentis 1233. Sed vide Raynaldum A. D. 1232. §. 34. 35. De magno hoc Dei servo, post Vvaddingum to. I. Annalium, fuse agunt socii Bollandiani to. II. Junii pag 703. & strictim Pagius junior to. III. pag. 269. Ceterum priorem illam Constitutionem, licet serius vulgatam, huic posteriori, triduo citius editæ, præponi voluimus, quum ea sit magis universalis, quam hæc posterior, quæ quodammodo est particularis. Utrasque literas jam adductas, exhibent Hagiologi Bollandiani pag. 723. Porro civitatem *Patavium*, in provincia Venetia positam, inferiori ævo *Paduam* appellatam omnes norunt. Caussam vide apud Laurentium Pignorium in Originibus Patavinis pag. 110.

CONSTIT. XLIII. A. D. 1233.

XLIII.

IDEM

GREGORIUS . IX

Sanctorum confessorum pontificum canoni adscribit Beatum Virgilium, Salisburgensem in Norico seu Bavaria Episcopum, & Carinthiorum Apostolum, qui obiit die xxvii. Novembris A. D. 780.

GREGORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Universis Christifidelibus, ad quos literæ istæ pervenerint, salutem & Apostolicam benedictionem.

Const. xliii. A. D. 1233. Apoc. v. 8.

SIcut phialæ aureæ, quas vidit Johannes plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum in conspectu Altissimi, ad abolendam nostrorum criminum corruptelam odorem suavitatis emittunt; ita saluti nostræ credimus plurimum expedire, si eorum celebrem in terris habeamus memoriam, ipsorum merita solemnibus recolendo præconiis, quorum in cœlis speramus intercessionibus assiduis adjuvari. Sane de conversatione vitæ, & meritis beati Virgilii, quondam Salzburgensis Archiepiscopi *, atque de ipsius virtutibus & miraculorum insigniis, cui Dominus tantam contulit gratiam, ut ad dandam scientiam primæ stolæ immortalitatis ipsius, & experimentum evidens de secunda, sepulcrum ejus tot & tantis daret coruscare miraculis, quod ejus inter alios Sanctos non invocari suffragia est indignum, per depositiones testium, super hoc receptorum certiores effecti, ac attendentes, esse conveniens, ut sic ei auctoritate Apostolica dignus honor exhibeatur in terris, sicut claris signis & evidentibus argumentis apparet honoratus in cœlis; ipsum, qui corporaliter dissolutus, cum Christo esse meruit in cœlestibus, ne illius honori debito & gloriæ detrahere quodammodo videremur, si glorificatum a Domino, permitteremus ulterius humana devotione privari; de fratrum nostrorum & Prælatorum, qui tunc erant apud Sedem Apostolicam constituti, consilio, Sanctorum catalogo duximus adscribendum, statuentes ut v. Kalendas Decembris, videlicet quo, carnis ergastulo absolutus, ad cœlestia regna pervenit, ab universali Ecclesia natalitia ejus devote ac solemniter celebrentur.

* Episcopi

Quocirca universitatem vestram rogamus, monemus & hortamur in Domino, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus die prædicto, in commemoratione ipsius, Domino assurgatis in laudes, ejus patrocinia humiliter implorantes, ut annua solemnitate memoriam recolentes

ipsius,

ipsius, ejus suffragantibus meritis spiritualium consequamini gratiam gaudiorum. Nos autem cupientes, sepulcrum tanti confessoris, qui miraculorum fulgoribus illustrat Ecclesiam generalem, congruis honoribus frequentari, omnibus vere pœnitentibus & confessis, illud in festivitate ipsius usque ad octavum diem annis singulis cum reverentia visitantibus, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, auctoritate confisi, quadraginta dies de injuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus. CONSTIT. XLIII. A. D. 1233.

Datum Laterani decimo quarto Kalendas Julii, anno septimo.

N O T A.

Harum literarum partem adduxit Raynaldus A. D. 1233. §. 55. Nos totas damus ex Gregorii IX. Regestis M.SS. Vaticanis. Sancti Virgilii gesta fuse exponuntur in Sæculo III. Benedictino parte II. pag. 308. De eo agitur quoque in Annalibus Benedictinis to. II. variis in locis, ubi Mabillonius pag. 274. quinquennio serius, quam in Sæculo III. nempe A. D. 785. ejus obitum locat. Sed errorem esse tradit Carolus Cointius in Annalibus Francorum A.D. 780. §. XII. Scribitur autem *Salzburgum*, *Saltzburgum* & *Salisburgum*, quæ urbs prius *Juvavia* dicebatur. Mabillonius de hac Virgilii canonizatione omnino silet. Ei demortuo successit Arno Abbas Elnonensis in Belgio, *sextus* Episcopus, ex eodem Mabillonio in Annalibus to. II. pag. 274. qui quidem Arno fuit *primus Archiepiscopus*, ab Leone III. Pontifice postea constitutus A. D. 798. Vide Cointii Annales tomo VI. pag. 652. & Antonium Pagium eodem anno §. V. Hoc post 400. & eo amplius annos fortasse ignorabatur tempore canonizationis, unde factum, ut Virgilius ipse, qui *Episcopus* primo *Archiepiscopo* Arnoni præcesserat, *Archiepiscopus* ante ipsum Arnonem fuisse diceretur.

IDEM

CONSTIT. XLIV.
A. D. 1234.

XLIV.

IDEM

GREGORIUS . IX

Sanctorum confessorum canoni adscribit Beatum Dominicum a Calaroga, opido Hispaniæ Tarraconensis, nunc regni Castellæ in diœcesi Oxomensi, ordinis Fratrum Prædicatorum sub regula S. Augustini institutorem, qui obiit die VI. Augusti A. D. 1221.

GREGORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Venerabilibus fratribus, Archiepiscopis & Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Archidiaconis, Archipresbyteris, Decanis, Præpositis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ad quos literæ istæ pervenerint, salutem & Apostolicam benedictionem.

Const. XLIV. A. D. 1234.

Fons sapientiæ, Verbum Patris Dominus Jesus Christus, cujus natura bonitas, opus misericordia, redimens & renovans quos creavit: qui vineam, quam de Ægypto transtulit, usque ad consummationem sæculi non relinquit; sapienter signa propter instabiles mentes innovat, & mirabilia contra diffidentiam incredulitatis immutat, dum in Ecclesiæ nascentis exordio post obitum Moysi, videlicet finem legis; ascensurus equos, & in Evangeliorum quadrigis, quæ vere *sunt sanitas*, arcu sacri eloquii, quem, donec Judæus infirmaretur, intenderat, & juramentis, quæ in patribus nobis disposuerat, suscitatis, confidentiam *Iericho*, gloriam mundi, quem prædicationis fremitu, obstupefactis gentibus, vicerat, calcaturus, viam equis suis in mari faceret, *& in Rahab* salutem, latitudinis gentium *signo coccineo* figuraret. In prima quadrigarum quatuor, *egredientium*, in Zacharia, *de medio duorum montium æreorum* protulit *equos rufos*, populorum principes, fortes terræ: qui per obedientiam fidei Deo Abraham, patris credentium, in fundamentum novi fœderis adhærentes; ad ducis instar, *tinctis de Bosra*, id est tribulationis angustia, *vestibus*, cuncta suæ signa militiæ rubricarunt, ut pro futuræ gloriæ gaudio præsentem gladium non timentes, effecti martyres, idest testes novæ legis, libro confessionis voce subscriberent, & forinsecis miraculorum signis, ad stipulationum robur appositis, librum & tabernaculum, quod Deus, & non homo fixit, ac Evangelici vasa ministerii, non brutorum, sed rationabilium hostiarum sanguine tingerent: & in universam spaciosi maris faciem sagena prædicationis expansa, multiplicatam super numerum de cunctis, quæ sub cœlo sunt, nationibus Ecclesiam congregarent.

[Margin: Prov. XIII. 17. — Jos. II. 1. 18. 21. — Zach. VI. 1. — Isa. LXIII. 1.]

Sed

Sed quia præſumptio multitudinem, & malitia ſubſecuta eſt liberta- CONSTIT. XLIV.
tem, in *quadriga ſecunda* ſub colore, qui lugentibus & pœnitentibus
congruit, equeſtrem cuneum deputavit, qui ad clauſtrale deſertum A. D. 1234.
ductus per ſpiritum ſub novi Iſraelis auriga, ſanctiſſimo Benedicto, ve-
lut ſub altero Heliſæo, *filii Prophetarum* communis vitæ bonum, oc- IV. Reg. II. 3.
caſione multitudinis perditum, in jucundæ cohabitationis grata ſocie-
tate reſtituit, & ſic unitatis ſciſſum rete reficiens, ac per opera pie-
tatis ad terram Aquilonis, *unde omne malum panditur*, proficiſcens, Jerem. I. 14.
eum fecit in *ingreſſis theſauros nivis*, & contritis corde quieſcere: qui Job. XXXVIII. 22.
dedignatur in corpore peccatis ſubdito habitare: poſt quos quaſi laſ-
ſum renovaturus exercitum, & redditurus jubilum poſt lamentum,
applicitis ad *quadrigam tertiam equis albis*, Fratribus Ciſtercienſis
ordinis, & Florenſis, velut tonſarum greges, geminæ caritatis fœtibus
uberes, de pœnitentiæ lavacro fecit aſcendere, ſancto Bernardo, ariete
ovium in virtute ſpiritus, qua ex alto indutus extitit, & in abundan-
tia frumenti vallium, præeunte, ut tranſeuntes liberati per eum, in
fortitudine clament ad Dominum, dicant hymnum, & ponant caſtra Dei
exercituum ſuper mare.

Novo igitur *Iſraele* his tribus *agminibus*, turmis totidem, quas I. Reg. XVII. 10.
Philiſthiim fecerant, occurrente hora undecima, cum dies jam decli-
naſſet ad veſperum; & propter iniquitatis abundantiam, caritate plu-
rimum frigeſcente, vergeret juſtitiæ radius ad occaſum, quia vineam,
ad quam paterfamilias operarios diverſis temporibus, denarii conductos
conventione, præmiſerat, & quam ſua dextera plantarat, non ſolum
vitiorum vepres & ſpinæ pervaſerant; ſed jam propemodum vulpe-
culæ demolientes, convertere in alienæ vitis amaritudinem intende-
bant, adverſus infeſtiſſimam multitudinem, militiam adunare voluit
promptiorem. Et ſicut in præſentiarum cernimus, poſt trium ſignis dif-
ferentium tirocinia quadrigarum, in *quadriga quarta equos varios* &
robuſtos, Prædicatorum & Minorum Fratrum agmina cum electis du-
cibus ſimul in prælium directurus, ſpiritum ſancti Dominici ſuſcitavit,
& ei, velut equo ſuæ gloriæ, præbens fidei fortitudinem & fervorem,
divinæ prædicationis hinnitum circumdedit collo ejus. Qui gerens a
pueritia cor ſenile, ac in mortificatione carnis eligens vivere, vitæ re-
quiſivit auctorem, & Deo deditus, ac in Nazaræum, ſub beati Auguſtini
regula, conſecratus, ſedulum circa ſancta, Samuelis imitatus obſe-
quium, in caſtigatione deſiderii piiſſimum Danielis continuavit affe-
ctum, juſtitiæ ſemitas & ſanctorum vias ſtrenuus athleta cuſtodiens, &
velut ad momentum de tabernaculo Domini, de militantis Eccleſiæ
magiſterio ac miniſterio non diſcedens, carnem ſpiritui, & ſenſualita-
tem ſubjiciens rationi, & factus unus cum Deo ſpiritus, totus in eum
per exceſſum mentis pergere ſtuduit; & ſobriæ compaſſionis ſtudiis, a ca-
ritate proximi non receſſit: quo ſagittante delicias carnium, & fulgu-
rante mentes lapideas impiorum, omnis hæreticorum ſecta contremuit,
omnis Eccleſia fidelium exultavit. Ætate creſcente, crevit & gratia;
quandoquidem inexplicabile gaudium de zelo concipiens animarum,
ad eloquia Dei dedit animum, & per Evangelium Chriſti multos gene-
rans in converſione tam ſtrenuæ multitudinis, evangelicæ dignitatis
officium profitentis nomen & opus in terra meruit obtinere majorum.
Paſtor & dux inclytus in populo Dei factus, novum Prædicatorum
ordinem inſtituit meritis, ordinavit exemplis; nec miraculis confirmare
deſiit evidentibus & probatis.

Nam

CONSTIT. XLIV. A. D. 1234.

Nam præter opera sanctitatis & signa virtutis, quibus in carne positus claruit, diversorum curatis languoribus, loquela mutis, visu cœcis, surdis auditu, gressu paralyticis, & sanitate pristina multarum generibus invalitudinum restitutis, aperte patuit, qualis spiritus in ejusdem sanctissimi gleba corporis habitavit. Cum igitur ex multa familiaritate, quam nobiscum, in minori constitutis officio, habuit, argumenta sanctitatis ipsius ex insignis vitæ testimonio constitissent, essetque postmodum de miraculorum veritate dictorum facta nobis per testes idoneos plena fides;

Nos cum commisso nobis grege Domini confidentes, ejus posse suffragiis per Dei misericordiam adjuvari, ut cujus in terris solatium gratiosæ familiaritatis habere meruimus, ejus in cœlis potenti patrocinio gaudeamus, ipsum de Fratrum nostrorum consilio & assensu, ac omnium tunc apud Sedem Apostolicam consistentium Prælatorum, catalogo Sanctorum adscribi decrevimus;

Statuentes firmiter, ac universitati vestræ præsentibus injungentes, ut nonis Augusti, ante diem, quo, posita carnis sarcina, dives meritis penetravit in sancta, similis Sanctorum factus in gloria, ejus natalitia celebretis & faciatis solemniter celebrari, quatenus ipsius precibus Deus, quem vivens coluit, exoratus, gratiam in præsenti sæculo, & gloriam nobis tribuat in futuro.

Nos vero tanti confessoris venerabilem sepulturam, quæ miraculorum fulgoribus generalem illustrat Ecclesiam, cupientes dignis Christianæ devotionis honoribus frequentari, vere pœnitentibus & confessis, illam in festivitate præfata annis singulis cum devotione ac reverentia debita visitantibus, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, auctoritate confisi, unum annum de injuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus.

Datum Reate quinto nonas Julii, anno octavo.

N O T A.

Sancto Dominico magnificum elogium tribuit Ecclesia Romana in Martyrologio die IV. Augusti: qua die Paulus IV. Pont. Max. solemne ejus festum constitutione edita recolendum sanxit, ne cum festo beatæ Mariæ ad Nives amplius concurreret, quum alias magnus Dei servus die VI. ejusdem mensis Augusti A. D. 1221. Bononiæ obiisset; sed Gregorius IX. ne festum viri sancti cum festo Dominicæ Transfigurationis, tunc quoque eadem die celebrari solito, concurreret, in literis decretalibus, de Dominici canonizatione Reate die III. Julii vulgatis, ejus festum retractum voluit in præcedentem diem V. Augusti; Paulus vero IV. in diem IV. ejusdem mensis ob festum Deiparæ ad Nives, ut dictum est. De antiquitate festi Dominicæ Transfigurationis, a Calixto III. solemni constitutione instaurati, agit Baronius in notis ad Martyrologium Romanum, die VI. Augusti, & Raynaldus A. D. 1457. §. 73. Ceterum tanta fuit præstantissimi hujus confessoris sanctitatis fama, ut Gregorius IX. qui adhuc Cardinalis & Apostolicæ Sedis Legatus sibi eum, æque ac sanctum Franciscum, familiarem habuerat, propriis suis manibus sacras ejusdem exuvias, miris prodigiis venerandas, sepulturæ mandaverit. Mox post Honorium III. ad summum pontificatum evectus, Dominicum, maximis virtutibus & miraculis clarum, Sanctorum canoni adscripsit, sicut antea Franciscum adscripserat. Gesta viri Dei Scriptores multi recensuerunt. Vide interim Laurentii Surii Vitas Sanctorum die V. Augusti, & Raynaldum A.D. 1233. §. 39. & A.D. 1234. §. 24. cum Pagio juniore to. III. pag. 273. donec socii Bollandiani, qui Actis Sanctorum colligendis atque illustrandis sedulam operam navant, mensis Augusti, ad quem properant, cœlites, & cum primis Dominicum, egregiis suis commentariis ornatum, in lucem publicam edant. Mihi tamen hoc loco temperare non possum, quin Italicorum poetarum maximum & antiquissimum, Dantem, memorem, qui in Cantu XI. & XII. Paradisi aureis plane verbis Francisci & Dominici laudes, cedro dignas, pertexit. Utrumque etiam, velut geminam Ecclesiæ columnam, e priscis usque temporibus exhibent vermiculata opera in æde sancti Marci Evangelistæ civitatis Venetiarum. Adi Francisci Sansovini *Venetias* libro I. cap. XCVII. fol. 57. pag. 2. editionis Johannis Stringæ anni 1604. Literas decretales dedimus, quales dedit Abrahamus Bzovius Annalium to. XIII. pag. 434. collatas tamen exacte cum autographo tabularii Vaticani libro VIII. epist. CXLII. unde illarum partem adduxerat Raynaldus A. D. 1234. §. 24. Crebrioribus enim mendis scatent apud Cherubinum.

IDEM

CONSTIT. XLV. A. D. 1235.

X L V.

I D E M

GREGORIUS . IX

Sanctarum viduarum canoni adscribit Beatam Elisabetham, Thuringiæ in Saxonia Landgraviam, & Tertii ordinis Minorum sanctimonialem, quæ obiit die XIX. Novembris A. D. 1231.

GREGORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Archidiaconis, Presbyteris, Decanis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ad quos literæ istæ pervenerint, salutem & Apostolicam benedictionem.

Gloriosus in majestate sua Patris æterni Filius Redemptor noster Dominus Jesus Christus de cœlorum summitate prospiciens conditionis humanæ gloriam, multo concursu miseriæ, cui primi parentis culpa dedit initium, deformatam, ineffabili dispositione providit, ut & virtutem suam sedentibus in umbra mortis exponeret, & in exilio positos ad libertatis patriam revocaret. Igitur quia nulli potius, quam sibi suæ facturæ redemptio competebat (eo quod artifici sit & decens & debitum, ut quocumque casu depereat quod pulchrius finxisse dignoscitur, in statum pristinum suæ virtutis studio restauretur) in exile vasculum, si tamen sit exiguum quod recipit hospitem super omnia spatiosum, scilicet in aulam Virginis, refertam omni plenitudine sanctitatis, de regali throno se conferens, opus inde cunctis visibile protulit, per quod propulso tenebrarum principe, de sui redemptione plasmatis triumphavit, certa relinquens instituta fidelibus, per quæ ipsis ad patriam redderetur transitus expeditus. Constit. XLV. A. D. 1235.

Hujusmodi quidem pietatis seriem beata Elisabeth, ex regali orta progenie, & Thuringiæ Landgravia gratiosa, solerti meditatione considerans, & jam dicta eligens instituta continuis observare studiis, ut dignam perceptione se redderet perpetuæ claritatis, quasi ab ortu vitæ usque ad occasum, virtutum vacando cultui, numquam desiit in caritatis amplexibus delectari. Nam in confessione veræ fidei, vitæque dedita sanctitati, cœlestis Reginæ diligendo filium, per quem dulcedinem consequi posset cœlestium nuptiarum, ita dilexit & proximum, quod amœnum sibi constituens illorum familiarem habere præsentiam,

CONSTIT. XLV. A. D. 1235.

quam eorum inimica corruptio cunctis suggerit effici peregrinam, se in multis sibi reddidit inopem, sollicitam fore pauperibus multipliciter affluentem: quorum ab ætate tenera tutrix esse desiderans & amatrix, eo quod sciret perennis vitæ præmium dilectorum Deo acquiri meritis egenorum, adeo conditionem ipsorum gratam sibi constituit, quam naturaliter sæcularis elatio vilipendit, quod etiam licitis sibi deliciis, quas offerebat status excellentia conjugalis, deductis pluries in contemptum, corpus delicatum & tenerum reddebat assiduæ parsimoniæ studio maceratum, tanto sibi meriti quantitate proficiens, quanto quod sponte geritur, majoris gratiæ præmio muneratur. Quid ultra? Quæque jura sanguinis in supernæ desiderium transferens voluptatis, & imperfectum quid æstimans, si jam viri destituta præsidio, sic residuum vitæ decurreret, quod se ad jugum obedientiæ (cujus sub lege posita maritali absque ipsius præjudicio amplexatrix extiterat) non arctaret, religionis habitum induit, sub quo Dominicæ passionis in se celebrare mysterium usque in diem ultimum non omisit. O felix mulier! O matrona mirabilis! O dulcis Elisabeth, dicta Dei saturitas, quæ pro refectione pauperum, panem meruerit Angelorum! O inclyta vidua, virtutum fœcunda sobole, quæ studens ex gratia consequi quod a natura non poterat indulgeri, diris animæ hostibus per scutum fidei, loricam justitiæ, gladium spiritus, salutis galeam, & hastam perseverantiæ debellatis, sic amabilem immortali sponso se præbuit, sic Reginæ virginum se dilectione continua colligavit suum deprimendo dominium in ancillæ humilis famulatum, sic sanctis Elisabeth antiquis processibus conformem se reddidit, dum in mandatis & justificationibus Domini sine querela simpliciter ambulavit, Dei gratiam secreto mentis per affectum concipiens, & eamdem per effectum pariens ac nutriens assidue per profectum, quod solum omnium in se sperantium, & exaltatio quorumlibet in humilitatis & innocentiæ vallibus positorum, in promissæ suis præmia retributionis exsurgens, ipsam mortis nexibus expeditam provexit ad solium, luce inaccessibili luminosum!

De cujus stupenda & inexplicabili claritate procedit, quod illius spiritus & in superni fulgoris abysso rutilat, & in hujus profundo caliginis multis coruscat miraculis gloriosis, quorum virtute catholicis fidei, spei & caritatis augmenta proveniunt, perfidis via veritatis exponitur, & hæreticis confusionis multæ materia cumulatur, dum stuporis turbine obvoluti, quod dictæ Sanctæ meritis, quæ dum carnis clausa carcere teneretur, pauper spiritu, mitis mente, propria, vel potius aliena peccata deplorans, justitiam sitiens, misericordiæ dedita, munda corde, vere pacifica, attrita persecutionibus, & opprobriis exstitit lacessita. Vita mortuis, lumen cœcis, auditus surdis, verbum mutis, & gressus claudis cœlesti dextera conferuntur. Partes Teutoniæ spatiosas, quas mortis dogmate gestiebant inficere, in doctrinæ cœlestis amplexibus cernunt multipliciter exultare.

De hujusmodi quidem, & aliis ejusdem Sanctæ miraculis, quæ mentis inspecta oculis uberiorem lætitiam proferunt, quasi diffusis distincta literis viderentur, facta nobis per testes idoneos tanta plenitudine fidei, sicut debetur & competit colendæ per omnia veritati;

Nos, quorum deposcit officium his continue desudare studiis, per quæ augeatur gloria Redemptoris, dictam Sanctam, quam sibi ad

intui-

intuitum placuit suæ majestatis assumere, de Fratrum nostrorum consilio & assensu, ac venerabilium fratrum nostrorum, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum & Prælatorum omnium, qui tunc apud Sedem Apostolicam existebant, Sanctorum catalogo duximus adscribendam;

Universitati vestræ per Apostolica scripta districte præcipiendo mandantes, quatenus XIII. Kalendas Decembris, die videlicet, quo eadem mortis absoluta vinculis, victura perenniter, ad fontem supernæ prodiit voluptatis, festum ejusdem, prout miranda ipsius meritorum magnitudo exigit, celebretis & faciatis solemniter celebrari, ut id nobis de thesauris cœlestibus ejus pia intercessione proveniat, quod ipsa, præstante Christo, percepisse dignoscitur, & possidere perpetuo gloriatur.

Ceterumque ut universitati fidelium invisibilis aulæ consequendi delicias, ex concessa nobis potestate, desuper propitiante Domino, sit facultas; quinimo & ut nomen exaltetur Altissimi, si sponsæ suæ venerabilem sepulturam fidelium procuremus accessibus honorari, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui se illuc annis singulis devotionis aromata, & sinceritatis insignia deferentes in memorato festo, & usque ad octavas ipsius, contulerint, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, auctoritate confisi, unum annum & quadraginta dies, de injuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus.

Datum Perusii Kalendis Junii, anno nono.

NOTA.

[1] Hæc canonizatio Perusii facta est in cœnobio Fratrum Prædicatorum die XXVII. Maji A. D. 1235. Ejusdem ordinis Frater Theodericus Thuringus Ancillæ Dei Vitam libris VIII. descripsit, quorum magnam partem edidit Henricus Canisius in to. V. Antiquæ lectionis, Parte II. pag. 143. reliquam vero Petrus Lambecius in Bibliotheca Cæsarea tomo II. pag. 879. unde has literas decretales, alias a Cherubino, & Vvaddingo vulgatas, damus. Elisabetha, Christianis virtutibus & miraculis celeberrima, obiit Marpurgi die XIX. Novembris A. D. 1231. Andream Hungariæ Regem & Gertrudem Reginam ex Meraniæ Ducibus, parentes habuit: Ludovico cognomento *Pio*, Thuringiæ atque Hassiæ Landgravio V, nupta; eoque Hydrunti, quo cum Crucesignatis in Palæstinam trajecturus, advenerat, postea extincto, ipsa Tertio ordini Minorum nomen dedit. De ea Martyrologium Romanum die XIX. Novembris, Surius eadem die, Vvaddingus to. I. Annalium pag. 528. & Raynaldus A. D. 1225. §. 23. A. D. 1227. §. 25. 26. 27. 28. 48. 47. A. D. 1230. §. 28. A. D. 1231. §. 34. 35. 36. A. D. 1232. §. 4. 10. A. D. 1235. §. 22. 23. 24. 25.

CONSTIT. XLVI.
A. D. 1246.

XLVI.

INNOCENTIUS . IV

Sanctorum confessorum pontificum canoni adscribit Beatum Eadmundum, Cantuariensem in Anglia Archiepiscopum, qui obiit die XVI. Novembris A. D. 1240.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Venerabilibus fratribus, Archiepiscopis & Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Præpositis, Archipresbyteris, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ad quos literæ istæ pervenerint, salutem & Apostolicam benedictionem.

Const. XLVI. A. D. 1246.

NOvum matris Ecclesiæ gaudium novi Sancti celebritate jucunde læti referimus. Grande a cœlesti collegio de collegæ novi consortio agi festum exultanti animo nunciamus. Gaudet quidem Ecclesia, se talem ac tantum produxisse filium, qui alios & sacræ conversationis exemplo dirigat, & percepto jam beatitudinis præmio firmam spem eis tribuat de salute. Lætatur nimirum, se tam clara sobole illustratam, quæ digno ab omnibus attollenda præconio, & devota veneratione colenda manifeste declarat, ad hereditatis æternæ participium admittendos, qui ipsam matrem Ecclesiam fide ac opere profitentur: & nullos in supernam posse gloriam, nisi per eam, tanquam regni cœlorum clavigeram, introire. Gaudet cœlestis patria nobilis habitatoris adventu, expertumque colonum fidei suis incolis noviter adunari. Exultant cives cœlestes de celebris aggregatione concivis, de condigno cœli consorte nuper ipsis adhibito psallunt Sancti. Exsurgite igitur & vos fidei zelatores, & una cum Ecclesia matre nostra lætemini de magnificentia & exaltatione confratris. Affluite gaudio, & spem tutam assumite de coindigena terrenorum facto compatriota cœlestium. Exultate ingenti lætitia, quod novellus vobis apud Deum patronus accrevit, quod adest coram ipso pro salute nostra placidus intercessor.

En siquidem beatus Eadmundus Archiepiscopus Cantuariensis salubriter pensans, ad factorem suum facturam affectu dirigi naturali, naturamque collapsam reparatorem debere recognoscere, proprium creatorem & redemptorem suum affectuose ac studiose quæsivit. Rectæ namque intentionis lumen bajulans, ad ipsum perfectorem operum processit gressibus, salutis semitam aliis & splendore vitæ ac doctrinæ claritate demonstrans. Unde horum trium, intentionis puræ, perfecti operis, & recti sermonis dulci concordia, velut delectabili psallens

tripudio, tribus hostibus, carne, mundo, dæmone, virtute perseverantiæ superatis, digne meruit, veræ fidei, securæ spei, & fervidæ caritatis ternario insignitus, summæ Trinitatis arce, trino electorum, virginum, scilicet continentium & conjugatorum ordine præparata palma victoriæ honorari. Etenim ut de suis actibus aliquid dicamus, licet ipsius vita, quo plenius exponitur, eo relatoris gustui plus dulcescat, magisque delectet animos auditorum, ab annis teneris filium Dei tenere diligens, eum postmodum tenere corde non desiit, quia ipsum tenellæ mentis tabulæ stilo rectæ considerationis inscripsit. Quinimo quanto majori profecit ætate, tanto pleniori cognitione in amorem ejus exarsit. Et ne fervor spiritus sociæ carnis extingueretur ardore, sed mortificatione potius accenderetur ipsius, assidui eam asperitate cilicii edomans, ejus libitum arctæ abstinentiæ nexibus alligavit, ut non suo ducta voto, sed spiritus voluntate ad licita tute pergeret, & provide ab illicitis declinaret.

Nam districtis corpus maceravit jejuniis, antiquorum observantiæ novorum austeritatem, quæ sibimet ipse idem indixerat, superaddens, dum deliciosorum ciborum oblectatione despecta, refectione contentus humilium, communium jejuniorum temporibus a permissis etiam elegit jejunare cibariis, & certis insuper in hebdomada diebus amplius abstinere. Somni quoque prolixitatem odiens, diuturnis vacabat vigiliis, excussoque torpore, orationi sedulo insistebat. Cubilis enim spreta mollicie, ne requie delicata lentesceret, illam membris indulgebat, jacendo, quietem, ut brevi sopore refectus, protinus surgeret, seque genuflexionibus & orationibus diutius deputaret.

Ab initio autem viarum suarum sic munde usque in finem incedere studuit, quod mundi vitato lubrico, in lutum non diffluens voluptatis, mundiciæ nitore præfulsit. Quid amplius? Contrivit fragile carnis vasculum, ut in eo thesaurum animæ sibi creditum cautius conservaret. Doctor vero præclarus ac prædicator eximius, & auditorum mentibus scientiæ lumen infudit, & pectoribus fidelium (avulsis vitiorum tribulis) semina virtutum injecit. Humilitate quippe sublimis, mansuetudine placidus, patientia fortis, benignitate affabilis, pietate condolens, misericordia ignoscens, & multiplici eleemosynarum irriguo in subventionem affluens egenorum. Et ut gestorum suorum multitudinem succincta relatione texamus, sic Jesum firma credulitate cognovit, & agnitum sincero corde dilexit, ac dilectum totis votis ambivit, quod mundo & eis, quæ in mundo sunt, penitus vilipensis, ad cœlestia cunctis studiis inhiavit, satagens se suo nomini actibus coaptare, ut sicut vocabatur Eadmundus, sic se vel a criminum labe mundum, vel e mundo abductum, seu extra mundi amplexus positum, operum testificatione probaret.

[1] Unde, tanquam spiritualis omnino, & mundus, a carnis contagiis in extremis agens, & corpus Christi sibi delatum reverenter adorans, hæc verba, omni attentione notanda, mira protulisse compunctione aperte monstratur: tu es, in quem credidi, quem prædicavi, quem docui. Et tu testis es mihi, quia nihil aliud, nisi te, Domine, in terra quæsivi; sicut tu scis, quod nihil volo, nisi quod tu vis: fiat voluntas tua. Verum cum vivens Dei Ecclesiam præclaris illuminasset meritis, mortuus suæ claritatis radios non subtraxit; sed quum functus hac vita, verius viveret, quam vixisset, eam postmodum illustravit fulgore luminis plenioris.

Non

CONSTIT. XLVI.
A.D. 1246.

Non enim voluit Dominus, sanctitatem mundo supprimi tanti viri: quin, sicut pluralitate innotuerat meritorum, sic miraculorum diversitate pateret; ut qui toto ipsum devotione coluerat, jam secum regnans, venerabiliter coleretur. Nam cœcis lumen restituit, & quod est gloriosius, de cujusdam oculis innatæ cœcitatis tenebras infusi visus perspicuitate fugavit. Alii, cujus linguam natura diutina taciturnitate ligaverat, liberam loquendi tribuit, soluto silentio, facultatem. Leprosam quandam, squamis lepræ mox decidentibus, subita & mirabili abstersione mundavit. Tremula paralytici membra firmavit consolidatione nervorum. Contractis artuum extensione, subvenit. Tumentem hydropisim corporis extenuatione curavit; & quandam senilis ætatis veteri gibbo incurvatam, inflexam, restituit, erecta sursum ejus facie, sanitati. His & aliis quampluribus coruscavit miraculis manifestis, quorum seriem non duximus præsentibus inserendam. Convalescit ex istis fides catholica, Judæorum pertinacia erubescit, confunditur hæreticorum fallacia, & obstupescit ignorantia paganorum.

Gaudeat itaque Cantuariensis Ecclesia laudis divinæ canticum, quæ inter alias, modernis temporibus venerabilibus est decorata patronis; unius quidem rubricata martyrio, & confessione alterius candidata. Exultet pleno gaudio fertilis Cantuaria, quod ab Ecclesiæ suæ area tam purum granum transmisit ad horrea summi regis. Lætetur & Pontiniacense monasterium, quod & talium & tantorum patrum meruit honorari præsentia; dum unus diu ibi degens, illud suæ vitæ moribus nobilitavit; & alter illuc accedens, ipsum, reddita cœlo anima, sui corporis thesauro ditavit; ut quasi adimpleretur quod ipse gloriosus martyr, Thomas videlicet, post longam moram, quam exilii sui tempore in eodem contraxerat monasterio, cum ipsis monachis de multa honorificentia caritative sibi ab eis exhibita, respondere juxta voti sui plenitudinem non valeret, dixisse asseritur, quod esset sibi alius successurus, qui condignam ipsis retributionem rependeret pro eodem.

Porro, quia quos omnipotens Deus perpetuæ corona gloriæ in cœlis magnificat, summæ devotionis studio ab hominibus in terris convenit venerari, & quo solemnius fideles Sanctorum colunt memoriam, eo dignius eorum patrocinium promerentur; nos de sanctitate vitæ ac veritate miraculorum ejusdem sancti Eadmundi curiosæ inquisitionis solemnitate, ac districti examinis discussione præmissis, plenariam certitudinem obtinentes, ipsum de communi fratrum nostrorum & prælatorum omnium, tunc apud Apostolicam Sedem existentium, consilio & assensu, in Dominica de Adventu, qua cantatur, *Gaudete in Domino semper*, Sanctorum catalogo adscribendum duximus, vel jam adscriptum potius nunciandum. Ideo universitatem vestram monemus & exhortamur attente, per Apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes, quatenus XVI. Kal. Decembris, cum tunc felix ipsius anima de carnis liberata carcere, ad astra conscendens, aulam cœlestem adiverit, paradisi deliciis fruitura, festum ejusdem devote ac solemniter celebretis, faciatisque, vos fratres Archiepiscopi & Episcopi, per vestras civitates & diœceses a Christi fidelibus veneratione congrua celebrari, ut pio ejus interventu & hic ab imminentibus possitis periculis erui, & in futuro salutis præmium consequi sempiternæ. Ceterum ut ad venerabile ejus sepulcrum ferventius & copiosius Christiani populi confluat multitudo, ac celebrius ejusdem Sancti agatur solemnitas, omnibus

vere

vere pœnitentibus & confessis, qui cum reverentia illuc in eodem festo annuatim accesserint, ipsius suffragia petituri, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, auctoritate confisi, annum & quadraginta dies, accedentibus vero annis singulis ad prædictum sepulcrum infra ejusdem festi octavas, quadraginta dies de injuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus. CONSTIT. XLVII. A. D. 1247.

Datum Lugduni tertio idus Januarii, pontificatus nostri anno quinto.

NOTA.

Has literas decretales, Matthæus Vvestmonasteriensis, cognomento *Florilegus*, totas primus inseruit suis Floribus historiarum pag. 130. editionis Vvechelianæ, Bullario suo Cherubinus, & Thesauro Anecdotorum Edmundus Martenius tomo III. pag. 1854. Sanctus hic Archiepiscopus *Edmundus*, qui *Edmundus* etiam appellatur, magnum illum decessorem suum Thomam martyrem imitatus, pro Ecclesiæ suæ juribus tuendis plurima passus, ad *Pontiniaci* Abbatiam Cisterciensem in Campania Galliarum, ejusdem sancti Thomæ secessu antea nobilitatam, exsul confugit, unde *Sociacum* vulgo *Choisy*, Canonicorum regularium domum apud Provinum opidum Senonum, purioris aeris respirandi causa perlatus, ibidem sancte obiit A. D. 1240. die XVI. Novembris, *Pontiniaci* depositus die XXI. ejusdem mensis, ut docet Henricus Vvhartonus in peculiari notatiuncula ad Angliam sacram tomo I. pag. 11. Sexennio serius Dei servum eximiis virtutibus & miraculis inclytum, Innocentius IV. Sanctorum canoni adscripsit Lugduni A. D. 1246. Dominica proxima ante Natale Domini, qua in Ecclesia cantatur, *Gaudete in Domino*. Literæ Apostolicæ paullo post datæ sunt in eadem civitate Lugduni die XI. Januarii anni insequentis 1247. Hujus sancti Præsulis vita antiquitus scripta exstat apud Surium die XVI. Novembris. De eo loquentem vide Raynaldum variis in locis tomi XIII. Annalium, præcipue vero A.D. 1240. §. 59. 60. 61. A.D. 1246. §. 49. A.D. 1247. §. 21. atque alibi sparsim: cui addas Pagium Juniorem tomo III. pag. 312. Ceterum omnia ejus Acta habes in Martenii Anecdotis memoratis pag. 1751.

XLVII.

IDEM

INNOCENTIUS. IV

Sanctorum confessorum pontificum canoni adscribit BEATUM VVILLHELMUM, Briocensem in Armorica, seu Britannia minori Episcopum, qui obiit die XXIX. Julii A. D. 1241.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Venerabilibus fratribus, Archiepiscopo Turonensi, & ejus suffraganeis, salutem & Apostolicam benedictionem.

CUM venisset Patriarcha Jacob ad locum, in quo post solis occubitum requiescere cupiebat, jacentes lapides capiti suo supposuit, ac in loco dormivit eodem. Cujus imitatus exemplum sanctæ memoriæ beatus Guillelmus, Briocensis Episcopus, in via præsentis sæculi mundo, dormire non destitit, lapide, quem reprobarunt ædificantes prudenter capiti supposito suæ mentis. Nam ipse virtutibus intentus invigilans, & ab hujus mundi strepitu, quantum permittebat pon- CONST. XLVII. A. D. 1247.

CONSTIT. XLVII. A. D. 1247.

pontificalis dignitas, se subducens, concupiscentiæ oculos, quos primis parentibus seductor aperuit, clausos a suæ nativitatis primordio custodivit, ut suæ mentis ad terrena non reflecteretur intuitus, quo minus ad contemplandam divinæ celsitudinis majestatem liberior haberetur. Sciebat namque, quod servire duobus Dominis, gaudere cum mundo, & regnare cum Christo, nulli mortalium repetitur fuisse concessum.

Quare mundum ipsum in contemptum deducens, ejus concupiscentias prorsus a suis actibus abdicavit, & carnem cum vitiis multarum asperitatum angustiis crucifigens, eam, velut unigenitam filiam cum Jepte, Domino in sacrificium obtulit, ferventis igne supposito caritatis: sicque carnis & oculorum concupiscentiis provide legi suppositis rationis, Tunc inimicus humani generis, qui se sinceris mentibus ingerit importunus, fortius urgebat in scandala, ut eum saltem, ad Deum erectum, a suo statu pro superbia vitæ dejiceret, quæ consuevit ex aliorum plerumque victoria vitiorum insurgere. Sed idem Episcopus, velut alter Jacob, vitiorum videlicet supplantator, assumpto præmisso lapide, Domino Jesu Christo, cum quo etiam David ingentem Philistæum miraculose prostraverat, sic inimici Diaboli pravos penitus debilitavit conatus, quod, licet non desineret invidere, ne tamen jam superatus ulterius vinceretur, formidans eumdem Episcopum, suis perversis insultibus jam impetere non audebat.

Nec mirum, si nihil nocuum proficiebat in eo, quia per jugem orationum instantiam assidue lyram pulsabat Davidicam, quæ non patiebatur, Saulem Regem Israeliticum ob sui cantus dulcedinem a maligno spiritu molestari. Eo itaque de mundo, carne, ac Diabolo gloriosum, auctore Domino, consequente triumphum, non solum scalam, cui fuerat innixus Dominus, & per quam Jacob Angelos vidit ascendentes & descendentes, meruit intueri; quin imo ascendit & descendit per eam, ut suo conditori per dulcis contemplationis studium inhæreret, & interdum consçenderet per piæ compassionis affectum suorum infirmitatibus subditorum; quia profecto, ne sibi soli per vitæ meritum in mundo proficeret, dumtaxat Rachelis amplexibus contemplationi quidem pulchræ, sed sterili adhærendo, una cum Jacob ad Liæ quinque descendebat cubiculum . . . . . ad loca deserti pœnitentiæ gregem sibi commissum gemellis fœtibus fœcundatum, quem cum omni diligentiæ studio pavit tripliciter, videlicet verbo prædicationis, fructu orationis, & in hoc miræ conversationis exemplo, quod virginitatis pollebat candore, abstinentiæ gloriabatur angustiis, & blandimentis erat præditus lenitatis.

Merito igitur tunc gaudere poterat Briocensis Ecclesia, curæ talis deputata Pastoris, qui, tamquam magister vitæ, pietatis titulus, & misericordiæ speculum, totam Britanniam & adjacentes provincias suæ doctrinæ radiis mirifice illustrarat. Sed nunc non solum ipsa, immo Ecclesia universalis debet perfundi lætitia ampliori, tum quia de novo perspicuum sidus oriri conspicit in partibus Occidentis, per quod in mundi pelago naufragantes, ad portum reducuntur salutis, tum quia talem in terris meruit producere filium, nunc Angelorum concivem effectum, cujus patrocinium invocandum censuit in suis necessitatibus non indignum. Ceterum, ut ipse, qui, dum adhuc in carne retineretur, erat quasi lilia, quæ sunt in transitu aquæ, oliva pullulans & cupressus, incremento proficiens venustatis, non solutis carnis nexibus, & Israel de

de Jacob, idem Deum videns, effectus, tamquam lucerna, non sub modio, sed supra candelabrum posita, illis, qui sunt in domo Domini, miraculis coruscaret, est per ipsum, velut alterum Eliseum, puer mortuus suscitatus. Cuidam mulieri est candidior solito restituta mammilla, quam sibi pro nimio infirmitatis dolore miserabiliter amputarat; muliere nihilominus altera per extenuationem corporis congruam ab hydropisi, nimium tumescente, curata. Viro insuper cuidam est in inguine repente consolidata ruptura, per quam ipsius viscera se hominum aspectibus horribiliter offerebant.

Quædam etiam puella, cujus adeo pedes & tibiæ infectæ fuerant ulceribus fistularum, quod ei sola tibiarum abscissio, ne per hoc sinceram corporis partem corrumpi contingeret, pro consilio parabatur, ad plenum, de ulceribus liberata prædictis. Altera quoque puella ignis interempta incendio fuit, in medio carbonum reperta, cui ejusdem Sancti meritis ignis, vim suæ virtutis oblitus, nullum impressit vestigium læsionis: necnon lumen cœcis, auditus surdis, mutis loquela, gressus claudis, & paralyticis debitum membrorum officium ad invocationem sui gloriosi nominis subinde conferuntur: per quod ignorantium Deum tenebræ propulsantur, hæreticorum perversum dogma confunditur, & fidelium beata credulitas adaugetur.

Cum igitur dignum sit, ut, quos triumphans sublimavit Ecclesia, militans, quæ ipsam, ut potest, semper imitari desiderat, prompto veneretur affectu; nos, postquam de tam apertis ejusdem Episcopi miraculis, tam per testes idoneos, quam etiam quosdam miraculose curatos in nostra & fratrum nostrorum præsentia constitutos, liquido constitit, ipsum, quem cum justis in libro viventium jam scriptum esse cognovimus, de communi fratrum nostrorum, & venerabilis fratris nostri Patriarchæ Constantinopolitani, & Prælatorum omnium, tunc apud Sedem Apostolicam existentium, consilio & assensu, in festo Resurrectionis Dominicæ, glorioso Sanctorum catalogo decrevimus adscribendum.

Quo circa fraternitatem vestram monemus & hortamur attente, præcipiendo mandantes, quatenus festum ipsius quarto Kalendas Augusti, quo spiritum reddidit Domino attenta devotione celebrare curetis, ac faciatis per vestras civitates & diœceses a Christifidelibus solemniter celebrari, ut per hoc eum in cœlis mereamini apud Deum intercessorem perpetuum invenire. Porro cupientes, sepulturam ipsius, quæ tam evidentibus signis rutilare dignoscitur, congruis honoribus frequentari, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui cum reverentia illuc in eodem festo annuatim accesserint, ipsius suffragia petituri, de omnipotentis Dei misericordia, beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, unum annum & quadraginta dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus.

Datum Lugduni decimo septimo Kalendas Maji, anno quarto.

N O T A.

Hujus sancti Præsulis vitam concinnavit testis æqualis & oculatus Godefridus Calvus Bituricensis Archiepiscopus apud Surium die xix. Julii: ad quem diem vide Baronium in notis ad Martyrologium, Raynaldum A. D. 1241. §. 88. A. D. 1247. §. 22. 27. & Franciscum Pagium tomo III. pag. 313. Sancti Brioci Episcopatus subest metropoli Turonensi, cujus propterea Archiepiscopo, & ejus suffraganeis Innocentius IV. has literas scripsit Lugduno, ubi magna cæremonia, sexennium a dormitione sancti Vrillhelmi, peracta est. Quum has literas initio non parum mutilas dederit Raynaldus A. D. 1247. §. 22, nos ex Innocentianis regestis M. SS. Vaticanis totas hic exhibuimus.

CONSTIT. XLVIII. A. D. 1253.

XLVIII.

IDEM

INNOCENTIUS. IV

Sanctorum martyrum canoni adſcribit B. PETRUM a Verona in Venetia, ordinis Fratrum Prædicatorum, ab hæreticis trucidatum die v. Aprilis A. D. 1252.

INNOCENTIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Venerabilibus fratribus, univerſis Archiepiſcopis & Epiſcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Archidiaconis, Decanis, Archipresbyteris, & aliis Eccleſiarum Prælatis, ad quos literæ iſtæ pervenerint, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

CONST. XLVIII. A. D. 1253.

MAgnis & crebris declarata prodigiis Chriſtianæ fidei rectitudo, jam novo ſancti novi decorata martyrio, ſignorum recentium fulgore coruſcat; & multis hactenus roborata portentis, nunc ſingularium miraculorum ſignis confirmatur. Ecce de inſtanti, & moderno fidei pugile nova gaudia prodeunt, triumphalia ſigna noteſcunt, vox fuſi ſanguinis intonat, inclyti Martyris tuba clangit, terra non ſilet ſudans aſperſione cruoris, reſonat regio nobili prædita bellatore; ipſemetque gladius parricida proclamat. Hæc ſunt certe certa fidei ſacræ indicia, hæc ipſius idonea teſtimonia, hæc ejus digniſſima monimenta. Propter quod lætati ſunt cœli, & terra in tanti perceptione gaudii pariter exultavit. Grandis adeſt matri Eccleſiæ cauſa lætitiæ; multa ei materia jucunditatis advenit. Habet, unde Domino canticum novum cantet; unde immenſæ laudis hymnum referat Deo ſuo. Habet plebs Catholica, unde plaudat levatis altiſſimo manibus, ſonoris jubilet vocibus, & lætis animis jucundetur. Habet Chriſtiana concio, unde devotas conditori concinat cantiones. De horto ſiquidem fidei nuper in menſam regi æterno dulcis allatus eſt fructus. De vinea Eccleſiæ in regium calicem affluens noviter liquor influxit, quoniam fœcundus palmes hoſtili mucrone conciſus habuit plus humoris, quia cohæſit preſſius vivæ viti. De Prædicatorum ordine florido prodiit roſa rubens, quæ regalibus oblata conſpectibus intulit ſuavitatem odoris. De hujus Eccleſiæ fabrica electus eſt lapis, qui preſſura & contuſione politus, decenter ſupernis ædibus eſt inſertus. In cœleſti quoque roſario flos amœnus rubro colore rutilans nunc eſt natus in mundo, & candido Sanctorum collegio novum munditiæ lilium eſt exortum, unde

unde factum est magnum in coelo gaudium, exultantibus Sanctis omnibus, & solemnitatem agentibus tanti festi. CONSTIT. XLVIII. A.D. 1251.

Sane beatus Petrus de ordine Fratrum Prædicatorum, Lombardus origine, prudenter attendens dolosi mundi fallacias, & devia sæculi defluentis (cujus blanditiis quis læditur, cum lenitur) cum ab his in adolescentiæ annis provide declinasset, vitæ semitam eligens tutiorem, ut a lubricis caute, pede retracto, firmis posset incedere gressibus, ad divina obsequia se totaliter transtulit, in evangelicæ institutionis observantiam cuncta sua convertens studia, & universas dirigens actiones, rectum & lucidum callem sequens, salubrem videlicet ipsius ordinis regulam, per quam regi valeret & dirigi, duci etiam & induci ad speratam requiem post laborem.

In qua utique triginta fere annorum spacio, fultus caterva virtutum, Fide præambula, Spe astante, comite Caritate, sic prævaluit & profecit, circa ipsius maxime defensionem fidei (pro qua totus ardebat) quod contra illius diros hostes mente intrepida, ferventique spiritu continuum certamen exercens, suum tandem agonem diutinum (victrici superante martyrio) feliciter consummavit. Et sic ipse Petrus, firmus in petra fidei, petra demum passionis allisus, ad petram Christum digne laureandus ascendit. Porro ne sacra suorum actuum vos exempla prætereant, aliqua de vita ejus ad instructionem & profectum audientium, referamus.

Ipse namque veritatis filius, & bonitatis alumnus, conversatione conspicuus, spectabilis fama, & opinione mirabilis, miro præfulsisse nitore munditiæ, virginitatem integre custodisse, nec mentis habuisse, nec corporis corruptelam, & nullius mortalis criminis sensisse contractum, firma suorum confessorum assertione monstratur. Et quia servus delicate nutritus protervit in Dominum, carnem suam assidua cibi & potus parvitate restrinxit. Ne vero per ocii desidiam hostilibus pateret insidiis, in justificationibus Domini exercebatur assidue, ut eo circa licita totaliter occupato, locum in ipso illicita non haberent, & a spiritualibus nequitiis tutus esset. Nocturna quidem silentia humanæ deputata quieti, post dormitionem brevem decurrebat in studiis lectionum, & somni tempus vigiliis occupabat. Dies autem impendebat commodis animarum, vel sedulis imminendo prædicationibus vel confessionum audientiæ insistendo, aut hæreticum dogma pestiferum, validis rationibus confutando, in quibus specialis dono gratiæ noscitur claruisse. Devotione insuper gratus, humilitate lenis, obedientia placidus, benignitate suavis, pietate compatiens, patientia constans, caritate præstabilis, & in cunctis morum maturitate compositus, alios profusis virtutum aromatibus attrahebat. Fervens quoque amator fidei, cultor præcipuus, propugnator ardentior, sic animo suo illam impresserat, sic se totum in illius manciparat obsequium, quod quæque ipsius verba & opera, virtutum fidei redolebant. Cujus dulcedinem, lingua ejus velut redundans favus, copiose distillans, semper illius documenta suavia propinabat.

Pro hac inquam mortem subire cupiens, hoc principaliter a Domino attentis & crebris supplicationibus postulasse probatur, quod non sineret eum ex hac luce migrare, nisi sumpto pro illa calice passionis. Unde, quia meruit tantus athleta, specialem palmam de pugna tam strenua reportare, ac in cœlestem patriam, sertis præsignitus roseis, introire, cum de civitate Cumana, ubi Fratrum sui ordinis ibi

 mo-

morantium Prior erat, Mediolanum pergeret pro exequenda inquisitione contra hæreticos, sibi ab Apostolica Sede commissa; sicut in publica prædicatione prædixerat, quidam de ipsorum hæreticorum credentibus, prece illorum inductus & precio, in eum, iter salutaris propositi prosequentem, funestus insiliit, in agnum utique lupus, ferus in mitem, in pium impius, furibundus in mansuetum, & in modestum effrænis, profanus in Sanctum, præsumit insultum, exercet conatum, mortem intentat. Sacrum autem illius caput gladio crudeliter impetens, diris in ipso impressis vulneribus, & satiato, sanguine justi, ense, venerandum illum, non divertentem ab hoste, sed exhibentem se protinus hostiam, & cæsoris sustinentem in patientia truces ictus, dimisit (spiritu petente superna) in ipso loco passionis occisum. Ipso quoque sacrilego, percussuras in Christi ministrum geminas inculcante, ille non querulosa voce murmurans, sed sufferens omnia patienter, suum Domino spiritum commedabat, dicens: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*. Symbolum etiam cœpit dicere fidei, cujus nec in hoc articulo desiit esse præco, prout ipse nefandus, qui a fidelibus captus fuit, & quondam frater Dominicus, qui comes illius erat, & ab ipso lictore percussus, diebus aliquibus supervixit, postea retulerunt. Sic granum frumenti cadens in terram, postea in infidelium manibus compressum & mortuum, uberem consurgit in spicam. Sic botrus in torculari calcatus, liquoris redundat in copiam. Sic triticum attritum in area, in dominicum horreum, excussa palea, deportatur. Sic aromata pilo contrita, odorem plenius circumfundunt. Sic inquam regnum cœlorum a violentis percipitur. Sic per fidem, a Sanctis regna sublimia devincuntur. O quam insigne martyrium, quod titulus tam gloriosus illustrat! Pro defensione namque ac exaltatione catholicæ fidei, & assertione obedientiæ Romanæ Ecclesiæ, vir ille venerabilis acerrimam mortem tulit. Hic in Ecclesia, tamquam sidus radians, & lumine fidei & gratia prædicationis emicuit. Hic jam in cœlo, quasi luminare conspicuum, & splendore gloriæ & multorum coruscatione signorum effulget. Quia non vult Dominus ipsius abscondere sanctitatem, nec meritorum suorum virtutem supprimere in occulto; sed inter lucentia Sanctorum candelabra manifestius exaltare, ut omnibus, qui in Ecclesiæ domo habitant, proferat clarum lumen.

Nam nec in vita latere sic potuit, quin miraculorum claritate pateret. Cujusdam etenim nobilis filium, præ nimio & horribili totius gulæ tumore nec loqui nec spirare valentem, levatis ad Deum manibus, & crucis in eum facto signaculo, illoque accipiente ipsius cappam, & infirmo supponente loco, sanavit. Idemque quoque nobilis, vehementi postmodum corporis torsione gravatus, credens & metuens exinde sibi mortis imminere discrimen, cappam ipsam, quam ex tunc conservaverat, reverenter fecit afferre. Qua suo apposita pectori, mox vermem quemdam duo habentem capita, & pilorum densitate villosum, evomuit, plena liberatione secuta. Cuidam etiam juveni muto, immisso digito in os ejus, suæque linguæ soluto ligamine, beneficium loquelæ concessit. Hæc & alia plura dum viveret, dignatus est per eum Dominus operari.

Post mortem vero ipsius, lampades ad sepulcrum ejus venerabile, dependentes, pluries per se ipsas absque omni humano studio & ministerio, divinitus sunt accensæ, quia conveniens nimis erat, ut quoniam igne

igne ac lumine fidei excellenter claruerat, singulare de ipso ignis & luminis miraculum appareret. Quidam autem dum vesceretur cum aliis, & illius sanctitatem & miracula depravaret, sumpto quodam sub hac attestatione morsello, quod non posset, si circa hæc delinqueret, transglutire, sentit mox ipsum gutturi suo sic hærentem, ut illum educere vel inducere non valeret. Quare illico pœnitens, & jam vultus mutato colore, quasi sentiens vicinæ mortis eventum, facto intra se voto, quod linguam de cetero ad talia non laxaret, fuit protinus, illo evomito, liberatus. Hydropica quædam ad locum passionis ipsius, auxilio viri, perveniens, fusa ibi oratione, sanitatem integram mox accepit. Obsessas a dæmonibus longo tempore mulieres Martyr ipse, dejectis illis cum multo sanguinis vomitu de corporibus, liberavit. Febres expulit, languores curavit plurimos & diversos. Cujusdam sinistræ manus digitum, ex morbo fistulæ plurium foraminum concavitate defossum, mira consolidatione sanavit. Quidam insuper puer ex casu gravissimo sic oppressus, ut motu & sensibus penitus destitutus, tamquam mortuus, defleretur, mox apposita de terra suo pectori, sacro ejusdem Martyris cruore contacta, incolumis exsurrexit. Quædam, cujus carnem cancer edax sedula corrosione vorabat, linitis hujusmodi terra vulneribus, est curata. Alii etiam diversis infirmitatibus occupati, qui sepulcrum ejus in vehiculis & aliis sustentaculis adierunt, exinde postmodum, plena incolumitate recepta, sine aliquibus subsidiis rediere. Ad hæc, magna hæreticorum, & ipsorum credentium multitudo, cum tantam fidei adverterent efficaciam, & ad eam, tot certis & apertis signorum indiciis, tamquam quibusdam clamantibus præconibus, vocarentur, nec possent quasi tam valide illorum instantiæ non parere, ad ipsius lucem fidei de sui erroris nubilo est conversa. Quid plura? His & quammultis aliis miraculis gloriosis magnificavit Dominus Sanctum suum, & colendum exhibuit universis.

CONSTIT. XLVIII. A. D. 1253.

Lætetur itaque totus fidelium cœtus, & laudum carmina Deo concinat alta voce, quod a suis, tamquam Christi coheredibus, mansiones cœlicæ possidentur. Exultet mater Ecclesia, quod palmes suus, quem in agro fidei plantavit & coluit, in cœleste plantarium est translatum. Gaudeat & insignis Fratrum Prædicatorum ordo, quod ex eo prosiliit stella micans, cujus fulgentes radii in lumen hic peregrinantium diffunduntur.

Erubescant fallaces hæretici, evangelicæ quidem falsarii veritatis, quod sua mendacia commenta vilescunt, & convalescunt catholica & Apostolica documenta. Obmutescant dolosa ipsorum labia, & impudentes frontes decidant jam confusæ, cum ille, cujus veracem instructionem, & salutaria monita renuebant, cuique mortis intulere supplicium, in coelo jam regnet inter agmina beatorum. Et mirum, cum aperte conspiciant, Dei Ecclesiam talibus fulciri columnis, talibus parietibus circumcingi, talibus consurgere incrementis, talibus propugnaculis communiri, talibus defensari patronis, talibus miraculis illustrari, quod nihilominus in noctis tenebris & mortis caligine gradiuntur, quodque a suis oculis squamas non abjiciunt cœcitatis, ut verum lumen videant & sequantur.

Ceterum quia convenit, ut quem Dominus in coelo magnificat, mundus colat, nos de sanctitate vitæ ac veritate miraculorum ipsius Martyris inquiri fecimus diligenter. Et quia post inquisitionem solertem, studiosam examinationem, & discussionem solemnem, plura

& ma-

CONSTIT. XLIX. A. D. 1254. & majora de ipso comperimus, quam insinuata fuissent, eum de communi Fratrum nostrorum & Prælatorum omnium, tunc apud Sedem Apostolicam existentium consilio & assensu, confisi de omnipotentis Dei virtute, auctoritate quoque beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, ac nostra, Sanctorum Martyrum catalogo duximus adscribendum.

Ideoque universitatem vestram monemus & hortamur attente, per Apostolica scripta vobis præcipiendo mandantes, quatenus tertio Kalendas Maji festum ejusdem devote ac solemniter celebretis, & faciatis a vestris subditis veneratione congrua celebrari, ut pia ejus intercessione, & hic a noxiis protegi, & in futuro sempiterna consequi gaudia valeatis.

Et ut ad venerabile ipsius sepulcrum ardentius & affluentius christiani populi confluat multitudo, ac celebrius ejus Martyris colatur festivitas, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui cum reverentia illuc in eodem festo annuatim accesserint ipsius suffragia petituri, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, annum unum & quadraginta dies, accedentibus vero annis singulis ad prædictum sepulcrum infra ejusdem festi quindenam, quadraginta dies de injuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus.

Datum Perusii, nono Kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno decimo.

XLIX.

IDEM

INNOCENTIUS. IV

DE EADEM RE

Ad omnium Ecclesiarum Præsules.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Universis Archiepiscopis & Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Archidiaconis, Archipresbyteris, Decanis, Præpositis, & aliis Ecclesiarum, & Religiosorum, ordinis cujuscumque, Prælatis, salutem & Apostolicam benedictionem.

CONST. XLIX. A. D. 1254. MAgna magnalia de beato Petro martyre ordinis Prædicatorum, natione Lombardo, per oras ubilibet innotuere Italicas; & jam usque ad longinquarum terrarum per universalem notitiam effulsere. Qui dum in carne viveret, a carnis deliciis & illecebris alienus sic virtuose pro fide christiana certavit, quod stabili animo susceptum prose-

profecutus agonem, gloriofum tandem de ipfius fidei hoftibus reportavit, martyrio prævalente, triumphum. Hujus, inquam, triumphi fama in omnem quafi fidelium terram exivit, & ad extrema fere orbis, illius figna lucida radiarunt. Fulget jam inter clara Sanctorum agmina recens martyr, & in firmamento Ecclefiæ novum jam rutilat luminare. O mira martyris victoria! In quo dum caro conteritur, fpiritus roboratur; dum certator videtur deficere, fortius convalefcit; in quo tunc magis Chrifti miles prævalet, cum acrius comprimitur; quia re vera tunc gloriofius hoftem convincit, cum inter paffiones atroces conftantius mortem fuffert. O quam admiranda catholicæ fidei per certamina martyrum defenfio provenit! Nam in illorum oppreffione ac cæde robur ipfa fufcipit & vigorem; quia nequaquam ei demitur, cum fui fibi pugiles taliter adimuntur; quinimmo tunc ftatus ejus erigitur potius, & firmatur, cum illi fic moriendo non defunt, fed plufquam antea vivunt & affumunt fidei munimentum, & tunc magis clara fulget fidei lampas, cum ardentes lucernæ martyrum fuppliciorum incendiis corporaliter extinguuntur. Quod plene ac liquido patuit in ipfius beati Petri martyris paffione, quia poft gloriofum & recolendum ejus martyrium, fic fuorum multitudine atque eminentia miraculorum fides refplenduit, quod quamplurimi hæretici, eorumque credentes ipfius fidei tot & tantorum oftenfione fignorum agnita virtute, ad illius lumen de fuorum errorum tenebris propere redierunt. O quam laudandum & honorandum athletam, qui hoftiles non pavefcens occurfus, pro lege Dei fui perfeveranter in ftudio ufque ad mortem invicta ftabilitate pugnavit! O venerandum virum, & ubique fonoris præconiis declarandum! Hic eft religionis norma, munditiæ nitor, morum decus, thefaurus fcientiæ, prædicationis fulgor, caritatis ardor, fidei paries, cumulus gratiarum, virtutum fpeculum, & fragantis fincerıtatis aroma. Hic timor hæreticorum & tremor & vivus expugnavit eorum perfidiam, & jam ab ipfis occifus illos deterret vehementius, & confundit. Hic fidus cœli fulgidum, & dignus cœleftis regni cohercs, illuftris concivis martyrum, inclytus menfæ fupernæ conviva, & fecurus patriæ fempiternæ poffeffor.

CONSTIT. XLIX. A.D. 1254.

Merito itaque tam reverendi Martyris univerfa plebs catholica recenfere debet memoriam, & tota Chrifti Ecclefia ejus feftum folemniter celebrare, ne tantum Dei donum recepiffe in vacuum videantur, ac non recognofcere immenfam, quam in hoc eis largitus eft gratiam, magnificando ipfas tam eximio Martyre, ac tanti patroni fuffragio muniendo. Et certe cum de ipfius confortio univerfi beatorum chori affidue coexultent, inconveniens & reprehenfibile nimis effet, fi Chrifti fideles folemnitatem ejus non fufciperent & agerent reverenter. Quem enim Dominus mirificavit in terris, & fublimavit in cœlis, debemus etiam nos & crebris attollere laudibus, & celebri feftivitate honorare, ut de illius magnificentia & gloria communem gerentes lætitiam, & voto, voce, ac opere, quafi quodam pariter pfallentes tripudio, congaudeamus in hoc Sanctorum collegiis, & digne ipfius patrocinium mereamur.

Quapropter volentes penitus, ut prædicti beati Petri martyris folemnitas aliquatenus non negligatur, quem pridem Sanctorum martyrum catalogo, de communi Fratrum noftrorum, & Prælatorum omnium, tunc apud Sedem Apoftolicam exiftentium, confilio & affenfu duximus cum ingenti gaudio adfcribendum, ficut per alias

noftras

CONSTIT. XLIX. A. D. 1254.

nostras literas plenius notificavimus, ad universas provincias destinatas; universis vobis per Apostolica scripta districte præcipiendo mandamus, quatenus considerantes attente, quod in tanti claritate martyrii altis titulis fides orthodoxa refulsit, & hæreticum dogma funestum ad confusionis & ignominiæ ima ruit; ejusdem Martyris festum, quod solemniter agit Romana Ecclesia, quod etiam principaliter, & studiose propter insigne illius martyrium ab omnibus catholicis generaliter agi volumus, cum devotione, ac solemnitate omnimoda celebretis & faciatis a vestris subditis veneratione congrua celebrari, matutinale officium de ipso Martyre omnino cum IX. lectionibus, & alia de eo nihilominus officia solemniter, prout convenit, exequentes. Illi vero, qui non consueverunt paschali tempore, quo ipsius Martyris solemnitas agitur, festum aliquod cum IX. lectionibus celebrare, nocturnum & diurnum officium cum magna reverentia & celebritate, juxta morem & modum suum solitum, de Martyre ipso agant. Et ne de ipsius festivitate intervenire unquam possit oblivio, sub simili districtione injungimus, ut diem festi sui, qui videlicet occurrit III. Kalendas Maji, in Kalendariis vestris scribendo, ibi ejusdem Sancti nomen, cum specificatione ordinis Prædicatorum, solicite designetis. Sic autem præmissa omnia efficaciter exequi studeatis, quod ipsum pretiosum Martyrem apud Deum habere possitis sedulum adjutorem.

Datum Anagniæ VI. idus Augusti, anno duodecimo.

N O T A.

Geminam constitutionem, non uno tempore vulgatam, de canonizatione sancti Petri martyris dedimus ex cap. VI. & VII. ejus vitæ, a Thoma de Lentino Patriarcha Hierosolymitano conscriptæ, & ab Ambrosio Taegio auctæ. Prior constitutio data est Perusiæ die XXIV. Martii A. D. 1253. posterior Anagniæ die VIII. Augusti A. D. 1254. Pro sancti Petri festo celebrando Innocentius propterea dies XXIX. Aprilis adsignatur, quod ejus dies emortualis in paschales vel quadragesimales ferias incideret, quibus Ecclesia Ambrosiana aliud festum nequaquam admitteret. Sanctum enim Martyrem *Sabbato in Albis* die VI. Aprilis A. D. 1252. Como Mediolanum proficiscentem, hæretici ob pontificias constitutiones Mediolani contra eos executioni mandatas, per nefarium hominem pretio librarum XL. denariorum Ticinensium obtruncandum curarunt. Bollandiani in Propylæo, Dissert. XX. §. 8. pag. 173. morem inductum in Petro Sanctorum canoni adscribendo adnotant, ut ad majorem solemnitatem, in area ante fores Ecclesiæ decretum canonizationis tunc primum pronunciaretur, quum antea in aula Concilii pronunciari consuevisset. Hujus pro tuenda fide catholica adversus Catharos seu Manichæos sanguine suo purpurati pugilis gesta egregie pertractantur post Raynaldum variis in locis tomi XIII. in Aprili Bollandiano to. III. pag. 678. & quædam etiam apud Pagium juniorem in Breviario to. III. pag. 333.

IDEM

L.

IDEM

INNOCENTIUS . IV

Sanctorum martyrum canoni adscribit Beatum Stanislaum, Cracoviensem in Polonia Episcopum, ad altare interemtum die VIII. Maji A. D. 1079.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Venerabilibus fratribus, Archiepiscopo Gnesnensi, & ejus suffraganeis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Const. 1. A. D. 1253.

OLim a gentilium oculis tenebrarum detersa caligine, & ab eorum cordibus infidelitatis gelidæ hieme fecedente, vernalis ex eo successit amœnitas, redolentium florum venustate decora, quod Ecclesiæ, prius desertæ ac sterili filii, devotione præcipui, vallo quoque constantiæ præmuniti, nascuntur, qui, ut flores primævi & diffusam spirant suavitatem odoris, & uberioris per Dei gratiam fructum sibi proferunt honestatis: sicque filiorum sibi multitudine proveniente innumera, suique tentorii loco a mari usque ad mare dilatato, infra ipsius invaluit terminos vox turturis, gemitus, ac doloris, dum sæva mutescens crudelitas tyrannorum, idolis exterminio traditis, ad lamenta pœnitentiæ, suffragante illo, cujus stupenda sunt opera, mirifice se convertit. Gaudeat itaque ob hoc ipsa Ecclesia, quod probrosæ detrimenta sterilitatis abjiciens, salubris incrementa fertilitatis suscepit; ac nuptiali fœdere nunc illi gratiosa conjungitur, a quo priusquam esset assumpta de gentibus, invenerat se desertam. Lætetur igitur, & æmulæ suæ de terrestri etiam ejectæ Hierusalem, Synagogæ videlicet, dudum sibi hujusmodi sterilitatis incommoda impingenti secura, respondeat, quod jam suæ prolis fœcunditate cœlestis muri Hierusalem cicatrix obducitur, & quæ antiqui habitatores vacua domicilia reliquerunt, ipsa suæ universitatis illustrabit præsentia, felici postmodum perfectione sui atque integritate gaudens. Porro ne hujusmodi exuberante lætitia quispiam in valle miseriæ, morientium terra, requiem posset sibi polliceri continuam, cujus vita est adversus inimicorum ingruentia bella, exterorum castra, militia super terram, ac ne prædicta Ecclesia, quæ mater est cunctorum fidelium, maternæ conditionis expers existeret; si solitas, præsertim in partu quorundam filiorum suorum, matrum parientium molestias non subiret, interdum instauretur quodammodo sibi adversitas opportuna.

Sicut in passione piæ memoriæ beati Stanislai Cracoviensis Episcopi, cujus meritis præfata refulget Ecclesia, patuit evidenter; cum enim

CONSTIT. I. A.D. 1253.

idem in sortem pontificalis ministerii digne vocatus a Domino, super gregis sibi commissi custodiam prudenter vigilaret; hostium sagaciter exploravit insidias, malignantium anticipavit consilia; æmulique nostri deprehendens laqueos, ipsius caute retiacula dissolvebat. Hic nempe pro suis ovibus cor suum tradiderat ad vigilandum diluculo, ut si quem gravi forte deprehenderet tentatione concussum, mox ubere consolationis adhibito eum erigeret desolatum; & quem in bono proficientem adverteret, eum gratulationis ubere protinus confortaret, ut non minus per hoc deficientibus, quam proficientibus subditis, se claris indiciis ostenderet esse matrem. Verum cum non sine internæ mentis angustia Regem Polonorum, nomine Boleslaum, in tantis horrendis voluptatibus subjici, carnis quoque nefandis illecebris cerneret enervari, ut in passiones ignominiæ traditus & inhumanis contumeliis afficiens corpus suum, mulierum mammillis, avulsis propriis exinde liberis, catulos apponeret miserabiliter educandos, ne execrandam fovere malitiam, & iniquitati ejusdem Regis videretur præfatus Pontifex per dissimulationem favere; postquam ipsum a præmissis flagitiis sedula & paterna correctione revocare non potuit, in ipsum consulte medicinalem Petri gladium exeruit, in spiritu lenitatis sperans, ut percussus dolens, ad percutientem se in humilitate rediret, Dominum exercituum suppliciter requirendo. Sed ipse indurato corde medicinam exhorrens, & increpationem abominans disciplinæ, imo malleum, velut stipulam reputans, non solum nulla pœnitudine se correxit; verum etiam ad pejora in suæ damnationis cumulum provocatus, juxta aram, non ordini, non loco, nec tempori deferens, jussit pontificalibus indutum Antistitem per suos satellites diris corporis cruciatibus deputari: sed quoties ipsi in eum irruere tentant, toties compuncti, toties mansuescunt prostrati. Et tunc idem Rex suæ inserviens impetuosus tyrannidi, manus in eum convertit sacrilegas, sponsum e gremio sponsæ, pastorem abstrahit de ovili, patrem inter filiæ amplexus, & filium in visceribus pene obtruncavit maternis, faciens irritatus atrocitate ferali, ipsius (proh dolor!) corpus inhumaniter in frusta concidi, velut singulis membrorum partibus pœnæ inflictio deberetur.

Sed ille, apud quem patientia pauperum non peribit in finem, non solum rutilantibus hujusmodi sacratissimi corporis partes splendoribus illustravit; verum etiam ipsum, nullo in eo cicatricis apparente vestigio, integritati restituens, aquilarum suarum præsidio miraculose a ferarum morsibus præservavit. Gustato denique ob zelum justitiæ calice acerrimæ passionis, cum ab eodem tyranno totaliter putaretur consumptus, ecce, ut lucifer oritur, & quasi meridionalis fulgor in firmamento consurgit: propter quod ejus faciem in suis necessitatibus nonnulli devotissime deprecantur. Ipse quidem defossus, securus dormit, requiescit, & non est qui ipsum jam exterreat. Nec mirum, quia civitatem illam honoris & gloriæ coronæ insignitus inhabitat, ubi est mansio secura, populus sine murmure, ac patria totum id continens, quod delectat. Verum ne militans Ecclesia de tali & tanto patrono, sic atrociter sibi subtracto, inconsolabiliter, quasi gemitus singultuosos, emitteret, si beneficiorum ipsius affluentia eam non contingeret sæpius delectabiliter irrigari; ecce gloriosus in Sanctis suis Dominus volens ejusdem Patris plenitudinem gloriæ indiciis exprimere manifestis, & præstolanti Ecclesiæ grata conferre super hoc recreationis remedia, tot & tantis fecit ipsum famosis miraculis coruscare, de quibus facta nobis & fratri-

bus

bus nostris, prout debuit, per testes idoneos plena fides exstitit: qui ejus inter Sanctos ceteros implorare subsidium reputavimus merito non indignum: nam mortuis vita; lumen cœcis, auditus surdis, verbum mutis, claudis gressus, epilepticis cerebri robur, & dæmoniacis, immundis ab eis ejectis spiritibus, corporum requies ad ejus invocationem nominis cœlesti dextera subito conferuntur. Propter quod ne hujusmodi rutilantem lucernam sub modio periculose abscondi contingeret, quam idem Dominus tot mirificis signis recte dispofuit super Ecclesiæ candelabrum honorifice collocari, præsertim cum ex hoc ignorantium Deum propellantur tenebræ, confundatur perversorum hæreticorum dogma, & fidelium beata credulitas augeatur; eorumdem Fratrum, necnon Prælatorum, tunc apud Sedem Apostolicam existentium communicato consilio, prædictum beatum Stanislaum Episcopum digne Sanctorum catalogo duximus adscribendum. Quocirca universitati vestræ per Apostolica scripta districte præcipiendo mandamus, quatenus octavo idus Maji, die videlicet, quo mortis absolutus vinculo, victurus perenniter ad fontem supernæ prodiit voluptatis; festum ejusdem, prout miranda ipsius meritorum magnitudo exigit, celebretis & faciatis solemniter celebrari, ut id vobis de thesauris cœlestibus ejus pia intercessione proveniat, quod ipse præstante Domino percepisse dignoscitur, & possidere perpetuo gloriatur. Ceterum ut universitati fidelium invisibilis aulæ consequendi delicias, ex concessa nobis desuper propitiante Domino potestate, sit facultas; quinimo & ut nomen exaltetur Altissimi, sponte suam venerabilem sepulturam fidelium procuremus accessibus frequentari, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui ad dictam sepulturam, in memorato festo & usque ad octavas ipsius, caussa devotionis accesserint, annuatim ipsius suffragia petituri, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, unum annum & quadraginta dies, accedentibus vero annis singulis ad prædictum sepulcrum infra ejusdem festi quindenam, quadraginta dies, de injuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus.

Datum Assisii quintodecimo Kalendas Octobris, pontificatus nostri anno undecimo.

CONSTIT. I. A.D. 1253.

N O T A,

Ex libro III. cap. II. Vitæ sancti Stanislai, a Johanne Longino, alias Dlugosso, conscriptæ, inque tomum II. Maji Bollandiani translatæ, pag. 260. num. 15. has literas damus. Istæ enim emendatiores sunt, quam apud Cherubinum, quem forensibus studiis implicitum, in edendis summorum Pontificum literis diligentiam quampiam minime forensem, insuper habuisse non raro deprehendimus. Quare non semper ex uno Cherubino eas damus, quæ apud illum sepesiuntur. Summus Pontifex Innocentius IV. eadem die alias literas, demptis paucis in fine, his persimiles dedit ad universam Ecclesiam, & Polonos præcipue, ut videre est apud Longinum pag. 261. num. 18. De Stanislao in martyrum canonem referendo sententia non in area ante Ecclesiam, ut de Petro martyre factum notavimus, sed in ipsa Ecclesia Assisiensi beati Francisci vulgata est die VIII. Septembris A.D. 1253. Ejus festum jam celebratur die VII. Maji, quia Clemens VIII. Pont. Max. ne cum festo Apparitionis beati Michaelis Archangeli, & Gregorii Nazianzeni Ecclesiæ Doctoris concurreret, die nimirum VIII. & IX. Maji, illud agi voluit die VII. ejusdem mensis, quo dio inscriptus est Martyrologio Romano. De illo agit etiam Raynaldus A. D. 1253. §. 19. Pagius senior A.D. 1079. §. X. & Pagius junior in Breviario to. II. pag. 453. & to. III. pag. 324. Ceterum sanctissimus Pontifex BENEDICTUS XIII. qui etiam parvulas has notulas & subitarias, vix e prelo egressas, atque adhuc madidas, legere non dedignatur (notulas enim scribimus, non commentarios) pro sua pietate lætabitur utique, hic a nobis pandi, Boleslaum Poloniæ Ducem seu Regem, optimi episcopi & martyris Stanislai peremtorem, post tantum facinus peregre abiisse, inque cœnobio Ossiacensi ordinis sancti Benedicti in Carinthia prope Villacum non procul a finibus Italiæ, infandi criminis sui pœnitentia ductum, in classe Fratrum, quos *Conversos* appellant, usque ad mortem ignotum latitasse. Gabriel Bucelinus ejusdem Boleslai tumulum ibidem veneratum se ait A. D. 1649. Bollandianos consule hoc testantes die XXIX. Junii pag. 505. num. 32, tomo VII. Parte I.

CONSTIT. LI.
A. D. 1255.

L I.

IDEM

ALEXANDER . IV

Sanctarum virginum canoni adscribit B. CLARAM ab Assisio in Umbria, sanctimonialium ordinis Minorum primam Abbatissam, & Clarissarum institutricem, quæ obiit die XII. Augusti A. D. 1253.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Venerabilibus fratribus, universis Archiepiscopis, & Episcopis per Regnum Franciæ constitutis, salutem & Apostolicam benedictionem.

CONST. LI. A. D. 1255. CLara claris præclara meritis, magnæ in cœlo claritate gloriæ, ac in terra splendore miraculorum sublimium, clare claret. Claræ hujus arcta & alta religio hic coruscat; hujus sursum æterni præmii radiat magnitudo, hujusque virtus signis magnificis mortalibus illucescit. Huic Claræ intitulatum hic fuit summæ privilegium paupertatis. Huic in excelso rependitur inæstimabilis copia thesaurorum. Huic a catholicis plena devotio & honoris cumulus exhibetur. Hanc Claram sua fulgida hic insignierunt opera. Hanc Claram in alto divinæ lucis clarificat plenitudo. Hanc christianis populis prodigiorum ejus insignia stupenda declarant. O Clara, multimodæ titulis prædita claritatis! Ante conversationem tuam utique clara, in conversatione clarior; in claustrali conversatione præclara, & post decursum vitæ præsentis spatium clarissima illuxisti. Ab hac Clara clarum exempli speculum huic sæculo prodiit. Ab hac inter amœnitates cœlestes suave lilium virginitatis offertur. Ab hac in terris manifesta subventionum remedia sentiuntur. O admiranda Claræ beatæ claritas, quæ quanto studiosius per singula quæritur, tanto splendidior in singulis invenitur! Emicuit hæc, inquam, in hoc sæculo, in religione præfulsit, in domo illuxit, ut radius, in claustro coruscavit, ut fulgor. Emicuit in vita, post mortem radiat, claruit in terra, in cœlo relucet. O quanta hujus vehementia luminis, & quam vehemens istius illuminatio claritatis! Manebat quidem hæc lux secretis inclusa claustralibus, & foras micantes radios emittebat. Colligabatur in arcto cœnobio, & in amplo sæculo spargebatur. Servabatur intra, & extra manebat. Latebat namque Clara, sed ejus via patebat. Silebat Clara, sed sua fama clamabat. Cœlabatur in cella, & in urbibus docebatur. Nec mirum, quia lucerna tam accensa, tam lucens, abscondi non poterat, quin splenderet, & clarum in domo Domini daret lumen. Nec recondi pote-

poterat vas tot aromatum, quin flagraret, & suavi odore dominicam aspergeret mansionem. Imo cum in angusto solitudinis reclusorio alabastrum sui corporis hæc dure contereret, tota omnino Ecclesiæ aula sanctitatis ejus odoribus replebatur. CONSTIT. LI. A. D. 1255.

Sane cum ipsa, dum adhuc puella esset in sæculo, hunc mundum fragilem & immundum, mundo calle ab ætate tenera transilire studeret, & pretiosum suæ virginitatis thesaurum illibato semper pudore custodiens, caritatis & pietatis operibus vigilanter intenderet, ita quod ex ea grata & laudabilis ad vicinos & alios fama prodiret, beatus Franciscus, audito hujus famæ præconio, cœpit confestim hortari eam, & ad Christi perfectam inducere servitutem. Quæ sacris illius monitis mox adhærens, & mundum cum terrenis omnibus penitus abdicare, ac soli Domino in paupertate voluntaria famulari desiderans, hoc suum fervens desiderium, quam cito potuit, adimplevit. Quæ tandem cuncta sua bona, ut una secum quicquid etiam habebat, Christi obsequio deputaret, in eleemosynas, & pauperum subsidia distribuit & convertit.

Cumque de sæculi strepitu fugiens, ad quandam campestrem declinasset Ecclesiam, & ab ipso beato Francisco, sacra ibi recepta tonsura, processisset ad aliam, consanguineis ejus ipsam exinde reducere molientibus, illa protinus amplectens altare, pannosque apprehendens ipsius, crinium sui capitis incisura detecta, eisdem consanguineis in hoc fortiter restitit & constanter, quia cum jam esset mente integra juncta Deo, pati non poterat ab ejus servitio se divelli. Denique cum ad Ecclesiam sancti Damiani extra civitatem Assisinatem unde traxit originem, per eumdem beatum Franciscum adducta fuisset, ibi ei Dominus ad amorem & cultum assiduum sui nominis, plures socias aggregavit. Ab hac siquidem insignis & sacer ordo sancti Damiani per orbem jam longe diffusus, salutare sumpsit exordium. Hæc, adhortante ipso beato Francisco, huic novæ sanctæque observantiæ sequendum dedit initium. Hæc hujus magnæ religionis fuit primarium & stabile fundamentum. Hæc hujus alti operis lapis extitit primitivus. Hæc genere nobilis, sed conversatione nobilior, virginitatem, quam prius etiam custodiverat, sub hac sanctimoniæ regula præcipue conservavit.

Hanc postmodum religionem mater ejus, Hortulana nomine, piis intenta operibus, ipsius natæ sequendo vestigia, devote suscepit, in qua demum hæc optima Hortulana, quæ in horto dominico protulit talem plantam, conclusit feliciter dies suos. Post aliquot vero annos, ipsa beata Clara monasterii & sororum regimen, nimia ejusdem sancti Francisci devicta importunitate, recepit.

Hæc utique fuit arbor procera & eminens, longis distenta ramis, quæ in agro Ecclesiæ dulcem fructum religionis attulit, & ad cujus delectabilem umbram sub illius amœnitate, fructum hujusmodi libaturæ concurrerunt undique multæ alumnæ fidei, & concurrunt. Hæc fuit nova mulier vallis Spoletanæ, quæ novum aquæ vitalis fontem ad refectionem animarum & commodum propinavit, qui jam per diversos rivulos in territorium Ecclesiæ derivatus, plantaria religionis infudit. Hæc fuit altum sanctitatis candelabrum, vehementer in habitaculo Domini rutilans, ad cujus ingentem splendorem plurimæ properaverunt & properant, suas de illius lumine lampades accendentes. Hæc profecto in agro fidei plantavit & coluit vineam paupertatis, de qua fructus salutis pingues & divites colliguntur. Hæc in

prædio

CONSTIT. LI. A. D. 1255.

prædio Ecclesiasticæ humilitatis hortum constituit, multiplici rerum consertum inopia, in quo magna virtutum copia reperitur. Hæc in religionis districtu arcem arctæ abstinentiæ fabricavit, in qua larga spiritualis alimoniæ refectio ministratur. Hæc fuit pauperum primiceria; ducissa humilium, magistra continentium & pœnitentium Abbatissa. Hæc suum monasterium, creditamque in illo sibi familiam solicite ac prudenter in timore ac servitio Domini & plena ordinis observantia gubernavit; vigil in cura, in ministerio studiosa, in exhortatione attenta, diligens in admonitione, in correctione moderata, temperata in præceptis, in compassione præstabilis, discreta in silentio, in sermone matura, & consulta in cunctis ad perfectum regimen opportunis, volens magis famulari, quam dominari, & honorare potius, quam honore sustolli. Hujus vita erat aliis eruditio & doctrina. In hoc libro vitæ ceteræ vivendi regulam didicerunt. In hoc vitæ speculo reliquæ vitæ semitas inspexere. Corpore namque sistebat in terra, sed animo versabatur in cœlo, humilitatis vasculum, armarium castitatis, caritatis ardor, dulcor benignitatis, patientiæ robur, nexus pacis, & familiaritatis communio, mitis in verbo, lenis in facto, & in omnibus amabilis & accepta. Et ut, carne depressa, convalesceret spiritu, quia quisque hoste suo debilitato, fit fortior, nudum solum, & interdum sarmenta pro lecto habebat, & pro pulvinari sub capite durum lignum, unaque tunica cum mantello de vili, despecto & hispido panno contenta. His humilibus indumentis ad operimentum sui corporis utebatur, aspero cilicio de cordulis crinium equorum contexto nonnumquam adhibito juxta carnem. Arcta quoque in cibo, & in potu districta, tanta se in his frænabat abstinentia, quod longo tempore tribus diebus in hebdomada, videlicet secunda, quarta & sexta feria nihil penitus pro sui corporis alimento gustavit, reliquis nihilominus diebus adeo se cibariorum parvitate restringens, quod aliæ de ipsa quomodo sub tam forti districtione subsistere poterat, mirabantur. Vigiliis insuper & orationibus assidue dedita, in his præcipue diurna & nocturna tempora expendebat. Diutinis tandem perplexa languoribus, cum ad exercitium corporale non posset surgere per se ipsam, sororum suarum suffragio levabatur, & ad tergum ejus fulcimentis appositis, propriis manibus laborabat, ne in suis etiam esset infirmitatibus ociosa. Unde de panno lineo hujus sui studii & laboris plura pro altaris sacrificio corporalia fieri fecit, & per plana & montana Assisii diversis Ecclesiis exhiberi. Amatrix vero præcipua & colona sedula paupertatis, sic illam suo affixit animo, sic eam in suis desideriis alligavit, quod semper in ipsius dilectione firmior & ardentior in amplexu, a districta & delectabili ejus copula pro nulla unquam necessitate discessit, nec aliquibus prorsus potuit induci suasibus ad consentiendum, quod suum monasterium proprias possessiones haberet, quamquam felicis recordationis Gregorius Papa prædecessor noster de multa indigentia ipsius Monasterii pie cogitans, libenter illi voluerit pro sororum ejus sustentatione possessiones sufficientes & congruas deputare.

Verum quia magnum & splendidum luminare supprimi non potest, quin suæ radios proferat claritatis, in ipsius etiam vita multis & variis miraculis virtus suæ sanctitatis effulsit. Nam cuidam de sororibus ipsius monasterii vocem, quam longo tempore quasi omnino perdiderat, restauravit. Alii, officio linguæ penitus destitutæ, loquelam resti-

restituit expeditam. Alteri autem surdam aperuit ad auditum. Laborantem febre, tumentem hydropisi, plagatam fistula, & aliis oppressas languoribus liberavit, facto Crucis signaculo super eas. Quemdam Fratrem de ordine Minorum sanavit ab insaniæ passione. Cum autem quadam vice oleum in monasterio totaliter defecisset, ipsa vocato fratre, qui erat eidem monasterio pro colligendis eleemosynis deputatus, accepit urceum, atque lavit, vacuumque juxta fores ipsius monasterii posuit, ut illum idem Frater pro oleo acquirendo deferret: quem cum vellet ipse apprehendere, invenit eum oleo, beneficio divinæ largitatis impletum. Rursum cum uno die non nisi unius panis medietas pro refectione sororum in eodem monasterio haberetur, ipsa medietatem eamdem jussit in frusta dividi, & sororibus dispensari: quam inter manus frangentis ille, qui vivus est panis, & dat escam esurientibus, multiplicavit in tantum, quod quinquaginta sufficientes factæ fuerunt exinde portiones, & sororibus discumbentibus distributæ. Per hæc & alia signa conspicua, suorum dum adhuc viveret innotuit præeminentia meritorum. Nam & cum in extremis ageret, candidus beatarum virginum cœtus, micantibus coronis ornatus, in qua una ex ipsis eminentior & fulgidior apparebat, visus est domum intrare, ubi eadem Christi famula decumbebat, & usque ad lectulum ejus procedere, ac circa eam quasi visitationis officium, ac confortationis solamen quodam humanitatis studio exhibere.

Post obitum vero ejus, quidam, qui morbo caduco ruebat, & propter crus contractum gradi non poterat, ad sepulcrum delatus ipsius; fuit ibi crure ipso quasi fragoris sonitum faciente, ab utraque infirmitate curatus. Curvi renibus, membris contracti, præcipites furia, & dementi furore ferales, receperunt ibidem integram sospitatem. Cuidam sua dextera manus, cujus ipse usum ex illata sibi vehementi percussione ita perdiderat, quod nihil omnino per eam, veluti prorsus inutilem poterat operari, fuit ad actum suum pristinum, ipsius Sanctæ meritis plenarie reformata. Alius, qui diutina cæcitate lumen amiserat oculorum, cum ad idem sepulcrum sub ducatu alterius accessisset, recuperato inibi visu, rediit exinde sine duce. His & quamplurimis aliis operibus & miraculis hæc venerabilis virgo resplenduit gloriosis, ut evidenter appareat adimpletum id, quod de ipsa mater ejus, dum esset ex ea gravida, & oraret, dicitur audivisse, videlicet, quod paritura erat quoddam lumen, quod orbem plurimum illustraret.

Gaudeat itaque mater Ecclesia, quod talem genuit & educavit filiam, quæ, tamquam virtutum fœcunda parens, multas religionis alumnas suis produxit exemplis, & ad perfectum Christi servitium pleno magisterio informavit. Lætetur & devota turba fidelium, quod Rex cœlorum & Dominus sororem ipsorum & sociam, quam in sponsam sibi eligerat, ad suum præcelsum & præclarum palatium cum gloria introduxit. Nam & Sanctorum congaudent agmina, quod in superna eorum patria novellæ regalis sponsæ nuptiæ celebrantur.

Ceterum quia congruit, ut quam Dominus exaltavit in cœlo, catholica Ecclesia veneretur in terra, quia de sanctitate vitæ ac miraculis ejus diligenti & attenta inquisitione ac examinatione districta, & solemni discussione præmissis, liquido constitit, licet alias etiam

& in

CONSTIT. LI.

A.D.1255.

& in propinquis & remotis partibus satis essent præcognita lucida ejus acta, nos de communi Fratrum nostrorum & Prælatorum omnium, tunc apud Sedem Apostolicam existentium, consilio & assensu, de omnipotentia divina confisi, auctoritate beatorum Petri & Pauli Apostolorum, ac nostra, ipsam catalogo Sanctarum virginum duximus adscribendam.

Ideoque universitatem vestram monemus & hortamur attente, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus pridie idus Augusti festum ejusdem virginis devote & solemniter celebretis, & faciatis a vestris subditis venerabiliter celebrari, ut ipsam habere mereamini apud Deum piam & sedulam adjutricem.

Et ut ad venerandum ejus sepulcrum avidius & copiosius christiani populi confluat multitudo, ac celebrius ipsius festivitas recolatur, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui ad illud cum reverentia in ejusdem virginis festo, vel etiam infra ipsius festi octavas annuatim accesserint, ipsius suffragia humiliter petituri, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, annum unum & quadraginta dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus.

Datum Anagniæ XIV. Kalendas Novembris, pontificatus nostri anno primo.

N O T A.

Beata Clara, sancti Francisci discipula, quod ad ædem sancti Damiani extra Assisium adducta, sa ibidem cum aliis Deo voverit, inde sacrarum Virginum ordo sancti *Damiani* appellatus. Claram in cœlum abituram invisit Summus Pontifex Innocentius IV. qui etiam ajus funari cum Cardinalibus, interque hos cum Raynaldo episcopo Ostiensi, qui postmodum Alexander IV. Pontifex dictus, eam canonizavit Anagniæ A.D.1255. De die lis ast. Alii enim dja XII. alii XV. Augusti, alii XXVI. Sepeembtis, alii XIX. Octobris id factum existimarunt. Hæc tamen dissensio inde orta, quod plures bullæ ea de re non uno tempora datæ fuerint. Etenim illo ævo non samper viri sancti illa ipsa die canonizati sunt, qua bullæ vulgatæ, ut jam sæpe observatum. Nos ajus Vitam, jussu Aleaandri IV. conscriptam apud Surium dia XII. Augusti, ceteris præferendam putamus, quæ Claram, *instante ipso ejus migrationis die*, nempe XII. Augusti, in sanctarum Virginum canonem relatam testatur. De aa vide Minorum Historicum, Annalium to.I. pag.507.508. to.II. pag.102. atqua alibi passim; Raynaldum quoque tom.XIV. A.D.1255. §.20. & Pagium in Breviario tom.III.pag.336. Scripta ejus recenset VVaddingus in Scriptoribus Minorum pag.91.

URBA-

LII.

URBANUS. IV

Sanctorum confessorum pontificum canoni adscribit Beatum Richardum, Cicestrensem in Anglia Episcopum, qui obiit die III. Aprilis A. D. 1253.

URBANUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Venerabilibus fratribus, Archiepiscopis & Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Præpositis, Archipresbyteris, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ad quos literæ istæ pervenerint, salutem & Apostolicam benedictionem,

Exultet jam Angelica turba cœlorum, exultent divina mysteria. Summi namque Regis victoria, & salutaris passionis ejus effectus in humani generis relucent creatura. Exultent in gloria Sancti, & suis in cubilibus lætentur de novo cœli concive, qui habitator dudum domus luteæ, terrenum fundamentum habentis, post carnem cum vitiis, mundum cum deliciis superatum, post habitum de hoste antiquo triumphum, corporis ergastulo resoluto, factus compatriota cœlestium cœlesti quiescit in patria, sidereas incolit mansiones. Exultet mater Ecclesia novæ prolis fœcunditate jucunda, cujus meritis fidem catholicam, supra firmam petram stabili firmitate firmatam, claris inspicit clarere miraculis, & signis insignibus insigniri; quibus fallaces hæreticorum confutantur fallaciæ, Judæorum confunditur obstinata pertinacia, inexcusabilis ignorantia paganorum omni prorsus excusationis etiam velamento fraudatur. Anglia prorumpat in jubilum, & celebri memoria se virum produxisse angelicum meditetur, consortem gloriæ Angelorum. Exultet & gaudeat Cicestrensis Ecclesia, quæ tantum meruit habere Pastorem, qui eam vivens salutaribus instituit monitis, laudabilibus instruxit exemplis; moriens favore munit apud homines, intercessionibus protegit apud Deum. Gaudens igitur & exultans, cum jucunditate commemoret, se in terris habuisse patronum, cujus in cœlo patrociniis munitur.

Plaudant etiam & jubilent passim profusis cuncti Christicolæ gaudiis, dum possessiones hujus sæculi ad æternam considerant gloriam profuisse, ut temporalibus pœnis affecti, æternis gaudiis potiantur; dum mundi, mundanorumque contemptum ad hereditatis æternæ principium convalescere intuentur; ut terrena spernentes superna participent, & fiant Christi Domini coheredes. Plaudant itaque manibus, exultationis vocibus jubilent, plausus exultet operum, jubilet vox psalmorum, piis plaudant manus operibus inter orationum devota

CONSTIT. LII.
A. D. 1262.

tripudia voces ſonent, reſonent cymbala bene ſonantia, labia cordi concinna concordi concrepent harmonia, cor amet, lingua clamet, manus operetur inſtanter, læti diem agant lætitiæ plebs & clerus, ex immenſitate gratiæ menſuram laudis & lætitiæ metiantur. Laudent igitur Dominum ſecundum multitudinem infinitæ ſuæ magnitudinis, ſine fine laudent eum, in venerandæ memoriæ beato Richardo, quondam Epiſcopo Ciceſtrenſi, mirabilem: quem ipſe immenſa ſua bonitate virtutum mirificans operatione & gratia ſanitatum, ſic immenſis illuſtravit miraculis, quod in diverſitate graduum ſui ſtatus, in gratia & gloria gradatim aſcendit.

In ſubjectionis namque ſtatu, quaſi ſtella matutina promicuit in medio nebulæ; dum in juvenilis ætatis ignorantia, innocentiæ firmato veſtigio, imitando vixit exemplo. In Prælationis gradu, quaſi luna in diebus ſuis plena, reſplenduit, potiora tam de virtutum creſcentium meritis incrementa ſuſcipiens, quam de obrentæ gloria dignitatis. Poſt felicem vero tranſitum de hac vita, quaſi ſol refulgens, ſic ipſe in Dei templo refulſit, dum ſignis evidentibus, quaſi radiantibus ſolis radiis, coruſcans, felix principium feliciori continuatum medio feliciſſimo meruit fine concludi. Ejus vitæ nimirum talis exitus debebatur: ſic namque dedit ei largitor bonorum omnium præſentis vitæ curricula decurrere, ut mundo moriens, ipſi Deo felicius vivere mereretur. Cujus vitam, per quam veræ vitis palmes effectus vivit æterna plantatus in vita; cujus proceſſum, per quem ſibi ad cœleſte palatium Pater miſericordiarum paravit acceſſum; cujus miranda miracula, quibus miraculoſe per ipſius merita dominator Dominus ſuam mirificavit Eccleſiam; ad ſuæ laudis præconium, ad inſtruendum novis propugnaculis Chriſtianæ religionis ædificium, ad præſentium & futurorum inſtructionem & gaudium, grato compendio, gratia divina favente ſermoni, compendioſus ſermo perſtringat.

Hic namque a primævæ juventutis ſuæ primitiis ducis illius ducatu ductus, illius regis rectus & directus regimine, in cujus cellaria ipſum ſequens, ipſi obſequens, ſemper optavit anxius, & tandem obtinuit (ut credimus firmiter) glorioſius introduci. Vacans ſtudioſe virtutibus, virtutum Domino votive reddidit vota ſua: omnia, quæ juvenilis ætas pernicioſe ſolet amplecti, velut in annoſa jam conſtitutus ætate, diſcreta maturitate devitans, continentiæ ſtuduit: adoleſcentiæ ac juventutis vias incertas adeo impolluto niſus calle tranſire, quod famam ſuam ab omni contagii carnalis infamia ſervavit illæſam. Qui etiam a fratre primogenito, per grati ejus obſequii inducto gratiam, non ſeducto per alicujus calliditatis aſtutiam, cum oblatione cedendi patrimonii, quod ſecundum morem patriæ idem frater totaliter obtinebat, invitatus ad conjugale cujuſdam puellæ nobilis conſortium; mundi hujus, corde mundo, immundis illecebris, ut in ſortem Domini cederet, ceſſit hujuſmodi ceſſioni, & animam ſuam firmo propoſito cœleſti ſponſo deſponſans, ſponſæ terrenæ ſponſalia ſponte ſprevit; ad caſtitatis aſpirans privilegium, non exſecrans carnalis matrimonii ſacramentum. O negociatio provida! O utilis & ingenioſa mercatio! Terrena pro cœleſtibus commutavit, tranſitoria pro manſuris, temporalia pro æternis. Contempſit temporale patrimonium, ut particeps fieret hereditatis æternæ. Carnalis conjugii voluptates, appetentibus anxias, ſatiatis pœnitudine plenas, abhorruit, ut immaculati tori delicias, deſiderantibus ſuaves & placidas, fruentibus gratas & avidas, obtineret.

Quo

Quo uberius scientia & virtutibus impleretur, impendit studio solicitus operam, virtutibus se virtuose devovit. CONSTIT. LII.

A. D. 1262.

Et quia vas novum, animum scilicet, peccatorum maculis non infectum, vero attulit Eliseo, ipse sapientiæ sal misit in id, ipsumque virtutibus ac famæ nitentis oleo adeo fœcundavit, quod proficiens præ coætaneis in literarum scientia, in tantum virtutibus profecit & fama, quod inter ceteros, imo cum ceteris, beatus Eadmundus, tunc Cantuariensis Archiepiscopus, currens in scientiæ suæ præconio & laudabilis conversationis odore, ipsum etiam participem singularis familiaritatis, & ad officium Cancellarii Cantuariensis assumpsit. Cumque datam illi a Domino gratiam pleniorem exsolveret familiaris experientia, quam vulgaris fama promiserat, circa totius Archiepiscopatus administrationem ipsius ministerio utebatur; ipsum suam dexteram reputabat, fidum sui pectus consilii, fidelem ministrum justitiæ, ac eruditam linguam fructuosæ doctrinæ. In his autem & aliis inferioribus administrationibus suæ curæ commissis, veri Dei divina ipsum prosequente gratia, taliter ministravit, quod in veracitate sermonis, censura justitiæ, mansuetudinis lenitate, humilitatis cultu omnibus se amabilem exhibuit, omnibus utilem; pauperes auxilio, divites consilio refovendo, in his quasi stella matutina resplendens, suis crescentibus meritis in plenæ lunæ claritatem excrevit. Licet enim soleant interdum virtutes tepescere, vel otio cedere, in desideratæ dignitatis culmine dum student aliqui vivere quietius, ut persistant in optata & obtenta dignitate diutius; in isto tamen cum altioris gradus incremento creverunt.

Ipse namque vocatus ad regimen Cicestrensis Ecclesiæ, factus est solito magis vigil ad curam, non segnis ad opus: suavis ad mores. Ex tunc fuit ei pauperum cura major, habitus abjectior, gestus & affatus humilior. Ex tunc ille in persecutionum perpessione fortior, in libertatis ecclesiasticæ defensione constantior, in justitiæ censura inflexibilior, in oratione ferventior, in eleemosynarum largitione profusior, in proprii corporis castigatione rigidior, districtior in observantiæ disciplina, in carnis & spiritus lucta prudentior. Horum colluctationes frequentes in ipsa lucta dum prudenter attendit, studuit luctari prudentius. Carnem coegit servire spiritui, abjecit ancillam & filium ejus, carnem & carnis incentiva prosternens. Vigiliis vero, quas spreto cubili pervigil observabat, refocillavit spiritum, pavit jejuniis, multa orationum assiduitate nutrivit. O virum industrium! O circumspecti athletæ prudentiam! Carni arma debilitationis imposuit, ut armis fortitudinis spiritus armaretur: illi dedit arma terrestria, ut spiritus arma cœlestia commodius toleraret. Ut enim carnis carie caute careret, effectu vere Mardochæus effectus, ipsius & nomen & omen assumpsit, dum nominis interpretationem implevit, impudentis carnis factus amara contritio, & ipsam amare conterens impudentem. Posuit enim vestimentum ejus cilicium, & ipsius stimulos corrigia, ligneis & ferreis pungente stimulis, se nudum comprimendo, repressit; loricamque superinduens, arma macerationis adjecit. O pugnantis cauta sagacitas, sagaxque cautela! O dolus bonus in hostem! Sic armavit adversarium, ut armis debilitaret armatum, cum debilitato secure confligeret, in conflictu quietius vinceret, de armato victoriam virtuosius obtineret.

CONSTIT. LII. A. D. 1262.

Hæc miranda, hæc laudanda belli victoria, non in exercitus multitudine, sed de cœlo veniens fortitudo. Hoc opus illius, in cujus conspectu non est differentia in multis liberare, vel paucis. Hoc opus illius, qui docuit lucernam ardentem non poni sub modio, sed candelabro superponi. Hoc opus illius, qui quod verbo docuit, opere in beato Richardo adimplevit. Ipse enim Pater luminum, qui dedit ei per tenebras mundi hujus in suo lumine ambulare, in ipso meritorum lucernam accendit. Ipse illam candelabro mirabilium operum superimposuit, ut per clara merita, quasi luna resplendens, tandem per miraculorum evidentiam in solis fulgore proficeret, & quasi sol in templo Christianæ fidei refulgeret, nec laterent in absconditis tantæ opera claritatis; quæ idem summus Pontifex per eum non solum cum ipso regnantem, sed etiam adhuc, licet præter carnem, tamen in carne viventem, dignatus est mirabiliter operari, patientibus ad beneficium, videntibus & audientibus ad miraculum, imitationis exemplum, & proficiendi doctrinam: quorum de multis aliqua, onerosæ multitudinis gratia, brevis series referabit. Quodam siquidem edulitatis tempore ad ejusdem beati viri eleemosynam inopinata concurrente inopum copia, panem, qui ægre sufficiens ad nonaginta refectionem pauperum, distributione solita, occurrentis multitudinis vix parti minimæ concurrebat in numero, vivus panis, qui de cœlo descendit, ad ipsius benedictionem abundare fecit in tantum, quod præter æstimationem adstantium, refectis abunde fere tribus millibus pauperum, consuetas recipientium portiones de supernæ abundantia pietatis superabundaverunt partes, quæ secundum eamdem distributionem centum adhuc pauperes refecissent.

Hic resolutionis sui corporis tempore propinquante, per plures dies ante, horam mortis certam (licet ipsa nihil incertius) facti subsecuta veritate dictum certificante, prædixit. Post cujus transitum, corpus ipsius antea gravatum vigiliis, terræ duritia, in qua frequenter solebat decubare, confractum; jejuniis maceratum, macerationibus multis afflictum; præter humanum morem nitidissimum apparuit, ut probaretur pressuris talibus non oppressum, sed potius expolitum. Ad ipsius invocationem contractos, quorum membra naturaliter gressui ministrantia ita totaliter plurium annorum paralysis inveterata contraxerat, ut, eisdem membris hujusmodi ministerio ineptis redditis, nulla omnino daretur gradiendi facultas; ille, cujus mira sunt opera, subito membris ipsis insolita virtute erectis, in liberi gressus libertatem erexit. Antiquatas fistulas, plurium ossium concavas contractione, & sine spe sanitatis stillantes saniem, ejusdem Sancti meritis, ulceribus etiam repente sanatis, divinæ pietatis clementia desiccavit. Tres mortuos, quorum unum currentis currus per medium rota compresserat, reliquos vero febris extinxerat, ille, qui mortem moriendo destruxit, precibus sub ejusdem porrectis nomine suscitavit ad vitam. Et quod non est prætereundum silentio, sed solemni vulgandum gaudio, in humanum corpus, e vestigio inhumandum (utpote de corpore matris natum exanime, de utero transferendum ad tumulum) ejus invocato nomine, animam viventem animarum Creator infudit.

Sane his & aliis miris operibus, Sancti hujus astruentibus sanctitatem, & christianæ fidei veritatem miraculorum lingua loquente, concurrit undique populus, crevit devotio, laudatur Dominus de salutiferis gratiis, salutis auctori gratiæ referuntur. Invaluit super his gratia

& fa-

& fama communis & celebris in auribus felicis recordationibus Alexandri Papæ prædecessoris nostri : de Anglorum tabernaculis vox exultationis & salutis intonuit : ad ipsum carissimi in Christo filii nostri Regis illustris, Prælatorum & aliorum Magnatum Angliæ, supplicationis humilis instantia ascendit. Prædecessoris nostri auctoritate inquisitionem fieri super prædictis obtinuit ; nos & Fratres nostros per Prælatos, religiosos, comites, barones, & alios fide dignos, in inquisitione ipsa probata veritas, & auctoritate nostra primo per venerabilem Fratrem nostrum Episcopum Tusculanensem, ac demum per nos & eosdem Fratres diligenti examinatione discussa, de Sancti ejusdem vita mirabili, miraculis & meritis gloriosis instruxit. Exultet itaque cœlum laudibus, resultet terra gaudiis, & hujus Sancti solemnia læto conventu concinat populus Christianus. Molliatur durities Judæorum, Paganorum ignorantia instruatur, sileant hæreses, hæreticorum dolosa labia conticescant ; nec moliantur amplius dolosæ vulpeculæ religionis Christianæ segetem caudis ignitis, & dolosis fraudibus demoliri. Virtutem vereantur Ecclesiæ, tanti ac talis & similium patronorum defensione munitæ : nec ipsorum præsumptuosa temeritas de cetero contra ipsam præsumat insidiari, evidentium operum & signorum tantis propugnaculis instructam. Signis saltem evidentibus acquiescant qui in veri dogmatis testimoniis non quiescunt : operibus saltem credant qui pertinaciter evangelicæ doctrinæ non credunt. Avertantur ab errorum inviis, veritatis convertantur ad viam, ut in Domini veritate directi, rectius hujus beati viri vias fidei & operis vestigiis investigent, ipsumque sequi studeant, qui ambulans in via immaculata, Domino fideliter ministravit.

Ceterum, quia (sicut de ipso pro certo tenet excepta ex his certa & indubitata credulitas) Rex cœlestis sic eum honorari decrevit in cœlis, ut æternæ claritatis lumine, quasi regiis amictus vestimentis, & sempiternæ gloriæ diademate decoratus, sedi supernæ quietis insideat, decet, ut nostro ministerio per omnem Christianæ Ecclesiæ ambitum vehiculo debitæ venerationis incedens, profusis per orbem gaudiis & effusis ubique laudibus honoretur in terris. Propter quod de Fratrum eorumdem ac Prælatorum omnium, apud Sedem Apostolicam existentium, unanimi consilio & concordi consensu, in festo beati Vincentii XI. Kalendas Februarii, eum, hostis humani generis, carnis & mundi victorem, Sanctorum catalogo cum celebri gaudio duximus adscribendum. Ideoque universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus tertio nonas Aprilis, quo utique die Ipsius beatus spiritus de vitæ præsentis exilio transivit ad patriam, & mundi hujus egressus tenebras, ac luminis abyssum ingressus, ad inaccessibilem lucem accessit, ipsam felix habitans, & habitus feliciter ab eadem, celebriter ejus festa celebria modulatis vocibus & cordibus medullatis, annis singulis celebretis, & a vestris faciatis subditis celebrari, ut eumdem gloriosum confessorem & inclytum venerantes in terris, sentiatis intercessorem assiduum & defensorem propitium in excelsis.

Ut autem ad venerabile sepulcrum ipsius eo affluentius, quo utilius, confluat populi multitudo, & colatur solemnius ejusdem confessoris veneranda solemnitas, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui cum devotione ad id in die solemnitatis ipsius accesserint, ejus imploraturi suffragia, singulis annis, quibus illuc venerint, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confi-

CONSTIT. LIII. A. D. 1267.

confisi, unum annum & quadraginta dies; accedentibus autem ad prædictum sepulcrum infra ejusdem festi quindenam, quadraginta dies de injuncta eis poenitentia misericorditer relaxamus.

Datum Viterbii decimo Kalendas Martii, pontificatus nostri anno primo.

NOTA.

Sancto Eadmundo Cantuariensi Archiepiscopo superius memorato Constit. XLVI. adjutor fuit in administratione suæ Ecclesiæ hic Sanctus Richardus, Christianis virtutibus ei plane similis. De eo vide Bollandianos Hagiologos tomo I. Aprilis pag. 277. Qui Vitam ejus libris II. complexus est Radulphus ordinis Fratrum Prædicatorum, has, quas dedimus literas Urbani IV. inseruit libro II. cap. III. pag. 315. proxime laudati operis Bollandiani, unde nos illas transcripsimus emendatiores, quam quæ prostant apud Cherubinum.

LIII.

CLEMENS IV.

Sanctarum viduarum canoni adscribit Beatam Hedvvigem, Bertoldi III. Comitis Andecensis, Meraniæ Ducis, atque Histriæ Marchionis filiam, Henrici Barbati Poloniæ & Silesiæ Ducis uxorem, ac postea sanctimonialem Cisterciensem, quæ obiit die xv. Octobris A. D. 1243.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Venerabilibus fratribus, Archiepiscopo Gnesnensi & ejus suffraganeis, salutem & Apostolicam benedictionem.

CONST. LIII. A. D. 1267. Prov. XXXI. 10.

EXultat cunctorum fidelium pia mater Ecclesia, novæ laudis ex intimis jubilum productura ex eo, quod declinante mundo ad vesperam, tamquam inæstimabilem margaritam, *invenisse fortem* dignoscitur *mulierem*, cujus constantis animi munimenta nec aries ex adversis impulsus eventibus quatere potuit, nec ab illo ipsam avertere, quod in mentis utero digne conceperat proposito sanctitatis. Sed cum inventionem difficilem Sapiens asserat hujusmodi *mulieris*, quænam sit illa, deducatur in lucem, & habeatur ejus notitia, ne ab hominum ignorantiæ nebulis notione subducta, laudum defraudetur præconiis, quibus per mundi climata est suis ubilibet meritis attollenda. Non enim quam tantæ virtutis titulus illustravit, decet amplius occultari sub modio, quodque teneatur in abditis, quam divina meritorum cumulo benignitas sic provexit. Nec enim *fortium mulierum* voluit antiquitas oblivisci, sed supra candelabrum virtutis & gratiæ sic posuit & ere-

& erexit easdem, quod ipsarum memoriam edax non posset abolere vetustas, & quæ aliorum bona graviter inficit, fascinatio denigrare. Hinc Judith & Jabel, quæ Holofernem & Sisaram virili dextera peremerunt, suorum claritate gestorum ipsa deputavit perpetuis antiquitas monumentis, ut quæ antiquis utilitati fuerunt, esset deinceps ipsarum prorogata memoria posteris in exemplum. Propter quod, ne ipsi antiquitati, quæ solicitudinis manum, ut posteris ipsis proficeret, a laboribus non subduxit, quæque, ut nobis disciplinæ ac morum, relinqueret instituta, noctis observavit excubias, dissimiles judicemur, dignum duximus, quæ sit mulier ipsa & quid egerit, expressius aperire, ut id eos minime lateat, quos in sinceritatis proposito pia reddit devotio studiosos.

Et quidem ipsa est piæ memoriæ sancta Hedvviges, cujus, per sanguinis derivationem, natalium claritas sic refulsit, quod ab iis, qui sceptra gestarunt Regnorum, quosque insignes efficit Imperii celsitudo, tamquam propago generosa processit, radiis nobilitatis plus splendoris adjiciens ex se ipsa, quam sibi, unde originem traxerat, provenerit ex radice: pro quo, si secundum carnem & mundum gloriandum fuerat, merito potuit, nullo blandiente mendacio, gloriari. Sed cum hujuscemodi gloria, plerumque virtutis prospectum evacuans, in elationis præcipitet vitium quos exaltat; ut in ejus pectore virtus Christi per gratiam redundaret uberius, non in ea, quæ est carnis nobilitas, sed in suis dumtaxat infirmitatibus gloriam assumebat; advertens, fructibus divinæ dilectionis nequaquam destitui, nec munere supernæ benedictionis illos fraudari, quos salutiferæ infirmitatis acredine a patre contingit benevolo visitari.

Porro dum puerula fuit, vix quicquam puerile gessit in opere; & productioris ætatis tempore succedente, ne adversario ulla occasio maledicti suppeteret, cum claræ memoriæ Henrico Duce Poloniæ matrimonium duxit legitime contrahendum: in quo tripartitum bonum conjugii salubriter conservando sic prudenter se gessit, quod tori fidem inviolatam custodiens, & prolem in Dei timore susceptam erudiens, ab ipso Duce, cui non præcipiti voluptatis affectu, sed discreto semper inhæsisse judicio creditur rationis, quousque est assumptus de medio, per separationis injuriam non divertit; licet ut orationi & contemplationi vacarent devotius, torum ex pari voto & consensu unanimi per multa annorum curricula habuerint sequestratum; quum creatori suo minus obsequi valeat ad plura distractus animus, & viro placere cupiens mulier, in his, quæ Dei sunt, interdum segnior habeatur.

Ipso denique Duce, christianissime, prout asseritur, spiritum exhalante, protinus ad illius, cujus pulcritudinem sol & luna mirantur, tamquam libera, & a lege viri terrestris soluta, familiare consortium, amplius aspiravit. Sed quum non inveniatur in terra suaviter viventium; cœtumque malignantium detestetur, ubi potuit (quum totus mundus in maligno sit positus) reperire? Ubi eum quæsivit? Ubi illum invenit, cujus desiderio languit? Et quidem dum difficultatem inveniendi attenderet, & non posset non quærere quem amabat, fluctuabat nimium ipsius animus, & inter perplexitatis scopulos vehementius jactabatur. Vrgebat namque amor quærere; sed difficultas inveniendi quærendum, interjectis obicibus, sui finem propositi retardabat. Sicque dum in ancipiti teneretur, sacræ demum Scripturæ rela-

CONSTIT. LIII. A. D. 1267. relatibus, est ejus auribus coelitus instillatum, quod *invenitur in campis silvæ*, & est cum *simplicibus sermo ejus*. Tunc solicita discurrere coepit Indagine, & perquirere tota mente, ubi sunt isti *campi*, quos sua Deus præsentia sic illustrat, & in quibus illa viget *simplicitas*, quæ digna divinis affectibus perhibetur. Sed qui dat intelligentiam spiritus, ei nutanti confestim occurrit, & nodum cujuslibet dubietatis dissolvens, *campos silvæ*, loca religionis explicuit: in quibus, tamquam in mundo non sint, quæ mundi sunt non aguntur, sed tanto quod optabat, in eis reperitur facilius, quanto a tumultibus sæculi amplius secernuntur. Hine sancti Spiritus unctione (cujus est docere de omnibus) taliter erudita, casti amoris suffragante vehiculo, ad monasterium Trebnicense Cisterciensis ordinis eo celerius trahitur, quo minus terrenis affectibus aggravatur: in cujus quidem monialibus intentionis *simplicitas* & mentis puritas sic placebant, quod cum eis esse, divina clementia credi poterat suas delicias deputasse. Et licet quæ regularis disciplinæ fuerant, quantum suo licebat statui, præ cunctis monialibus observaret, votum tamen professionis emittere, & renunciare proprio renuit, non ob aliud (prout fertur) nisi, ut haberet unde palmam porrigeret inopi, & aperiret munificentiæ dexteram indigenti.

Psal. cxxi. 6. Prov. III. 32.

Invento itaque ibi quem quæsierat anima sua, floridum in conscientia sibi protinus lectum parat, & ex suavi contemplatione, tamquam ad ejus amplexus admissa, haustu novæ capta dulcedinis, ex tunc amarum censuit quicquid calix propinat aureus Babylonis. Dedignabatur enim, tamquam ejus inebriata amore, loqui seu audire de alio quam de ipso. Munera venerabatur ipsius,& diligens ejus amicos,& ad ipsius se nutum componens,non creditur quam adimplere prorsus studuerit, nunquam ejus scienter transgressa postmodum voluntatem. Sed qui Evam omnium matrem seduxerat, similem matri filiam existimans invenire, postquam mundum ab ea contemni & conculcari præsensit, fraudis ordiebatur commenta, virus iniquitatis fundebat, & acuens vitiorum sagittas, ipsam conabatur pervertere, cui, cœlestibus inhærenti, unde ipse corruerat, invidebat. Quia tamen *frustra rete ante oculos jacitur pennatorum*, quum ipsa ejus novisset astutias, parum illius insidias proculdubio formidabat. In sublimiori enim, quam vallo virtutum munierat arce, feliciter se tenebat, ubi, velut divino fulta præsidio, ipsum inimicum prostravit castra subvertens ipsius, & ejus machinamenta despiciens, telum minime timuit, quod inimicus ipse ad perdendum hominem,de pharetra sæpius impietatis educit: in hoc apparens prædictis mulieribus eo fortior, atque præstantior, quo magnificentius est spiritualem, quam temporalem hostem prosternere, & triumphi gloriam de ipso finaliter reportare, cum plures velut per eum seductos, legamus pectora deputasse delictis, qui terga visibilibus hostibus non dederunt. Sed ubi peccati fomes? Ubi carnis fragilitas & domesticus inimicus? Numquid cessit certamini? Pugnare renuit, & cum ipsius sanctæ mulieris congredi spiritu dubitavit. Non enim in hoc mortali corpore prorsus potest extingui, sed latens in medullis serpit in carne, furit in venis, & in vitiorum insaniam, nisi cohibeatur, erumpit. Quod utique ipsa prudenter attendens, vigiliis & jejuniis, quasi assiduis, & vestium asperitate . . . . . velut temperantiæ vomere, sic corporis terram excoluit, quod vitiorum spinas & tribulos,tamquam ipsi subacta spiritui, non produxit. Cumque corpo-

Prov. I. 17.

corporis sui ager tanta solicitudine cultus, & fructuum honestatis fuisset ubertate refertus, ipsum Deo hostiam obtulit in suavitatis odorem, concupiscentias ejus mortificans,& non carnem, quia profecto non esset cum ratione obsequium, si quis ad interemptionem corporis niteretur, & de ipso fieret hostia, quæ non viveret per naturam.

Postremo in omnibus iis ei non defuit quæ est lima & auriga virtutum, prudentia, sed cuncta per eam sic promovit & direxit gerenda, quod nec excessus in modo, nec in ordine fuit error. Quid enim fuit prudentius, quam gratis obsequiis cœlestis Regis thalamum promereri? Quid seriosius, quam momentaneis æterna, & temporalibus sibi mercari divina? Si enim Abigail prudentissimam Scriptura commemorat, quia David, quem sermone diserto prius placaverat irritatum, est per interventum connubii conjux effecta; quanto ista ea debet censeri solertior, quæ & sponsa Christi meruit fieri, & orationum fragrantia, quibus se dederat incessanter, ipsum pronum fecit ad gratiam, provocatum interdum delinquentium excessibus ad vindictam?

O virtutum forma, pudicitiæ titulus, naufragis portus, & inviamorum errantibus semita veritatis! O vas admirabile, opus quidem excelsi, quod in terris Deus constituit, ut iis, qui recto sunt corde, foret sinceritatis speculum vita ejus! Nam illius fuit humilitatis,dum viveret, quod per illum modum, pauperum se deputavit obsequiis, quod eis flexis interdum genibus vitæ necessaria ministravit, & manum leprosis ex voto compassionis exhibens liberalem, erumpentia saniem ipsorum ulcera nequaquam abhorruit, non morbi contagiosi formidavit periculum, sed quo sedulitatis studio, quoad Deum & proximum, ipsam amplius vis urgebat amoris, eo dictorum leprosorum subsidiis accurratius se inflexit, ita quod ubi producebantur hujusmodi ulcera, continuo viscera pietatis, tamquam ipsorum infirmitatem indueret, solvebantur in ea.

Illius quoque in omni sinceritate devotio permansit, quod ex aqua,cum qua ejusdem monasterii moniales laverant pedes suos; tamquam per ipsarum contactum aliquid eis sanctitatis inesset, faciem sibi & oculos sæpissime aspergebat; divinis officiis, & missarum præsertim sic attente vacans solemniis, quod a solis ortu usque ad meridiem, ab Ecclesia,dum hujusmodi dicerentur officia,non discessit, non torpore languida, nec accidiæ, quantum perpendi poterat, malo interim fatigata, nec tamen sessionis, cum hujusmodi solemnia cantarentur, quis eam existimet se dedisse quieti, cum tunc vel staret erecta, vel curvato poplite oraret reflexa.

Cujus vero in obitu quondam Henrici Ducis Silesiæ,unici nati sui,patientiæ fuerit, non est prætereundum silentio, cum id Deum timentibus delectabile sit audire. Ingressus enim est ad ipsam doloris bajulus veste lacera, vultuque demisso, & ejus singultu sæpius interrumpente sermonem, vix quomodo idem Dux, vir utique gloriosus,Tartaricæ gladiis feritatis occubuit, exprimere potuit, hujusmodi singultibus impeditus. Quo tandem audito, ipsa non contraxisse faciem, non emisisse suspiria dicitur, sed exultante spiritu protinus respondisse: gratias tibi ago, Domine Deus, quod talem mihi dare dignatus es filium, qui nullas unquam mihi molestias ingerens, me semper honore coluit, & filiali affectione dilexit; & licet ipsum,dum vivo, lætarer habere præsentem, ei tamen in hoc congaudeo, quod per viam martyrii suo meruit

Redemptori conjungi, ipsius itaque animam tibi suppliciter recommendo. O verbum acceptione dignissimum, & momentis perpetuis solemniter annectendum!

Sed pro Deo, quid fuit in casu tam flebili, ubi tota patria sua orbitatem deflebat, non eam mœrore affici, & fletibus non perfundi, nisi quod ipsum præmissum noverat, non amissum, & ut matribus in morte filiorum immoderate mœrentibus esset efficax medicina doloris & consolationis exemplum.

Denique cum in spirituali certamine vincenti in præmium debeatur corona, volens ipsam eidem reddere justus Judex, quam mundum, carnem & diabolum superans, sibi debitam fecerat, tot triumphis ipsam suis stigmatibus insignitam, corporis mole deposita, vocavit ad patriam, illa sibi Regni corona concessa, quæ non marcescit, non tollitur, nec arescit, sed felicem perenniter efficit quem fulgoribus gloriosis insignit. Non enim tempori, quod corruptionis est causa, subjacet hæc corona, cui semel conceditur, postmodum non aufertur, cum ea concessa, non possit ingratitudo committi, quæ est causa sufficiens muneris revocandi, cumque semper inhæreat fonti vitæ, numquam deponit virorem, nec dispendiis ariditatis afficitur, cum sine intermissione irriguum participet talis fontis. Quis non ad hanc venire festinabit coronam? Quis labor, quod onus, quæ tanti non leviget præmii magnitudo? Aut quæ ad præsens amaritudo tam vehemens, tam molesta, quæ tantæ remunerationis non dulcescat stipendio? O felicem feminam, quæ hanc coronam obtinuit, quam bonorum omnium exhibet retributor! Regali itaque diademate sic insignis cœlesti regnat in patria, non immemor exulum suspirantium ad ipsam cum lacrymis, quos suis adeo beneficiis consolatur, quod suorum interdum reatuum veniam, & languorum percipiunt, ejus patrocinio medicinam, legitime in hoc mundo certantes: quod quidem subjecta declarant evidenter miracula, pauca ex multis ad præsens electa, tamquam validissimis & indubitatis testimoniis proculdubio comprobata.

Nam puer quidam fuerat casu fortuito delapsus in amnem, quo per alveum ligneum sub rota molendini, dum volveretur, deducto, stetit ipsa rota, revolutionis officio propter hoc impedito, & dum ab iis, qui ipsius custodiæ præerant molendini, cur istud accideret, exquiritur diligenter, ipsorum de puero offertur aspectibus, quæ super aquæ verticem pedum extremitas ferebatur, & licet compassionis spiritu suggerente, ipsum de aqua, ubi per horam & amplius sic stetit immersus, deducere moliuntur, eis tamen rotæ magnitudine obsistente, perficere nequeunt quod ex officio pietatis intentant. Sed ut ars virium suppleat ingeniosa defectum, rotam ipsam quibusdam artificiose instrumentis adhibitis cum puero sursum trahunt, cujus corpus sic erat ob ipsius magnitudinem rotæ compressum, quod in ea parte, qua venter dorso dignoscitur adhærere, redactum id judicent ad spissitudinem palmæ manus; cumque attritum, gelidum & nimio esset rigore protensum, ita quod ipsum exanimem testes assererent proculdubio extitisse, ipsius Sanctæ nomine suppliciter invocato, vita sic redditur puero, quod suis, mane diei sequentis nullo in eo perdurante læsionis vestigio, pedibus ambulavit.

Fuit etiam quædam nobilis mulier, quæ propter vehementem, & diutinam cephalicam passionem, illam caliginem incurrerat oculorum,

quod

quod eoru n intuitu defectivo, manus ejus non poterat comprehendi, & cum ope medicorum sibi succurri non posset, ad ipsius Sanctæ sepulcrum adducitur, ubi munere protinus sanitatis adepto, recidivæ passionis molestiam postmodum non incurrit. CONSTIT. LIII. A. D. 1267.

Alia quoque mulier fuit, quæ, nervis contractis, pedes per annum habuerat inhabiles ad progressum, cujus ita utrumque femur computruit, quod vermibus inde nascentibus erat expositum corrodendum; cumque ad ipsum tumulum suffragio fuisset amicorum portata, inde sana, sustentationis alicujus subsidio in domum revertitur non adjuta.

Insuper quidam fuit, qui tantam a puero gracilitatem habuerat tibiarum, quod vix cannæ grossitiem excedebant, & idcirco nec ire poterat, nec standi etiam super eas habebat aliquam facultatem, & tamen se ad ejus sepulcrum appodians, ejusdem implorato subsidio reverenter, prius quidem non absque timore, sed procedente tempore tibiis solidatis, & ad debitam quantitatem perductis, omni trepidatione semota, libere atque secure perrexit.

Alia quoque mulier fuit, quæ manuum, pedum & linguæ erat prorsus imminente paralysi officio destituta, sed quamcito ad locum, in quo ipsa Sancta fuerat tumulata, defertur, in integrum suscepit sanitatem, & ad illa restituitur evidenti miraculo, quibus eam prædicta privaverat ægritudo.

Fuit etiam quidam nobilis, qui biennio & amplius a lecto ægritudinis non surrexit, ex eo quod paralysi in dextera corporis erat parte percussus, quæ tegmine pellis amoto, plena remanserat foraminibus cancerosis, & cum effectum cujuslibet medicinæ morbi excederet magnitudo, ad tumulum ipsum manibus amicorum portatur, ubi in lacrymas resolutus, sanitatem ad plenum fletibus impetrat, quam ei medicina conferre, etiam periti medici studio non valebat.

Tam variis itaque morbis non dissimile, sed unum paratur antidotum, & remedium singulare, quod ex devotionis & fidei puritate conficitur ad salutem, quod evangelica mulier & rex ille, cujus orationem audivit, & lacrymam vidit Dominus, in suis infirmitatibus sunt experti, cum fides illam salvaverit, & ad augmentum dierum sibi sanitate indulta cum lacrymis oratio alterius sit admissa. Hinc regnat virtus, vitium exulat, & accrescente merito, eliminatur impietas. Sed ubi provincia Poloniæ tantis decoratur muneribus, ejus pretiosi corporis ditata thesauro, quid apud Deum favoris & gratiæ sibi poscenti poterit denegari, ex quo apud ipsum talis advocatæ meruit præsidio consoveri? Quod enim Polonos ipsos suo susceperit patrocinio promovendos, hoc sit eis in signum, quod ipsis reliquit in pignus corpus ipsum, sui videlicet spiritus indumentum, nec tamen per hoc credatur sic eam Polonorum esse patronam, quod aliorum vota fidelium non promoveat coram Deo, cum in patria nunc perfectius habeat, quam habuisset, dum viveret, & tunc tamen diffusam ad omnes obtinuit caritatem.

Sed dum tot panduntur miracula, crebrescunt signa & beneficia conferuntur, non potuit non fervere populi fidelis devotio, non clamor arceri, quin in mundi notitiam expeditis adduceret labiis supradicta. Sicque vos, & nobiles viri Duces, ejusdem provinciæ ipsius populi clamoribus vehementius excitati, ne Dei magnalia supprimendo, videremini digne de ingratitudine posse notari, una cum dilectis in Christo filiabus, abbatissa & conventu ejusdem monasterii, in quo

CONSTIT. LIII.
A. D. 1267.

cum illa, qua decuit honorificentia, est reconditum corpus ejus, felicis recordationis Urbano Papæ prædecessori nostro rem in præmissis gestam, prout veritas postmodum est comperta, curavistis exponere seriatim, devotione supplici, & instantia non remissa petentes, ut Sanctam ipsam, quam vita & miracula beatorum collegio pronunciaverant aggregatam, inter Sanctos ceteros celebritate faceret congrua venerari.

Et quidem licet vestræ devotionis sinceritas in porrectione petitionis hujusmodi, in eo, quod sic porrigebatur, commendabilem se præberet, oportuit tamen non præcipiti festinatione, sed decenti adhibita procedere gravitate. Quod idem prædecessor diligenter advertens, per venerabilem fratrem nostrum Uratislaviensem Episcopum, & dilectum filium fratrem Simonem Priorem provincialem Fratrum Prædicatorum Poloniæ, Bohemiæ primo, & hujusmodi ad eos negocio remisso secundo de præmissis inquiri mandavit diligentius veritatem.

Cum itaque per inquisitionem taliter factam, & ad Apostolicam per ipsos Episcopum & Priorem postmodum Sedem remissam, & ex fideli relatione venerabilis fratris nostri N. Tusculanensis Episcopi, cui per ipsum prædecessorem fuerat examinatio inquisitionis ejusdem commissa, de ipsius sanctæ vitæ sinceritate, & veritate signorum constiterit evidenter, nos post multam deliberationem cum fratribus nostris præhabitam, prout tanti negocii exegerat magnitudo, ipsam, quæ contempto obsequii sui fastu, despecta magnificæ domus reverentia, & calcato fastigio potestatis, ad inopis claustri pro Christo se inclinavit angustias, ut cunctis esset humilitatis exemplum; tam de ipsorum Fratrum, quam Prælatorum, qui tunc apud Sedem morabantur eamdem, consilio, Sanctorum catalogo decrevimus adscribendam, immo verius denunciavimus jam adscriptam.

Ceterum etsi ad omnia sufficiat Dei filius Jesus Christus; tamen voluit in opere pietatis plures homines habere consortes, quia, licet solus obtineat quod alii non merentur, non tamen apud Patrem pro nobis solus est advocatus; immo cum Christo, & per ipsum, justorum omnium, qui nos in Regno præcessere, cohortes, juxta quod legitur, *multa ei data incensa, quæ sunt orationes Sanctorum, ut super altare aureum ea in conspectu Altissimi adoleret*. Sed cum ex assiduo lapsu mortalis infirmitas hujusmodi orationum suffragiis jugiter indigeat adjuvari, ut subsidium ei magis acceleret, debet per imitationis exemplum & obsequii servitutem ipsos Sanctos devotius revereri; unde ne agat istud, quod ejus saluti expedit, negligenter, fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus festum ipsius Sanctæ idibus Octobris, die videlicet, quo de via migravit ad patriam, & de mundanis transcendit finibus ad coronam, attenta devotione celebrare curetis, ac faciatis per vestras civitates & diœceses a Christifidelibus solemniter celebrari.

Apoc. VIII. 3.

Cupientes itaque sepulturam ipsius, quæ tam evidentibus signis rutilare dignoscitur, congruis honoribus frequentari, & ad id fideles ipsos muneribus illectivis induci, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui cum reverentia illuc in eodem festo annuatim accesserint ipsius suffragia petituri, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, unum annum & quadraginta dies, accedentibus vero ad prædictam sepulturam infra

ejus-

ejusdem festi octavas, centum dies de injuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus. CONSTIT. LIV.

Datum Viterbii septimo Kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno tertio. A. D. 1297.

N O T A:

Bohuslaus Balbinus in Historia Bohemiæ libro II. cap. V. pag. 111. 112. jure eos arguit, qui *Meraniam* opidum & Ducatum cum *Moravia* regione commiscent. *Moravia* nunquam habuit *Duces*, sed *Marchiones* tantum; *Merania* vero nunquam habuit *Marchiones*, sed *Duces*. Notior tamen est *Moravia*, quam *Merania*, præcipue post hujus Ducatum extinctum. Hinc erroris occasio orta est. *Merania* in finibus Italiæ, a *Merano* opido deflexa est. *Meranum* vero stetit in Tyrolensi Comitatu prope Athesim amnem, & *Tyrolum*, alias *Teriolum* castrum, unde amplissimo Comitatui nomen adhæsit. *Hedvviges* patrem habuit Bertoldum III. Comitem Andecensem, Meraniæ Ducem, atque Histriæ Marchionem; matrem vero Agnetem, ex sanguine Marchionum Austriæ progenitam, quam tamen de *Lausnis* appellat Joachimus Cureus mox adducendos. Ex ea domo Andecensi, quæ initio sæculi XVI. in Comitibus Goritiæ defecit, plures *Cœlites*, *Reges*, *Reginæ*, *Augustæ*, *Duces*, *Marchiones* & *Comites* prodierunt. Gertrudes Regina Hungariæ, mater Sanctæ Elisabethæ, de qua supra Const. XLV. soror fuit hujus sanctæ *Hedvvigis*. Vide Majum Bollandianum tomo VII. pag. 442. quæque adnotavimus ad Const. XXI. De hac sancta vidua, & post dormitionem optimi conjugis Henrici Ducis, sanctimoniali sub regula Cisterciensium in parthenone Trebnicensi, ejus cura constructo, quam Clemens IV. cœlitum Fastis adscripsit Viterbii in æde Fratrum ordinis Prædicatorum, consulendus est Surius die XV. Octobris, Cureus in Annalibus Silesiæ pag. 72. Longinus in Historia Poloniæ lib. VII. pag. 696. 767. 773. 781. tom. I. editionis auctæ Francofurtensis anni 1711. tamen non sine delectu. Posteri Sanctæ Hedvvigis, *Lignicenses* & *Bregenses* Principes dicti.

L I V.

B O N I F A C I U S . VIII

Sanctorum confessorum canoni adscribit Beatum Ludovicum IX. Regem Francorum, qui obiit die XXV. Augusti A. D. 1278.

BONIFACIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Venerabilibus fratribus, universis Archiepiscopis & Episcopis, exemptis & non exemptis, per regnum Franciæ constitutis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Gloria, laus & honor Patri luminum (a quo est omne datum optimum & perfectum) a cunctis fidei orthodoxæ cultoribus, quorum spes tendit ad superos, summis & sedulis devotionis & reverentiæ studiis referantur. Ipse namque in misericordia copiosus, liberalis in gratiis, & in retributione munificus, de supremis cœlorum ad ima mundi, oculos suæ majestatis inflectens & benigna consideratione discutiens, beati Ludovici, quondam Regis Franciæ inclyti, suique gloriosissimi confessoris merita grandia, operaque mirifica, quibus ipse, constitutus in sæculo, ceu lucerna luminosa, resplenduit; eaque, veluti justus judex, & retributor laudabilis dignanter intendens condignis recompensare muneribus, eum, tanquam emeritum, & retributione dignissimum, post vitæ præsentis ergastulum & laboriosa mundi certamina (quæ fervens in divinis obsequiis potenter & patienter exercuit) æthe- CONST. LIV. A. D. 1297.

CONSTIT. LIV.
A. D. 1297.
3. Reg. 11. 8.

æthereis sedibus collocavit, *ut sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat*, felicitatis æternæ dulcoribus potiturus. Exultet igitur mater Ecclesia, ac solemnia festiva concelebret gaudiorum, quod tantum & talem filium genuit, produxit natum, educavit alumnum, jam inter regum cœlestium gloriosa agmina rutilantem. Lætetur, inquam & jubilet, ac in laudes Altissimi voces promat, quod sobolis tam præcelsæ, tam celebris illustrata fulgoribus, insignis decorata conspicitur: quæ sonoris attollenda præconiis, summæque venerationis exhibitione colenda, enucleatius aperit, evidentius explicat; illos ad perennis beatitudinis gaudia, & hereditatis æternæ participationem admittendos; qui prædictam Ecclesiam, matrem fidelium, sponsam Christi claris fidei & operis testimoniis profitentur, nullosque in supernæ patriæ gloriam, nisi per ejus, utpote cœlorum clavigeræ, ministerium virtuosum ostiis reseratis altissimis introire. Gaudeant incolarum turbæ cœlestium de tam sublimis, tam lucidi habitatoris adventu, quod ipsis expertus, probatusque fidei christianæ colonus, cultorque præcipuus aggregatur. Personet lætitiæ jubilum, civium gloriosa nobilitas supernorum, quod tanti, talisque concivis suscepisse dignoscitur adjectivum, ac venerabilis Sanctorum cœtus gaudio & exultatione refloreat de nova dignissimi adhibitione consortis. Exsurge itaque concio numerosa fidelium, exurgite fidei zelatores, & una cum eadem Ecclesia laudis uberis hymnum concinite. Perfundantur imbre copioso lætitiæ vestra præcordia, & fœcundo rore dulcedinis arcana pectoris repleantur de tanta, tam potentis & egregii Principis exaltatione terreni, spei tutissimæ plenitudine præconcepta, quod nobis de indigena terrenorum compatriota cœlestium jam effecto, apud æterni Patris filium efficax patronus accrevit; qui pro salutis nostræ profectibus jam in ejus præsentia positus, solertis exercet officium oratoris.

Porro quis posset amplo famine præpotens, quis disertus quantumlibet, aut eloquii nitore coruscans sufficienter exprimere præcelsa sanctitatis insignia, & multiplicium excellentiam meritorum, quibus beatus Ludovicus prædictus in terris constitutus effulsit? Cum eo plura de ipsius laudabilibus actibus referenda se offerant, quo plura calamus exprimit, pandunt labia, lingua pangit. Sed ne ipsorum actuum claritas sub nubilo lateat, tenebris obducatur, dignum duximus, ut de illis aliqua sermo noster aperiat & deducat in publicam notionem. Hic profecto clarissimus genere, sublimis potentia, facultatibus opulentus, præcelsus virtutibus, moribus elegans, conspicuus exstitit honestate, inhonestis & turpibus a se penitus relegatis. Nam sic pudicitiæ adhæsit operibus, sic carnis studuit evitare contagia; quod, sicut habet certa credulitas plurimorum, nisi ei nexus accessisset uxorius, candore virgineo rutilasset. Longi quippe spacio temporis prædicti regni regimini præfuit, ejusque gubernacula plena curis provida circumspectione direxit: nulli noxius, non injuriosus alicui, nemini violentus. Justitiæ limites summopere servavit & coluit, æquitatis tramitem non relinquens; perversorum conatus nefarios pœnæ debitæ mucrone compescuit, malorum molimina conterens, pravorum illicitos ausus frenans. Pacis zelator eximius, fervidus amator concordiæ, promotor solicitus exstitit unitatis; dissidia fugiens, vitans scandala, dissensiones abhorrens. Propter quod sui felicis regiminis tempore, sedatis undique fluctibus, seductis noxiis, turbinibus profugatis, regni ejusdem incolis aurora dulcifluæ tranquillitatis illuxit, lætaque serenitas votivæ prosperitatis arrisit. Et

Et ut de vita ipsius aliqua referamus ; licet illa, quo majori expositione discutitur, examine indagatur, eo referentis afferat gustui plus dulcoris, mentesque delectet obnixius auditorum ; ab ineuntis ætatis primordiis Dei filium tenera mentis affectione dilexit, nec diligere desiit, studia continuando salubria, dum vitæ sibi commoditas affuit temporalis. Sed quanto majori profecit ætate, ac tempora prolixiora prosiliit, tanto in ejus exarsit amorem, fervore spiritus ampliore. Hic equidem cum esset annorum duodecim, paterno destitutus auxilio, sub claræ memoriæ Blanchæ Reginæ Franciæ, matris, suæ custodia & gubernatione remansit ; quæ circa divina obsequia ferventer intenta, eum prudenter dirigere, ac libenter instruere satagebat, ut ad præfati regni regimen, quod suæ directionis expetere providentiam noscebatur, dignus & sufficiens fieret, idoneus haberetur. Cumque per incrementa temporum idem Rex ætatis annum quartum decimum attigisset, prædicta Regina sibi magistrum proprium deputavit, qui eum scientia literarum imbueret, ac bonis moribus informaret. Ipseque Rex sub ejusdem magistri ferula positus, sic ei obediens & reverens exsistebat, sicque illius recipiebat humiliter disciplinam, quod superna præventus gratia, profecit laudabiliter in utrisque ; circa divina sic intentus officia, ut nequaquam ipsorum auditione contentus existeret, nisi ea quæ coram se die noctuque a suis faciebat clericis solemniter celebrare, ab ipso cum eorum aliquo attentius dicerentur. Demum successu temporis in anno vicesimo constitutus, & quadam sibi ægritudine superveniente gravatus, a Parisiensi & Meldensi Episcopis assistentibus tunc eidem, vivificæ Crucis signaculum in Terræ Sanctæ subsidium sibi cum multa instantia petiit exhiberi. CONSTIT. LIV. A. D. 1297.

Et licet hoc ei, rationabili causa moti, præfati dissuaderent Episcopi; ipse tamen, utpote fervens spiritu erga Deum, eique votis ardentibus famulari desiderans, illorum salubriter dissuasionibus non admissis, signum hujusmodi de manu præfati Parisiensis Episcopi cum multa lætitia & exultatione recepit, prælatis, nobilibus & militibus plurimis signum ipsum assumentibus cum eodem. Et tandem amplo præparato navigio, factisque apparatibus aliis, qui in talibus requiruntur, cum tricesimum quartum annum attigisset ætatis, in prædictum subsidium transfretavit; consortes ei, Robertum Atrebatensem, Alphonsum Pictavensem, & claræ memoriæ Carolum Regem Siciliæ, tunc Andegaviæ, Comites, fratres suos dum adhuc viverent, secum ducens, multa, graviaque pericula, quæ solent æquorei fluctus ingerere, sustinendo. Cumque ad partes illas ingenti circumfultus potentia pervenisset, & habito de civitatis Damiatæ captione triumpho, processisset ulterius; generali quasi totius ejusdem exercitus, sicut Domino placuit, ægritudine subsecuta, & aliis adversis urgentibus, præfatus Rex cum toto fere exercitu supradicto in Soldani & Saracenorum manus ac potentiam incidit ; multa opprobria, multasque injurias, quæ inferentium fœda conditio adaugebat, patienter & humiliter tolerando, præfato Roberto Comite pro fide Christi, ab illis immaniter interempto. Postmodum autem habito cum Soldano tunc vivente tractatu de jam dicto Rege ac exercitu liberando, maxima interveniente pecuniæ quantitate, ipsoque Soldano occasione hujusmodi a vassallis propriis interfecto; Saraceni, qui ejus dominium usurparunt, ad pecuniam anhelantes, eandem cum multa instantia postulabant, ut in conventionibus ordinatis concorditer inter partes jurejurando firmandis, penitus adderetur, quod

CONSTIT. LIV.
A. D. 1297.

quod nisi ipsi pacta servarent, omnino Machomettum, quem colunt (ut dicitur) denegarent, ac idem Rex in suo adjiceret juramento, quod & ipse Dei negaret filium, ac extra fidem ejus exsisteret; si conventiones prædictæ ab eo minime servarentur. Quod præfatus Rex abominans, id efficere constantissime recusavit: quin potius quadam indignatione commotus, patenter asseruit; quod talia tam nefanda suis labiis aliquatenus non proferret, neque in tam vesanam & reprobam prorumperet negativam, quamvis ad id jam dicti Pictaviæ & Andegaviæ Comites, aliique tunc plurimi circumstantes instantissime suaderent, cum exinde sibi, ceterisque Christicolis mortis periculum verisimiliter imminere conspicerent, præsertim cum hoc ageretur cum illis, qui, sicut præmittitur, Soldanum prædictum occiderant, ejus sibi dominium usurpantes, ipsique Regi apertius diceretur, quod, nisi in actum produceret quod petebant, ipsum & suos crucifigere non differrent: ipsiusque Regis ad hæc intrepida firmaque responsio est secuta, quod si Saraceni prædicti ejus corpus occiderent, ipsius tamen animam non haberent.

Sane cum jam dicti passagii tempore post conflictus diversos & varios, validæ famis inediam, graves penurias, diraque vulnera, quæ fideles Ghristi pertulerant, eodem Rege tunc temporis fluxum ventris, & ægritudines alias patiente, Christianus reverteretur exercitus Damiatam; Rex ipse nolens illum omnino deserere, sed ejus potius clementer intendens communicare laboribus, & participare periculis, quæ tunc ex verisimilibus poterant conjecturis timeri, illuc rediit cum eodem, contra Saracenorum rabiem truculentam, insultusque nefarios sibi efficax defensionis impendendo præsidium, ut ab hujusmodi hostium scelestis insidiis servarentur. Et tandem cum Saracenorum ipsorum astuta nequitia & dolosa calliditas tam grandi bellantium copia Christianum circumdedisset exercitum, valida tunc, sicut præmittitur, infirmitate detentum; ipsumque tam graviter invasisset, quod Regem & exercitum supradictos oportuerit se præfatis reddere Saracenis, ac idem Rex, nisi facto voluntatis libitum obstitisset, per navis tunc promptæ potuisset evasisse suffragium; sibique hoc plurimi magnique, præsentes inibi, suaderent; ipse tamen propter nimiæ caritatis ardorem, quo vehementius æstuabat, volens potius periculis corpus exponere, ut Christianus populus servaretur illæsus, licet Saracenorum existeret ignota potentia Christianis; evadere noluit, remanentibus ceteris vinculo captionis astrictis; apertius asserendo, quod militiam, quam secum deduxerat, secum, si posset, reducere intendebat, vel capi, seu mori pariter cum eadem. Cumque inter Regem & Christianos ac Saracenos prædictos de ipsorum Regis & Christianorum, sicut superius est expressum, liberatione tractatus habitus & conventionum subsecuta ordinatio extitisset, Saraceni pro quadam parte pretii redemptionis, hujusmodi, quæ solvenda restabat, securitatem habere plenariam intendentes, in electionem ipsius Regis totaliter posuerunt; ut, vel ipse liberaretur a carcere, remanentibus ceteris Christianis in vinculis, donec hujusmodi solutio perfecta succederet, vel quod idem in carcere remaneret, Christianis ipsis omnimode liberatis. Præfatus Rex super hoc promptum, nec dilatum responsum præbuit, quod ipse, quousque solutionis hujusmodi proveniret integritas, remanere in carcere intendebat, Christianis aliis libertati pristinæ restitutis; quanquam præfati Alphonsus, & Carolus, ac alii viri nobiles tunc astantes, expres-

expresse dicerent, & profiterentur apertius, quod in hoc nullatenus consentirent; supplici adjicientes instantia, quod potius Rex ipse recederet, aliis minime absolutis, Rege ipso firmissime replicante contrarium, nec assentiente sermonibus eorumdem. Et tandem Rege & ceteris captivis eisdem plenæ redditis libertati, dictoque Alphonso pro ejusdem solutionis perfectione facienda, obside dimisso; præfatus Rex de galea, in qua erat, egredi noluit, donec ipsius solutionis defectus extitit adimpletus, dictusque Alphonsus ad ejus præsentiam rediit, ac omnes etiam Christiani, quos in propinquo carcere detinebant inclusos, quosque in Babyloniam manus inimica non traxerat, liberati a vinculis; ac illi etiam, qui tunc in Damiata similiter tenebantur, fuerunt in navibus collocati.

Demum præfatus Rex cum eodem liberatus exercitu ad civitatem rediens Aconensem, moramque inibi ferme per quinquennium contrahens, tamquam fervidus salutis humanæ amator, multorum Agarenorum mentes, duras quantumlibet, non solum salubris eloquii suadelis, sed etiam exemplo vitæ laudabilis convertit ad Dominum, ipsos faciens ad laudem divini nominis, & exaltationem catholicæ fidei honorifice baptizari: eos donis prosequendo largifluis & gratiosis favoribus confovendo, multosque milites, & alios Christianos redimi faciens, eis de munificentia regia tam vestes, quam cetera necessaria victui, prout singulorum suadebat conditio, ministrabat. Muros quoque seu mœnia civitatum & castrorum quamplurimorum, quæ in illis partibus a fidelibus tenebantur, fecit reparari solemniter, eaque firmiter muniri, & integre, prout necessitas exigebat. Verum prædictus Rex processu temporis intellecto, quod matrem ejus mors amara subtraxerat, & eidem regno grave periculum immineret, de Procerum suorum consilio ad regnum Franciæ remeavit; nunc sanctitatis insistens operibus, nunc monasteria & hospitia pauperum, nunc domos aliis divinis obsequiis dedicandas, quæ longum esset enarrare per singula, construi faciendo, eis de bonis propriis amplis dotibus deputatis; nunc etiam infirmos & debiles, in diversis monasteriis & xenodochiis decumbentes, personaliter visitans ipsos verbis consolatoriis confovebat, eis manibus propriis flexo genu potus & cibaria ministrando. Cumque in monasterio Regalis montis, Bellovacensis diœcesis, quod idem Rex opere plurimum sumptuoso construxit, ac dotibus decoravit eximiis, monachus quidam, Leodegarius nomine moraretur; quem adeo lepræ morbus invaserat, quod abominabilis & despectus quamplurimum manebat segregatus ab aliis, in quadam camera positus monasterii memorati, cujusque oculi ob gravis infirmitatis pondus, seu malitiam jam consumpti, nihil omnino videbant, eorum foraminibus, sive locis, rubeis & horridis jam effectis; quique nasum perdiderat; ejusque tumefactis non modicum labiis, & profunda fissura destructis; ac idem Rex eum, præsente dumtaxat Abbate monasterii supradicti, personaliter visitaret; ipsumque sumentem cibum, ut poterat, invenisset; præfatus Rex præmisso benignæ salutationis alloquio, flexit genua coram ipso, & scindens manibus propriis carnes, eidem appositas, bolos in os ejus studiosissime immittebat, & hujusmodi non contentus obsequio, allatis ejus jussione dapibus regalibus, de ipsis eidem monacho ministrabat, loci aut ægri qualitatem horribilem non evitans; eodem Abbate vehementi stupore concusso, quod tanti sublimitas Principis talibus, quantumcumque salubribus involui studiis ac servitiis

CONSTIT. LIV.
A.D. 1297.

poterat occupari. Præterea cum dictus Rex Hospitale Compendiense ingressus, ad impendendum humanitatis obsequium infirmis in illo degentibus; & jam fessus non modicum ex labore, infirmum quendam juxta se positum conspexisset, morbum, qui sancti Eligii dicitur, patientem, & flexis genibus coram ipso, morsellum pyri, remoto cortice poneret in os ejus, sanies de illius naribus defluens fœdavit turpiter manus Regis; qui pie, benigneque id tolerans, nec in aliquo exinde immutatus, lotis illico suis manibus, salubre, quod inchoaverat, obsequium, diligenter est prosecutus.

Hic circa servos Christi, ac pauperes, atque miserabiles & dejectas personas valde compatiens, se ipsis in eleemosynarum largitione munificum exhibebat, Virginibus insuper, quibus inopia effectum maritalis copulæ denegabat, ne illas in carnis lubricum labi contingeret, de dotibus congruis providebat illis de bonis regalibus; laudabiliter & salubriter expensum reputans quod in eleemosynas & alios pios usus converti pro tempore noscebatur. Hic prædicationibus, & aliis propositionibus verbi Dei attentum accommodabat auditum; non auditor obliviosus factus, sed factor operis studiosus. Abhorrebat hæreticæ pravitatis macula infectos; ne fidei Christianæ cultores labe hujusmodi contagionis inficerent, de regni prædicti finibus efficacibus studiis expellendo; ac alias circa statum ejus providendo solicite, ut ab ipso fermentis talibus prorsus exclusis, in eo fidei prædictæ sinceritas rutilaret. Cum vero aliquibus partibus dicti Regni, ob sterilitatem seu malitiam temporis, victualium caristia imminebat; statim de ipsa rumoribus intellectis, certam illuc summam pecuniæ, prout ipsarum exigebat qualitas partium, per fidelem mittebat nuncium, inter pauperes dividendam. Hic profecto humilitate sublimis, sublimitate humilis; in apparatu & vestibus, quas frequenter pauperibus erogabat, post primum potissime de ultramarinis partibus reditum, summæ humilitatis insignia demonstravit. Nec enim aureis vel argenteis ornamentis, non regalibus vestibus, non variis vel griseis, sed aliis humilibus pellibus usus fuit, sæcularibus pompis a se penitus abdicatis. Et ne fervorem spiritus sociæ carnis ardor extingueret, sed mortificatione ac repressione illum potius accendi contingeret, altiusque sustolli, carnem ipsam, quasi assidui asperitate cilicii, prout asseritur, edomans, effrene ipsius libitum arctæ abstinentiæ freno coercuit, ejusque nexibus alligavit, ut non voti proprii ducta libidine, non sui desiderii directa remigio, sed salubri moderamine spiritus tute ad licita pergeret, provide ab illicitis abstineret. Districtis etenim corpus atterebat jejuniis; priscorum observantiæ, a Sanctis Patribus ordinatæ novorum austeritatem adjiciens, sibi motu proprio voluntatis indictam. Nam per totum quadragesimale tempus, & quadraginta dies, festum Natalis Domini præcedentes, & omnium festivitatum vigilias, necnon & quatuor tempora, quæ catholica indicit Ecclesia, in jejuniis & orationibus existebat; deliciosis & curiosis cibariis usui proprio penitus interdictis. In festivitatum vero Virginis gloriosæ, & Natalis Domini memorati vigiliis, & sexta feria majoris hebdomadæ, jejunium observabat; panis & aquæ dumtaxat modica sustentatione contentus. Quolibet etiam die Veneris Quadragesimæ supradictæ, ac totius Adventus, ab esu piscium abstinebat. Multis præterea vigiliis se occupans, ne aliqua sibi hora temporis inutiliter pertransiret.

Post

Post ejus reditum ſupradictum, non in pluma, vel paleis jacuit, ſed ſuper ligneum lectum portatilem, materatio ſimplici ſuperjecto, ſtramine nullo ſuppoſito, decumbebat. Hic inſuper vitæ puritate prælucidus, ſincerus veritatis amicus extitit, hoſtiſque duriſſimus ſalſitatis. Cuncta quoque ipſius eloquia, ſalutis argumentum, operaque ſalubria hortabantur; demulcebant auditorum præcordia, & in eorum ædificationem multipliciter redundabant. Cumque ad incrementa catholicæ fidei & liberationem celerem Terræ Sanctæ votis ardentibus anhelaret, in ipſius Terræ ſubſidium aſſumpſit denuo ſignum Crucis. Et deinde potenti ac valido congregato navigio, copioſa & ſtrenua comitiva ſuffultus, cum ipſo Pictaviæ Comite, ſuiſque liberis, & claræ memoriæ Regina Navarræ, ipſius Regis filia, quæ in reditu debitum naturæ perſolvit; ad partes rurſum ſe tranſtulit tranſmarinas, Carolo, qui tunc moram in partibus Italiæ contrahebat, Regis memorati veſtigia ſubſequente. Ac tandem ad partes Tunicii felici greſſu perveniens, inibi de magnatum ſuorum conſilio caſtra fixit; & adverſus Saracenorum incurſus exercens potentiæ ſuæ vires graviſſimas, ob labores innumeros, quibus premebatur aſſidue, infirmitates incurrit. Qui diebus lapſis aliquibus, infirmitatum ipſarum violentia ſuperatus, Sacramenta eccleſiaſtica cum ſumma devotione recepit, ac inſtante ſibi veroſimiliter hora mortis, oratione pro exercitu Chriſtiano præmiſſa, ſuam Domino devotis precibus animam recommendans, ac literaliter exprimens verba ſequentia, videlicet: *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum*, feliciter migravit ad Chriſtum, ſupernis deliciis fruiturus. Verum cum vitæ hujus functus curriculis, verius viveret, quam vixiſſet, noluit Altiſſimi filius, quem idem tota mentis affectione dilexerat, tam devoti Principis, tantique propugnatoris fidei orthodoxæ mundo ſupprimi ſanctitatem, ut quemadmodum meritorum pluralitate præfulſerat, ſic miraculorum diverſitate clareſceret, & qui eum pleniſſima devotione coluerat, jam ſecum in cœleſti palatio collocatus, venerabiliter coleretur. Nam contractis, artuum extenſione ſubvenit; curvis, terram ferme tangentibus facie, plenam reſtituit, eorum ſurſum erectis vultibus, ſanitatem: ſtrumoſis beneficium liberationis impendit. Mulierem quandam, cujus brachium aridum, & omnino impotens exiſtebat, ab infirmitate hujuſmodi liberavit. Quidam quoque, cujus, velut emortuum pendebat brachium, per ejus Sancti virtutem, gratiam curationis obtinuit; compluribus paralytico morbo percuſſis, & aliis, qui diverſis languoribus tenebantur, plena reddita ſoſpitate: cœciſque viſu, ſurdis auditu, claudis greſſu, illius invocato nomine reſtitutis. His & compluribus aliis Sanctus ipſe coruſcavit miraculis glorioſus; quorum ſeriem præſentibus non duximus inſerendam.

CONSTIT. LIV.

A.D. 1297.

Gaudeat itaque domus inclyta Franciæ, quæ talem ac tantum Principem genuit, per cujus merita ſublimiter illuſtratur. Lætetur devotiſſimus Franciæ populus, quod tam electum, tam virtuoſum Dominum meruit obtinere. Exultent Prælatorum & Cleri præcordia, quod præfatum Regnum tam claris miraculorum ipſius Regis inſigniis propenſius decoratur. Jucundentur & procerum, magnatum, nobilium & militum pectora, quod per ſanctiſſima opera dicti Regis, ejuſdem Regni ſtatus honoris multiplicis prærogativa ſuſtollitur, & quaſi ſolis radiis eluceſcit.

Ceterum, quia quos ſuperni Regis clementia corona gloriæ in cœlo magnificat, devote a fidelibus in hac terreſtri patria convenit venerari, nos de ſanctitate vitæ, ac miraculorum veritate ipſius beatiſſimi Ludo-

CONSTIT. LIV. A. D. 1297.

vici curiose ac solemnis inquisitionis diligentia, & districti examinis discussione præmissa, plenariam certitudinem obtinentes, ipsum de communi Fratrum nostrorum & Prælatorum omnium, tunc apud Sedem Apostolicam existentium, consilio & assensu, die Dominica tertio idus Augusti Sanctorum catalogo duximus adscribendum. Ideoque universitatem vestram monemus & hortamur attente, vobis per Apostolica scripta mandantes, quatenus in crastino beati Bartholomæi Apostoli, cum felix ipsius anima, tunc de carnis eruta vinculis, astra petens, cœlestem aulam adiverit, æternis gaudiis potitura, festum ipsius Sancti devote ac solemniter celebretis & faciatis per vestras civitates & diœceses a Christifidelibus veneratione congrua celebrari, ut ejus interveniente precibus, & hic ab imminentibus possitis liberari periculis, & in futuro salutis perpetuæ præmium obtinere.

Ut autem ad venerabile sepulcrum ipsius ferventius & copiosius fidelium confluat multitudo, ac celebrius ejusdem solemnitas peragatur, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui reverenter illuc in eodem festo annuatim accesserint ejus suffragia petituri, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, unum annum & quadraginta dies; accedentibus vero annis singulis ad prædictum sepulcrum infra ejusdem festi octavas, quadraginta dies de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus.

Datum apud Urbem veterem tertio idus Augusti, pontificatus nostri anno tertio.

N O T A.

Gaufridus de Belloloco & Guillelmus Carnotensis, Fratres ordinis Prædicatorum, descripserunt vitam & sanctam conversationem Ludovici IX. quos vide apud Franciscum Duchesnium inter Scriptores historiæ Francorum tomo v. pag. 444. & 466. Hæc etiam Constitutio ibidem legitur pag. 486. Gesta vero sanctissimi Regis literis consignavit Johannes Joinvillæ in Gallorum Campania Dominus, a Carolo Cangio egregie illustratus. Hanc eandem Constitutionem VVaddingus inseruit Annalibus suis tomo II. pag. 673. De sancto Ludovico plurima habet sparsim Raynaldus tomo XIV. Vide etiam Pagium in Breviario tomo III. pag. 524. & quem non?

CLE-

CONSTIT. LV. A. D. 1313.

L V.

CLEMENS V

Sanctorum confessorum canoni adscribit B. PETRUM A MURRONE, agri Sulmonensis monte in Aprutio citeriori, monachum ordinis sancti Benedicti, Congregationis Cœlestinorum institutorem, atque olim summum Pontificem Cœlestinum V. qui obiit die XIX. Maji A. D. 1296.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Venerabilibus fratribus, universis Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ad quos literæ istæ pervenerint, salutem & Apostolicam benedictionem.

QUI facit magna & inscrutabilia, & mirabilia absque numero, Dei filius, increata Sapientia, Verbum Patris, qui olim a principio una cum Patre & sancto Spiritu ex se ex nihilo mundum efficiens, dispositione suavi convertit producta omnia: secundum gradus, suis naturis congruos, cœlum replevit Angelis, hominem ad imaginem suam factum perfundendo gratia sidereis mansionibus dignum fecit; novissime diebus istis antiqua innovando signa, immutando mirabilia, stupendum mirandumque opus ipse fecit Altissimus, gloriam majestatis divinæ clamans altisone, perfundens sponsam suam Ecclesiam novo genere gaudiorum. Ecce namque novi Confessoris insignia mundo prodeunt, præclara merita mundi defluentis viatoribus patefiunt, sanctitatis ejus magnitudinem grandia miracula proloquuntur, quæ ipsum probant indubie in deliciis Paradisi, intra secreta Dei cubicula plenam habere requiem post laborem. Et recte quidem; nam qui in terris non cessavit magnifice de virtute progredi in virtutem, dignus esse dignoscitur, qui in cœlis, terras deserens, gloriam Domini revelata facie speculetur. Ob hoc beatorum spirituum agmina exultant in gaudio, dum vir Sanctus, solari fulgore coruscus, ipsis inseritur, & de ipso portante gloriam, sacratus horum numerus, quem cadentium ruina minuerat, integratur. Applaudunt & cœli, cum ei gradienti in virtute sursum patulum præbent iter, ipsique regnanti Deus in ipsis ætheream sedem parat. Plaudat ergo & jubilet canora voce sponsa Christi mater Ecclesia, dum quem genuit unda baptismatis, & aluit ubere piæ matris, quem & Patrem in mundo habuit & Pastorem, lætabunda glo-

CONST. LV. A. D. 1313.

CONSTIT. LV.

A. D. 1313.

gloriosum mittit ad superos; cum de se, horto irrigato divinitus, ipsum, ut lilium candoris nivei, ut vernantem rosam odoris eximii, festive divinis conspectibus repræsentat. O quam felix es provincia Terræ laboris, quæ probaris talem & tantum produxisse palmitem, inhærentem firmissime Christi viti; cujus propagines odore miræ sanctitatis diffuso extenduntur usque ad fines orbis, ejusque ex uvis expressus vini liquor, devotorum corda lætificans, ad amorem Dei mundanorum mentes allicit & inflammat.

Beatus igitur Petrus, de prædicta provincia Terræ laboris traxisse fertur originem ex honestis parentibus, catholicis & devotis. Hic edoctus cum Tobia Deum timere ab infantia, & abstinere a vitiis, illecebras mundi considerans, quæ plerumque humanas mentes dum leniunt, vulnerant, vinciunt & captivant; positus in ætate adhuc tenera, sed sub corpore fragili virilem animum secum habens, antequam sæculare quidquam ejus illaberetur animo, fugam prudenter attentans, cum Baptista Joanne, eremi secreta petiit; ubi remotus a noxiis, solus posset suo vivere Creatori. Quanta autem inibi in locis solitariis, horridis & aridis, & fere hominibus inaccessis, vestium asperitate, quanta victus parsimonia, quantisque vigiliis & orationibus, quotve aliis afflictionibus maceraverit carnem suam (ne delicate nutrita proterviens, sæviret in spiritum) non posset lingua faciliter seu breviter explicare. Hoc vir Sanctus idcirco consulte & provide faciebat, quo excussa & attrita palea suæ carnis, ejus spiritus innocens, ut purgatum & mundum triticum, reponi dignus esset in horreo cœlesti. Ut autem ad ædificationem Christifidelium saltem pauca exprimantur de multis, quæ sint, velut informativa quædam exemplaria vitæ nostræ, ipse, sicut pluribus & fide dignis testimoniis est probatum, vestium splendorem ac lenitatem despiciens, in quibus amatores hujus sæculi delectantur, ciliciis de pilis equorum factis, reticulatis pariter & nodosis, vestibus quoque aliis vilibus multum & asperis tegebatur. Ad nudam quoque carnem catenam ferream, & circulum quandoque ferreum deferebat. Lecti etiam mollitiem declinans (ne caro petulanter lasciviens, noxia moliretur in spiritu) in terra aut nudis tabulis dormiebat, vel in cancellatis craticulis vestitus cilicio & pannis solitis, præcinctus lumbos circulo ferreo aut catena. Pro pulvinari vero, ligno aut lapide, seu dura re alia utebatur; & (quod pene importabile est) sanus vel infirmus, lectis aliis non est usus. Studens etiam pro viribus domesticum domare hostem, ne prævalere posset spiritui, nec sanus, nec infirmus, carnibus vescebatur. Vinum vero non bibebat, nisi rarissime; sic lymphatum tamen, ut videretur vini speciem non habere. Semper quoque, nisi diebus Dominicis, jejunabat. Sex nihilominus quadragenas singulis annis faciens, mentem non ventrem reficere cupiendo; affligebat in ipsis solito durius carnem suam. O stupenda & aliis insueta rerum materies! Cernere hominem in carne degentem mortali & fragili, sub tam austeræ & longæ macerationis pondere non cadentem. In tribus namque quadragenis in pane & aqua jejunabat continue, & quandoque cum solis foliis caulium absque pane; interdum autem solis pomis; vel solis pomis, vel castaneis seu granis fabarum mollificatis in aqua, aut crudis rapis tantummodo vescebatur. In ceteris vero quadragenis, uno tantum ferculo utebatur, insipido tamen, & in modica quantitate. In harum vero quadragenarum aliquibus (quod naturæ humani corporis est horror) usus est pro veste solo cilicio: in quibusdam vero cilicio & su-

& super ipsum panseria sive lorica, cujus pondere caro ejus per subintrantes nodos cilicii, ut testantur ejus socii, aliquoties rumpebatur. Et revera hæc in homine isto Sancto supra hominem gerebantur; ad hæc enim ferenda tam gravia virtus humana non videtur posse sufficere, sed divina potius in ipso habitans hoc gerebat. CONSTIT. LV. A. D. 1313.

Hic beatus vir jam mortificatis spiritu carnis desideriis & repressis, summe devotus Deo, orando assidue animum ad Deum tenuit firmiter elevatum; ipse etenim ad matutinas laudes media nocte surgens, ipsis dictis legebat Psalterium, cum Letania & Collectis, quampluribus ac crebris genuflexionibus, & disciplinis duris carnem suam cum vitiis & concupiscentiis crucifigebat. In aurora vero, missa per ipsum celebrata, iterum devote reincipiebat Psalterium, & orare usque ad horam tertiam non cessabat. Ne autem ipsum reperire posset diabolus otiosum, laborabat propriis manibus, scribendo, vel suendo cilicia, seu faciendo aliud opus honestum & utile ab hora tertia usque ad nonam. Post cibum denique sumptum usque ad noctem profundam perseverabat cum Deo, ab oratione fervente spiritum non relaxans. Morum etiam honestate venustus, odore suæ sanctitatis vitæ communiter jam disperso, ad suum multos attraxit aspectum, & quamplures oberrantes per vitiorum abrupta, reduxit ad Deum suis Sanctis orationibus & exemplis. Nec mirum; nam ipsum reddebat cunctis communem caritas, obedientia promptum, placidum humilitas, pietas patientibus coafflictum, decorum puritas, parsimonia mirabilem, honestatis maturitas reverendum, benignitas hilarem, constans quoque virtus animi in adversis & prosperis uniformem. Denique vir Sanctus cupiens divinum ampliare cultum, Congregationem monasticam sub beati Benedicti regula, superadditis ei statutis arctissimis, ordinavit; ubi Fratrum suorum Deo famulantium adaucta multitudine numerosa, fundatisque locis non paucis, in quibus Christus Jesus ab ipsis jugiter laudaretur, vixit cum eis, cunctis florens virtutibus, ac eximiæ sanctitatis operibus informans & reformans universos.

Verum quia non erat expediens, quod tantæ sanctitatis odor in solo uno mundi angulo sentiretur, sed potius quod ad ædificationem cunctorum fidelium circumquaque per mundum promptius spargeretur; dispensatione provida ad summum Pontificatus apicem est provectus. In quo tamen idem ipse manens qui fuerat, sub præcelsæ dignitatis habitu, nec vitam eremiticam (quantum fas servare fuit) nec animum derelinquens, novit inter epulas esse sibi summe austerus & abstinens, inter amplas divitias summe pauper. At vero hic vir beatus simplicitatis miræ & in spectantibus ad regimen universalis Ecclesiæ inexpertus (utpote qui a teneris annis usque ad senium elongatus a mundo, cor suum mundanis rebus non accommodaverat, sed divinis) reflectens prudenter suæ considerationis intimæ oculum ad seipsum, honori papatus cessit & oneri libere & ex toto, ne ob prædicta posset ex suo regimine quodcumque periculum universali Ecclesiæ provenire, & ut turbativa Marthæ solicitudine declinata, vacare posset secus pedes Jesu contemplationis otio cum Maria. Post hæc itaque divinæ vacans contemplationi assidue, usque ad ejus obitum, quo beata illa anima carnis evasit ergastulum cœlos petens, sanctissimam vitam duxit. Et quia multum conveniens erat, quod ille, quem Deus in mente perfuderat tot & tantis charismatibus gratiarum, clarus mundo colendusque divinæ virtutis testimoniis appareret, non defuere divina miracula in-

quo-

CONSTIT. LV. A. D. 1313. quolibet statu suo, ante papatum videlicet, in papatu, ac etiam post papatum, in ejus vita pariter & post mortem, voce clamosa proloquentia ipsius Imitandam cunctis eximiam sanctitatem.

Ut autem hoc Jesu Christifidelibus amplius notum fiat, aliquot miracula de quampluribus exprimamus, quæ accedisse ipsius meritis, veraciter certis testimoniis sunt probata. Mulier quædam ex infirmitate gravi sic cœca omnino effecta, ut juvari non posset per quæcumque adhibita remedia medicinæ; portata ad locum eremi, ubi frater Petrus tunc temporis morabatur, cum se signasset quadam parva Cruce lignea, quam idem Frater Petrus per virum suum ei transmiserat, & eamdem ad oculos applicasset, perfecte statim visibiliter est curata. Quidam factus ita furiosus & amens, quod se ipsum aut alios offenderet, cordis & catenis ferreis ligabatur; adductus ad dicti Fratris præsentiam, cum comedisset de pane sibi per ipsum exhibito, sic est curatus perfecte, quod de dicta infirmitate nihil ulterius unquam sensit. Puella etiam quædam, quæ fistulam tam gravem habebat in pede cum aperturis pluribus, quod de perditione pedis a medicis timeretur; portata ad ipsum, & facto per eum super plagam ter signaculo sanctæ Crucis, statim sanata est, ita ut post dies paucos non apparuerit in dicto pede aliquod infirmitatis prædictæ vestigium vel cicatrix. Quædam mulier, quæ sic vehementer gravabatur infirmitate hectica, ut de ejus vita desperaretur a medicis, nec pro necessitate quacumque absque plurium adjutorio de loco posset se movere, cum quievisset per horæ spatium sub quodam panno lineo, quem per patrem dictæ infirmæ miserat Frater Petrus, statim sanata surrexit. Quidam etiam, qui scrophulam grossam ad quantitatem ovi gallinæ in manu per quinque annos habuerat, benedictione facta per ipsum Sanctum super infirmitatis locum, fuit post morulam modicam sanatus totaliter & perfecte. Cum etiam summi Pontificatus culmine præemineret, quædam mulier, quæ vi morbi per annos quatuor per totum corpus exstiterat crocea & inflata, quæ etiam operari quidquam non poterat, nec absque gravamine notabili ambulare; delata ad locum, per quem erat Frater Petrus, tunc summus Pontifex transiturus, & benedicta ab ipso, restituta est illico pristinæ sanitati. Alia quædam mulier sic contracta in omnibus membris suis, ut nec ambulare posset, nec mutari de loco ad locum, nisi ab aliis portaretur; posita secus viam, per quam ipse Frater Petrus tunc transitum faciebat, & data super ipsam Crucis benedictione, per ipsum fuit perfecte continuo liberata. Postquam etiam resignavit papatui, cuidam, qui ex toto pene visum perdiderat, cum se ipsi Fratri Petro præsentasset, superducta quadam parva Cruce lignea oculis patientis, restituit integre statim visum. Denique, ut in ejus obitu suæ sanctitatis lucidæ divinum testimonium non deesset, de ipsa Cruce (quam summe dilexit) & lumine fecit Deus signum mirabile apparere. Etenim tempore mortis suæ apparuit Crux parva & fulgida in medio ostii cameræ, in qua erat; quæ ad modum vertiginis se volvens, continue permansit divinitus suspensa in aere quoad usque corpus ejus de ipsa camera est translatum. Sed & post obitum viri Sancti quidam sic est percussus paralysi, ut nec ambulare, nec stare, nec loqui posset quoquomodo. Ductus ad locum, ubi Frater Petrus pœnitentiam facere consuevit, & catena quadam, quam portasse ad carnem nudam dicebatur, dum viveret, apposita patientis collo & capiti, & ad cetera membra ejus, fuit statim penitus liberatus. Quidam etiam, qui vires ambulandi ac standi, usumque manus

manus perdiderat, ductus ad Ecclesiam, ubi dicti Sancti corpus jacet reconditum, & pernoctans cum animi devotione in eadem, sensit se mane totaliter a dicta infirmitate liberatum.

His & aliis quamplurimis, miraculis gloriosis mirificavit Dominus Sanctum suum, & clarum mundo reddidit ac colendum. Gaudens itaque plaudat mater Ecclesia, & suaves depromat melodias; nam hic Christi Confessor, eximia sua proles, inter beatorum agmina stellam possidet matutinam, & super Christi mensam cum Angelis ore pleno melle dulcius abditum manna gustat. Jubilare non quiescat plebs catholica; nam accensus calculus, quem ex ejus medio ille incendens Seraphim, tulit forcipe de altari, in ea, quæ sursum est, Hierusalem, ignitis lapidibus, in quorum medio Rex cœlorum ambulat, est conjunctus; & hunc apud Deum advocatum habet; quem fons effluxu perennis jucunde inebriat, abunde satiat lignum vitæ. Jucundetur insuper Religio per ipsum instituta, & in laudes Altissimi organa vocis laxet. Nam hic ejus protector indefessus stola immortalitatis induitur, ac sedens cum principibus, solium gloriæ sempiternæ semper clarum tenet. Verum quia dignum est, ut quem in cœlo sursum Deus glorificat, hic inferius ad suum patrocinium mundus colat; nos de sanctitate vitæ, ac veritate miraculorum Sancti hujus, de quibus inquiri fecimus diligenter, prudentis examinis discussione adhibita, plenam & firmam certitudinem obtinentes; requisiti insuper Prælatorum omnium, tunc apud Sedem Apostolicam existentium, supplicatione humili & devota, de Fratrum nostrorum consilio & assensu, confisi de omnipotentis Dei virtute, auctoritate quoque beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus & nostra, ipsum Sanctorum confessorum catalogo duximus adscribendum: ideoque universitatem vestram monemus & hortamur attente, per Apostolica scripta vobis præcipiendo mandantes, quatenus quartodecimo Kalendas Junii festum ejusdem Confessoris devote ac solemniter celebretis, & faciatis a vestris subditis celebrari; ut ejus pia intercessione & hic a noxiis protegi, & in futuro sempiterna consequi gaudia valeatis, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto in unitate vivit & regnat Deus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Datum Avenione tertio nonas Maji, anno octavo.

N O T A.

Postrema hæc verba locum & tempus scriptæ Constitutionis indicantia, quæ desunt apud Cherubinum & Bollandianos tomo IV. Maji pag. 433. addidimus ex Raynaldo A.D. 1313. §. 42. Licet autem hic vir Sanctissimus, qui nunc illo priori suo nomine & simul posteriori, quo usus est Pontifex, vulgo distinguitur, apud vetustiores a *Murrone* dicatur, in cujus montis solitudine supra Sulmonem vitam eremiticam duxit; non inde tamen originem traxit, sed ex *Campania felici*, alias *Terra laboris*, ut Clemens V. testatur in hoc suo diplomate. Urbem vero patriam *Æserniam* eidem adsignant, quæ est in *Samnio*, proxima confinio *Terræ laboris*. Civitates enim in extremis cujuspiam provinciæ finibus positas, finitimæ provinciæ sæpe tribui, non ignoramus. Verum hic nos moratur Jacobus Stephaneschius, Sancti Georgii in Velabro Diaconus Cardinalis, qui in poemate historico de Cœlestino V. hæc habet de ejus natali solo, initio capitis III. libri II. apud Bollandianos eodem tomo IV. pag. 453. col. 1.

> *Est* LOCUS *Aprutii, cui profert accola nomen*
> MOLISIUM, PATRIA *huic quondam, vel parte Laboris*
> *Terra.*

Est *Molisium* nomen *castri*, onde *Molisinus Comitatus*, in quo est *Æsernia*, aliæque civitates. Porro si verum amamus (cur autem non amemus?) hoc idem castrum *Molisium* fuit *patria* sancti Petri: *Locus Molisium*, ut ait Cardinalis, testis æqualis & oculatus: non ergo *Comitatus*, generatim & vage sic dictus, nec *Civitas* quæpiam, ut *Æsernia*, suo nomine satis clara. Est vero *Locus* ille inter *Aprutium* & *Terram Laboris*, propterea que Stephaneschius, quasi anceps hæret, num *Locum* ipsum (*Molisium* dico) *Aprutio*, an *Terræ* Laboris adscribat. Cur autem *Loco* isti natalem sanctissimi hujus viri invideamus? Quia de tanto Dei famulo præstat silere, quam pauca loqui, lectorem, de eo plene instruendum, ad Majum Bollandianum remittimus, &, si placet, ad Pagium in Breviario tomo III. pag. 485. & 501.

CONSTIT. LVI.
A. D. 1317.

L V I.

JOHANNES XXII

Sanctorum confessorum pontificum canoni adscribit Beatum Ludovicum, Caroli II. Regis Siciliæ filium, & Tolosatem in Gallia Narbonensi Episcopum, qui obiit die XIX. Augusti A. D. 1297.

JOHANNES EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Universis Christifidelibus præsentes literas inspecturis salutem & Apostolicam benedictionem.

CONST. LVI.
A. D. 1317.

SOL oriens mundo in Altissimis Dei, Deus Dei filius ex paterno utero ante Luciferum genitus, Deus Verbum in principio fundans terram in sapientia, cœlos providentia stabilivit, adornando cœlos sideribus, germinantibus cunctis terram, quique in fine temporum pro humani salute generis nostram assumendo naturam texit nube nostræ carnis fragilis semetipsum, nunc, hora instante novissima illuminando, per cuncta respiciens, opus produxit mirabile, claritate gloriæ suæ plenum, bonitatem suam monstrans magnifice, sponsamque suam sanctam matrem Ecclesiam reddens novitate tam claræ sobolis lætabundam. Nam qui facit mirabilia magna solus dilectum suum Confessorem eximium, beatum videlicet Ludovicum, puritate candidum, caritate fervida rubicundum, electum ex millibus, produxit noviter & exemplar præfulgidum a cunctis fidelibus imitandum, ejus vitæ singularis excellentiam signis probans, & prodigiis coruscantibus celebris miraculis manifestans.

Igitur lætentur cœli, & exultet terra, jucundetur pariter totus orbis; nam qui effulsit in Dei templo dum viveret, in medio nebulæ suæ carnis, ut matutina stella, aut luna plena solari lumine, veluti etiam sol refulgens, in sua formosus stola, in virtute multa repentine ad summa graditur, regalibus dignus conspectibus, ut candens lilium, ac odoris suavissimi rosa rubens. Huic spaciosum præstant hospitium cœli cives, & sibi conformem & comparem ad suum consortium hunc admittunt. In supernis Christus hunc reficit, ipse idem prandium & conviva. Hic felix Sanctus, ex regali prosapia, patre videlicet claræ memoriæ Carolo Rege Siciliæ, matre vero carissima in Christo filia nostra, Maria Siciliæ Regina & Hungariæ, originem suam trahens, altum sui generis recusavit, sapere humilia semper diligens & amplectens. Sciebat namque quod excelsus Dominus alta de longinquo perspiciens, humilia respicit e vicino. Quamquam autem singula præclara opera lucidæ vitæ suæ, verbis paucis enarrari non possint; aliqua tamen de quampluribus ad utilitatem legentium referemus, ut ex iis Deum

patrem

patrem glorificent, & in iis reperiant vivendi regulam, quam sequantur. Sanctus iste, sicut probatum est testimoniis fide dignis, in ætate existens tenera, sub magistri religiosi diligentia cum suis fratribus tenebatur. Ipse tamen maturis intendendo moribus sub tenello pectore gestare se similem animum ostendebat. Ductus autem in Cathaloniam cum duobus e suis fratribus, datus obses pro liberatione antedicti Regis, tam ferventer dedicavit se studio, quod infra septimum, quo inibi obses fuit, sub institutione Fratrum Minorum, quos secum habebat in socios, in primitivis scientiis, & sacra pagina sic profecit, quod vir Dei pollens ingenio, de prædictis scientiis non solum publice & private subtiliter disputare valeret, sed & solemniter clero & populo proponere verbum Dei, ut putaretur scientia hæc infusa sibi magis divinitus, quam humanitus acquisita. In orationibus autem sedulis & devotis mentem ad Deum elevatam tenuit, profecto sciens, quod *oratio humiliantis se nubes penetrans* pro exauditionis suffragio Deum adit. CONSTIT. LVI. A. D. 1317. Eccl. xxxv. 21.

In tempore namque ipso sacramentali confessione præmissa, missas audiebat devote; in magnis vero festivitatibus cum præparatione multa corpus sumebat Dominicum. Factus autem sacerdos, diebus quasi singulis celebrabat. Audientiæ verbi Dei insistebat attente. Pro pastu vero animæ in Scripturis divinis studens, habebat ad hoc solatio sanctos libros. Castitatis autem amor a puero affecerat ejus mentem adeo, quod ob ipsius fidam custodiam, mulierum consortia vitabat omnino in tantum, quod, nisi forsan cum matre & sororibus, solus cum sola nullo unquam tempore loquebatur. *Mulierem namque amariorem noverat esse morte*. Verba etiam inhonesta horrebat audire, ac loquentes talia graviter arguebat, attendens prudenter, quod *corrumpunt mala colloquia bonos mores*. Fratres nihilominus duo, interdum quatuor, in sua jacebant camera in suæ testimonium nitidæ puritatis. Cum Apostolo Paulo sobrietate cibi & potus corpus suum castigabat assidue, seque frequenter manu sua, quandoque autem alicujus Fratris consocii catenis ferreis disciplinans, vestiendo pro camisia rudem stamineam, deferendo ad nudam carnem pro cingulo chordam grossam, ipsam carnem in servitutem spiritus redigebat. Summo autem studio terrena cuncta calcare studuit ex desiderio æternorum. Considerans etenim Sanctus iste, quod *mundus totus sit positus in maligno*, quodque *cum concupiscentia sua transit*, ipsum fugiendo deseruit totaliter & contempsit. Nam rediens de Cathalonia cum Rege prædicto, votum, quod de intrando ordinem Fratrum Minorum in obsidione fecerat, in conventu eorumdem Fratrum de monte Pessulano voluit adimplere. Sed videns, quod timore dicti Regis, ipsum Fratres accipere non audebant, votum ipsum solemniter iteravit. Et quia voventibus præceptum datum a Deo noverat de reddendo, suadenti felicis recordationis Papæ Bonifacio prædecessori nostro, quod assensum præberet provisioni de se factæ Ecclesiæ Tolosanæ, respondit, se hoc facturum nullatenus quoadusque votum dictum, quod fecerat, complevisset: cujus devotioni annuente prædecessore prædicto, habitum ordinis prædicti suscipiens in præsentia bonæ memoriæ Johannis Episcopi Portuensis, tunc ejusdem ordinis Generalis ministri, expressam professionem flexis genibus in manibus suis fecit, suique provisioni prædictæ suum præbendo assensum mandatis Apostolicis obedivit. Et quamquam de jussu prædecessoris ejusdem dictum habitum velatum portaverit usque ad festum beatæ Agathæ tunc votivæ, in dicto tamen festo in præsentia duorum Cardinalium Eccl. vii. 27. 1. Cor. xv. 33. 1. Cor. ix. 27. 1. Jo. v. 19. Psal. lxxv. 12.

CONSTIT. LVI. A. D. 1317.

recepit publice, ac sic ex tunc portavit continue, atque ipsa die usque ad sanctum Petrum patenter detulit peditando; miranda res & aliis insueta! Vir namque hic virtutum, positus in sublimi, juri primogenituræ renunciavit & Regno, regalis solii spreta pompa, pro Regno corruptibili æternum ac plenum deliciis Regnum mercans.

Mira vero compassione ad pauperes ferebatur, quibus largas tam privatas, quam publicas eleemosynas faciebat; unde factus jam Episcopus Tolosanus, per unum suum familiarem Secretarium mandavit inquiri de suorum quantitate redituum, quantumque sibi sufficeret pro moderatis expensis & rationabilibus faciendis, volens, quod totum residuum in sustentandis pauperibus poneretur, quamquam Prælatus tam magnus esset, ac filius tanti Regis. Cum autem iret Parisios, pauperi, quem quasi nudum reperit, multum compatiens, in abscondito cappam contulit, quam portabat, sibique secreto fecit aliam apportari. Certus erat etenim, quod misericordes viri beatitudinis misericordiam consequentur. In hoc etiam Christi imitatore vero humilitas vera fulsit: attendit namque, quod Deus, qui mœrentes sospitate erigit, ponit humiles in sublimi. Ipse enim viginti quinque pauperibus, quos in sua domo reficiebat, quotidie aquam infundebat manibus, manuque sua ipsis fercula apponebat, ac panes scindebat, eisdem etiam genu flexo in ipsis Christo servire, ac ipsum recipere se delectans. Hospitalia pauperum aliquoties visitabat. Sciens denique, quod *qui vestiuntur mollibus*, in hoc a Domino non laudantur, post Diaconatus susceptum ordinem semper veste humili fuit usus. Post ingressum vero, dicti ordinis vili habitu, ac bruno colore in tapetiis & cortinis ac lecti coopertorio utebatur, pontificatus etiam officium exercebat cum diligentia. Servus hic Christi fidelis & prudens missas dicendo assidue, devotissime; ordines celebrando, clericos, quibus de beneficiis providere volebat, examinando de articulis fidei, vita & moribus diligenter. Judæos & gentiles, zelo fervens fidei inducebat sedule ad baptismum, ac quosdam eorum sacro de fonte levavit.

Matth. XI. 8.

Demum gloriosus iste Sanctus vitæ suæ cursu cosummato, feliciter, ad Deum, fontem vivum, quem avide sitierat, migraturus, infirmitate decumbens ultima, devotissime sumpsit corpus Dominicum, quamvis summe debilis, de lecto exiens in occursum Domini Salvatoris. Cruce etiam sibi data per quemdam ex sociis, genu flexit in lecto, ut potuit, ac in oratione devota & silentio postmodum diu mansit. In cruce namque Domini nostri Jesu Christi, & non in alio didicerat gloriari. Tandem gloriosam resolutus in mortem qui hic vivens ambulavit in innocentia in medio domus suæ, ad Deum suum contemplandum in gaudio facie revelata, in sua innocentia est ingressus. Verum, quia decebat multum divinæ magnitudinem bonitatis, quod ille, quem in terris ipsum præclaris adornando virtutibus suæ imagini fecerat tam conformem, secum regnare in cœlis, certis virtutis suæ testimoniis probaretur, multis enim magnisque miraculis post ejus obitum clarum fecit, quorum quædam certis probata testimoniis ad Sancti hujus declarandam gloriam præsentibus duximus annotanda. Quædam namque duorum annorum puella, quæ vi febris, quam passa fuit duobus mensibus, exspiravit, facto voto per patrem Sancto isti, quod ipse imaginem de cera offerret, si vitam a Deo suæ filiæ impetraret, resuscitata, ubera matris suxit.

Quidam

Quidam etiam quinque annorum puer vehementia febris continuæ vita functus, facto voto per patrem, est vitæ pristinæ restitutus, nec dictæ febris in eo apparuit ullum signum.

Quædam puella annorum septem, quæ per septimanas tres febrem passa continuam exspiravit, facto ad dictum Sanctum voto per suos, recuperavit spiritum & revixit.

Quædam denique mulier, quæ duas conceperat filias, una illarum in ventre mortua, ex casu dictæ matris de quodam asino, & in ejus ventre ex mora diutina putrefacta cœpit de puerperio laborare. Cumque dictus partus jam putridus per frusta fuisset extractus, & alia filia mortua jam educta esset obstetricum ministerio violenter, & projecta in stabulo super fimum, emisso ad illum Sanctum voto, quod si partus ille integer resurgeret, unam sibi imaginem præsentarent, puella palpitare cœpit, & baptizata, septem mensibus supervixit.

Quidam etiam puer ætatis annorum septem, dum sub lecto, in quo cum suis jacebat parentibus, repertus fuisset mortuus, rigidus & frigidus ab eisdem, & sic aliquo tempore permansisset, facto per parentes ad hunc Sanctum voto, fuit divinitus suscitatus.

Mulieri cuidam, quæ propter vehementem infirmitatem diem extremum clauserat, emisso per suos ad istum Sanctum voto, ejus meritis reddita fuit vitæ.

Quædam puella nobilis, quæ ex casu ad terram de nutricis brachiis, per octo annos passa fuerat surditatem, facto voto ad prædictum Sanctum per patrem, a dicta surditate ad plenum exstitit liberata.

Quidam denique cum post fortem febrem continuam perdidisset loquelam, & sic mutus per mensem integrum permansisset, adductus ad sepulcrum Sancti hujus, fuit ibidem loquelæ, finita missa, plenarie restitutus.

Mulier quædam, quæ subito muta & impotens de uno brachio facta fuit, durante sibi hac infirmitate per mensem, emisso voto per matrem, statim ad sanitatem pristinam est reducta.

Quædam etiam mulier, cum ex partu quodam violento de puero, mortuo, & in ejus utero transversato, contracta in pedibus & manibus ac femoribus biennio remansisset, facto voto ad Sanctum præfatum, quod si curaretur, scoparet in tota vita sua Ecclesiam, in qua jacet, dormire cœpit, & expergefacta a dicto morbo est curata.

Vir quidam passus annis sex guttam in manu & brachio, ventre & humero, facto voto, quod ejusdem limina visitaret, fuit statim sanitatis beneficium assecutus.

Quidam denique presbyter passus guttam in latere, quæ ipsum diebus septem afflixit graviter, facto voto ad memoratum Sanctum de illius tumulo visitando, recepit continuo sanitatem.

Mulier quædam, quæ per octo annos morbo epileptico quasi quotidie gravabatur, emisso voto, quod sepulcrum ejus, si curam reciperet, annis singulis visitaret, curam recepit sic, quod ex tunc de morbo ipso penitus nihil sensit.

Monialis quædam, quæ post febrem longam, quam passa fuerat, dolorem incurrerat in omnibus membris suis in tantum, quod duodecim diebus, nisi alieno adjutorio de lecto non potuerat se movere, portato sibi pedili, seu succone quodam, qui Sancti hujus dicebatur fuisse, ac sibi applicato ad carnem, sana & incolumis est effecta.

CONSTIT. LVI. A. D. 1317.

Cum homo quidam, qui miraculis hujus Sancti detrahere nitebatur, reversionem faciei & oculorum turpiter incurrisset, sicque manens per dies sex, huic Sancto se cum devotione, qua poterat, devovisset, ad sepulcrum ejus veniens & offerens caput ceræ, antequam exiret Ecclesiam, perfecte reperit se curatum.

Hæc sunt mirabilia opera solius Altissimi, quibus, & aliis quampluribus mirificare voluit Sanctum suum, & toti mundo reddere venerandum. Laudetur igitur magnifice Deus noster, cujus dextera huic Episcopo confessori confert stelliferum regium diadema. Applaudant & isti pariter cœli cives, quorum cœtibus hic, sole splendidior, est insertus. Canant quoque altisone Franciæ, Siciliæ atque Hungariæ regna felicia, de quorum horto candoris nivei flos erupit, quorum vitis germinat dulcem uvam, cujus liquor cœlos lætificans, abunde funditur in calicem summi Regis. Lætetur insuper civitas Tolosana tanto dotata Præsule, quem apud Deum advocatum habet sedulum & patronum. Vere felix es tu, o Massilia, facta duorum aromatum tam sacrati corporis apotheca. Sed & Fratrum Minorum ordo conspicuus novæ laudis canticum promere non desistat in aula cœlesti, tam præclarum alumnum festine divinis conspectibus repræsentans.

Ceterum, quia convenit, ut quem Dominus in cœlo magnificat, mundus colat, nos de sanctitate vitæ & veritate miraculorum ipsius Confessoris inquiri fecimus diligenter. Et quia post inquisitionem solemnem, & studiosam examinationem ac discussionem solemnem, supplicatione devota & humili Prælatorum omnium, tunc apud Sedem Apostolicam existentium cum instantia requisiti, de Fratrum nostrorum consilio & assensu, confisi de omnipotentis Dei virtute, auctoritate quoque beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus ac nostra, ipsum septimo idus Aprilis Sanctorum Confessorum catalogo duximus adscribendum. Ideoque universitatem vestram monemus & hortamur attente, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus decimo quarto Kalendas Septembris, cum felix ejus anima tunc de carnis vinculis astra petens, cœlestem aulam adiverit æternis gaudiis potitura, festum ejusdem Episcopi & Confessoris, devote & solemniter celebretis, ut pia ejus intercessione hic a noxiis protegi, & in futurum sempiterna gaudia consequi valeatis. Et ut ad venerabile ejus sepulcrum ardentius & affluentius Christiani populi confluat multitudo, ac celebrius ejusdem Confessoris colatur festivitas, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui cum reverentia illuc in eodem festo annuatim accesserint ipsius suffragia petituri, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, duos annos ac duas quadragenas; accedentibus vero annis singulis ad prædictum sepulcrum infra ejusdem festi octavam, unum annum & quadraginta dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus.

Datum Avenione septimo idus Aprilis, anno primo.

IDEM

CONSTIT. LVII. A. D. 1317.

LVII.
IDEM
JOHANNES . XXII
DE EADEM RE
Ad universos Christifideles:
JOHANNES EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

Universis Christifidelibus præsentes literas inspecturis, salutem & Apostolicam benedictionem.

IN cœlesti patria laudis nova solemnia Sanctorum agmina celebrant, exultat profecto creator æternus, cum suam humani generis creaturam post triumphum de carnis nexibus habitum, conspicit palmam gloriæ meruisse. Gaudent nimirum cives Angelici, cum terrenorum incolam, terræ tenebris cultu fidei & devotionis splendore fugatis, factum cœli civem & compatriotam supernorum civium intuentur. Decet igitur, ut exultent immensis cuncti Christicolæ gaudiis, dum quis pro Christi nomine se pennis virtutum erigens, sic militavit in terris, quod accepit post præsentis vitæ decursum bravium & habitaculum in excelsis. Const. LVII. A. D. 1317.

Nos itaque non sine laudis jubilo læti conferimus, qualiter recolendæ memoriæ Ludovicus Episcopus Tolosanus, claræ memoriæ Caroli secundi Regis Siciliæ genitus, a teneris annis ordinem Fratrum Minorum suscipiens, sic servi formam accepit, sic proprium subjecit obedientiæ regularis professionis arbitrium, sicque mundi relictis illecebris, & mundanis omnino relegatis affectibus Deo gratam & acceptam hostiam immmolavit, quod per ipsius grandia & excelsa merita, multa & evidentia miracula Dominus operatur, de quibus quidem miraculis & felicibus actibus, habita fide dignis probationibus, quantum nosse sinit humana fragilitas, certitudine veritatis, ipsum de Fratrum nostrorum concordi consilio, septimo idus Aprilis Sanctorum Confessorum catalogo duximus adscribendum, ac ipsius festum decimo quarto videlicet Kalendas Septembris, cum tunc felix ipsius anima de carnis eruta vinculis astra petens, cœlestem aulam adiverit, veri luminis gaudiis potitura; ab universis Christifidelibus perpetuis futuris temporibus decrevimus celebrandum. Ut igitur devotis laudibus extollatur in terris quem ipse dominantium Dominus honorari voluit in excelsis, & fideles Christicolæ possint tantæ jucunditatis esse participes, ac celebrius ejusdem solemnitas peragatur, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui ad venerabile sepulcrum ipsius in instanti festo præsentis anni reverenter accesserint, ejus suffragia petituri, de omnipotentis Dei misericordia confisi, septem annos & septem quadragenas misericorditer in Domino relaxamus.

Datum Avenione sexto idus Aprilis, anno primo.

IDEM

CONSTIT. LVIII. A. D. 1317.

L V I I I.

I D E M

JOHANNES XXII

D E E A D E M R E

Ad Mariam Siciliæ Reginam.

JOHANNES EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Cariſſimæ in Chriſto filiæ, Mariæ Reginæ Siciliæ Illuſtri, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

CONST. LVIII. A. D. 1317.

EPulari, filia, in ſinceritatis & veritatis azymis, & in Domino gaudere te convenit, quia filius tuus, ab olim mundo moriens, Deo feliciter vivere, factuſque compatriota cœleſtium ac ſiderearum incola manſionum, in Domini tabernaculo meruit habitare. Exultare, ac pium prorumpere debes in jubilum, de utero tuo proceſſiſſe virum Angelicum, meditans conſortem eſſe gloriæ Angelorum. Profuſis decet te plaudere gaudiis, quod talem in terris genueris filium, cujus in cœlis patrocinio, cujuſve favore apud homines communiris, ut interceſſionibus apud Deum. Hic eſt ille natus tuus venerandæ memoriæ Ludovicus Epiſcopus Toloſanus, quem Deus ipſe glorioſus in Sanctis ſuis, & in majeſtate mirabilis, ſua immenſa bonitate virtutum operatione mirificavit, & gratia ſanitatum ſic immenſis illuſtravit miraculis, quod in diverſitate graduum ſui ſtatus, in gratia & gloria gradatim aſcendit. Hic eſt, quem, ut pie creditur, Rex ipſe cœleſtis ſic honorari decrevit in patria, ut ſedi ſupernæ quietis inſideat, æternæ claritatis lumine, quaſi regiis veſtimentis amictus, & ſempiternæ gloriæ diademate coronatus. Hic eſt denique, quem & nos propter ſua merita glorioſa noſtro miniſterio per omnem Chriſtiani cultus ambitum vehiculo debitæ venerationis incedere, ac profuſis per orbem gaudiis & effuſis undique laudibus coli cupientes in terris, nuper die Jovis poſt feſtum Reſurrectionis Dominicæ, ſeptimo videlicet idus Aprilis de Fratrum noſtrorum & Prælatorum omnium, tunc apud Sedem Apoſtolicam exiſtentium, unanimi conſilio, & concordi conſenſu, Sanctorum catalogo duximus adſcribendum, nec ſine cauſa paſchale tempus ad id faciendum elegimus, ut dies ipſa nova feſtivitate jucunda ex temporis gaudioſa celebritate paſchali, fieret ampliori jucunditate feſtiva.

Digne itaque, filia, cor tuum delectari debet in Domino, & in ſalutari ſuo tuus animus dilatari, & digne gratias agere teneris Altiſſimo, qui tibi fœcunditatem ſobolis tam ſanctiſſimæ tribuit, & qui in tanta ſublimitate illius in benedictionibus immenſæ dulcedinis te prævenit. Propera igitur, quæſumus, & in odore unguentorum beatiſſimi filii curre, tuas corrigendo vias, & bonis operibus vacando, feſtina, ut illum ſequi merearis ad regnum, quem, ſi mundo viveret, affectu cogente materno in exilium ſequereris.

Datum Avenione quinto idus Aprilis.

IDEM

LIX.

IDEM

JOHANNES . XXII

DE EADEM RE

Ad Philippum Regem Francorum.

JOHANNES EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Cariſſimo in Chriſto filio Philippo, Regi Franciæ & Navarræ Illuſtri, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

JUcunditatis & exultationis in Domino multa materia excellentiæ tuæ, fili cariſſime, debet non indigne ſuccreſcere; & in canticum Domini, de cujus largitatis irriguo gratiarum quarumlibet chariſmata derivantur, tuis non immerito labiis diſſolutis, regia mens imbre fœcundo conſperſa, tripudii merito debet in jubilum proſilire. Ille namque ſummus opifex, cujus mira, & proculdubio admiranda ſunt opera, domum tuam filiorum benedictionis & gratiæ largitate, ſolida firmitate ſtabiliens, nedum ipſam præ participibus ſæculari potentia, & immenſis fecit abundare divitiis, ſed & ad exigentiam, inexpugnabilis firmitatis illius fulcivit tandem ſpiritualibus munimentis, ut nedum imperterrita perſiſtere poſſet contra malignantium impetus, ſed & adverſus ſpirituum malignorum inſidias ſecura manere. Et quidem ex ipſa domo, quam utique decet in dierum longitudine ſanctitudo, duos ipſe miſericors Dominus diebus noſtris produxit ſpiritualis belli belligeros, duos candidos Nazaræos, qui ſcuto protecti fidei & armis pœnitentiæ, ac ſanctæ converſationis accincti, licet diverſis temporibus, voto tamen conſimili, finem ſibi præſtituentes eundem, præſentis vitæ ſtudium, ut incorruptibilem coronam acciperent, cucurrerunt, ambo ejuſdem nominis, ambo ejuſdem generis, & ambo admirabilis ſanctitatis.

Horum primus eſt, ſicut noſti, ſanctus Ludovicus confeſſor egregius, qui jam ab olim de terreno ac temporali regno ad cœleſtis & æterni gloriam eſt translatus. Secundus vero eſt venerandæ memoriæ beatiſſimus Ludovicus, Toloſanus Epiſcopus, qui tamquam veræ vitis palmes effectus, vivit æterna plantatus in vita, cui ad cœleſte palatium miſericordiarum pater paravit acceſſum, cujus miranda miracula, quibus miraculoſe per ipſius merita glorioſa dominantium Dominus ſuam mirificavit Eccleſiam, ad ſuæ laudis præconium, ad præſentium & ſecuturorum inſtitutionem & gaudium late patent, & quem nos ulterius nolentes latere ſub modio, ſed candelabro ſuperponi debere cenſentes, cum ad eum, ſicut noſtra, Fratrum noſtrorum, Prælatorum, etiam plurium & fidelium aliorum pia credulitas de vita & miraculis illius plenius informata ſupponit, indubie Rex ipſe cœleſtis in patria ſic honorari decreverit, ut ſedi ſupernæ quietis inſideat ſempiternæ gloriæ

diademate coronatus, & proinde dignum sit, ut profusis per orbem gaudiis, & effusis undique laudibus cultu debito veneretur in terris. Nuper die Jovis post festum Resurrectionis Dominicæ, septimo videlicet idus Aprilis de Fratrum nostrorum & Prælatorum omnium, tunc apud Sedem Apostolicam existentium, unanimi consilio & concordi consensu, Sanctorum catalogo duximus adscribendum: nec sine causa paschale tempus ad id faciendum elegimus, ut dies ipsa nova festivitate jucunda ex temporis gaudiosa celebritate paschalis, fieret ampliori jucunditate festiva.

Digne itaque, dilectissime fili, cor tuum lætari debet in Domino, & in salutari suo tuus animus dilatari. Digne proculdubio teneris eidem cordis genua flectere, humiliare spiritum, & ex intimis gratias agere, quod te, & inclytam domum tuam, talibus & tantis dignatus est communire patronis, quorum in cœlis patrocinio, quorumve favore apud homines communiamini, & intercessionibus apud Deum. Et illud prudenter debes advertere, quod cum natura nobilibus maxime necessitatem imponere videatur, ne a majorum suorum degenerent probitate, causa tibi non levis indicitur vacandi bonis operibus, ac te vas aptum virtutibus præparandi, ut Confessorum ipsorum facta virtuosa commemorans, & pro viribus imiteris, & commemoranda eorum exempla in odore ungentorum suorum percurrere, ac eorum vestigia pacifico gressu studeas prosequi, occasiones peccatorum solerter effugias, nec eorum, qui te forsan oblectare cuperent, suasionibus adquiescas: sic te in omnibus ad exemplar illorum laudabiliter habiturus, quod divinæ majestati gratus advenias, subditis tibi populis gratiosus existas, & tandem corrupta hujus mundi corona in incorruptibilem lauream commutata, concivis Confessorum ipsorum, Deique domesticus, & una cum eis hereditatis æternæ particeps effici merearis.

Datum Avenione quinto idus Aprilis.

N O T A.

De regio hoc Præsule, ordinis Fratrum minorum regulam professo, & Episcopo Tolosate, præter VVaddingum, qui in tomo III. Annalium has quatuor Apostolicas literas nobis servavit, videndus est Surius die XIX. Augusti, Raynaldus tomo XIV. & XV. Baronianæ continuationis, & Baluzius in Vitis Paparum Avenionensium tomo I. pag. 716. Porro sancti Ludovici parentes in his literis vocantur *Siciliæ Reges* tantum; non *Neapolis* aut *Apuliæ*, quibus tamen æque potiebantur. *Regni* enim titulus uni *Siciliæ* in summorum pontificum diplomatibus semper inhæsit. Reliquos principatus non *Regnum*, sed *Terram citra Pharum* appellari voluerunt.

IDEM

L X.

IDEM

JOHANNES . XXII

Sanctorum confessorum pontificum canoni adscribit Beatum Thomam, Herefordiensem in Anglia Episcopum, qui obiit die II. Octobris A. D. 1287.

JOHANNES EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Universis Christifidelibus præsentes literas inspecturis salutem & Apostolicam benedictionem.

Unigenitus filius splendor gloriæ ac figura substantiæ Patris, qui pro lapsi medela hominis exinaniens semetipsum, factus in utero Virginis verbum caro, de horto militantis Ecclesiæ modo rosas coloris ignei, nunc lilia candoris nivei, nunc violas odoris placidi colligere, suisque offerre aspectibus non desistit, in hodiernis temporibus advesperascente die, mundi hujus labilis termino propinquante, de radice matris Ecclesiæ florem fecit ascendere, ex Jacob nostro oriri jussit stellam splendidam matutinam. Const. lx. A. D. 1320.

Ecce namque, quod qui sedens in throno omnia facit nova, novi Confessoris, beati videlicet Thomæ Herefordiensis quondam Episcopi, nova magnalia mundo prodit, ejus fama offert magnifice, vitam offert imitandam a cunctis, ut regulam fulgidam & exemplar.

Lætentur igitur cœli sursum, qui hunc Sanctum gloriosum in se suscipiunt; & exultet terra deorsum, quæ superius transmittit Præsulem tam mirandum. Plaudant ob hoc cœtus Angelici, & canoro jubilo Deum laudent. Huic occurrant cœlestes cunei. Hunc collaudent festive cœlicives. Collætetur immense Christi sponsa mater Ecclesia, tantæ prolis claritate fœcunda, quæ terram deferens & terrena, cœlestis imperii admirabilis ipsi ineffabili throno gaudet.

Ut autem lucerna splendidæ vitæ suæ, posita super candelabrum domus Dei, non lateat, sed pateat cunctis fidelibus, ut cœlestis & perpetuæ vitæ norma de suis felicibus moribus & actibus, aliqua de multis ad utilitatem audientium referamus. Ipse namque, quem fides firmum, spes erectum, Dei & proximi abundans caritas fecit latum, circumspectum prudentia, temperantia in omnibus ordinatum, innoxium cunctis justitia, audacem & strenuum fortitudo, virtutum omnium aromatibus redolebat, velut plena divinorum carismatum apotheca.

Sane beatus hic Thomas natione Anglicus, Angelicus homo ipse de parentibus nobilibus & catholicis originem suam trahens, ab ætate primæva morum honestate præclarus; studiis literarum sic se dedicavit totaliter, sic in ipsis solicite studuit & profecit, quod tam in-

CONSTIT. LX. A. D. 1320.

humanis scientiis, quam etiam in divina honorem magisterii est adeptus; postque doctrinæ suæ radios longe lateque diffundens quamplures ad justitiam erudivit, velut luminare in mundo præfulgidum continens verbum vitæ.

Ne autem terrenæ carnis inhabitatio deprimeret secum sensum cœlestia cogitantem, ipsam, ut serviret spiritui, vigiliis & abstinentiis, necnon pungenti cilicio, sed & cibi & potus parsimonia continua macerabat, abstinens a vino sæpius, sciens, quod in ipso lubricum latet carnis. Sciens etiam, quod Deus se promittit in objectum & præmium mundis corde, a juventute sua castitatis pulcritudinem adamavit, propterea que mulierum consortia, quæ pretiosam viri animam rapiunt, ac ipsarum blanda colloquia prudentissime devitabat. Noverat namque, quod propter mulieris speciem, a qua factum est peccati initium, multi perierunt.

Iste Sanctus etiam, ut alter Job, simplex, rectus ac timens Deum, a Christo didicit esse mansuetus, mitis corde, humilis & benignus. Misericordia nihilominus, quæ ab infantia secum crevit, erga pauperes & afflictos suæ pietatis viscera sic affecit, quod ipse verus pauper spiritu, dives rebus, illos largis sustentabat eleemosynis; istos vero crebris consolationibus refovebat, cum Apostolo namque Paulo infirmabatur cum infirmantibus, & cum patientibus scandalum, urebatur.

Hic demum Sanctus de innocente agno factus in Herefordiensi Ecclesia bonus pastor, se ipso in mente major effectus est, studens semper de virtute progredi in virtutem, quo in tempore in Dei templo in virtutum culmine positus sic effulsit, quod merito gemma Præsulum dici posset.

Orationi vero insistebat assidue, ac sui fervorem spiritus demonstrabant in orationibus & celebratione missæ abundanter ex oculis lacrymæ defluentes.

Commissas vero sibi oves perducebat ad pascua, & a lupis protectas rapacibus, pastasque verbo & exemplo pariter ad Christi caulas sedule reducebat.

Jura vero suæ Ecclesiæ defensabat indutus justitia, ut lorica. Paratus namque pro sibi commisso grege animam ponere, non timuit in hoc Principem nec magnatem.

Et quia dignum erat, quod huic tam excellenti merito daretur æterna requies post laborem, cum pro suæ causis Ecclesiæ ad Romanam invenisset curiam, diem clausit extremum, receptis devote prius Ecclesiæ sacramentis. Sicque vir felix iste ad Deum transmittendo spiritum, de peregrino & advena, factus est eximius cœli civis, & quod decebat multum divinæ potentiam majestatis, ut Sanctum hunc in cœlis regnare secum per signorum evidentiam fidelibus declararet, ipsum coruscare in terris miraculis multis fecit: quorum quædam fidelibus probata testimoniis, ad Dei laudem & gloriam Sancti hujus duximus inserenda.

Quædam namque puella ætatis annorum quinque, quæ tempore longo in quodam profundo stagno steterat mortua & submersa, extracta inde frigida tota & rigida, non habens aliquod signum vitæ, facto ad Sanctum hunc pro ejus resuscitatione voto, vitæ fuit pristinæ restituta.

Infans etiam biennis quidam in aqua quadam submersus & mortuus, extractus inde, post factum pro ipso votum, miraculose extitit suscitatus.

Puer

Puer quidam annorum novem submersus in quodam flumine, postquam extractum de aqua, Sancto huic aliqui devoverant, restitutus est vitæ pariter & saluti. CONSTIT. LX. A. D. 1320.

Parvulus alter ætatis unius anni eum dimidio, cujus supra caput dormientis in area rota transiverat onusti currus, qui a bobus quatuor trahebatur, mortuus ex hoc, recuperavit vitam & animam meritis Sancti hujus.

Infans alius nondum ætatis annorum duorum in fundo cujusdam fossati, in quem locum de ponte altitudinis magnæ de nocte asseritur cecidisse, repertus mortuus, frigidus, omnino & rigidus absque aliquo signo vitæ, mensuratus ad hunc Sanctum, vitæ fuit mirabiliter restitutus.

Mulier quædam, quæ septem annis sic contracta fuerat, quod nec stare nec ire poterat per se ipsam, portata ad tumulum sancti Thomæ, oratione ibidem facta per ipsam, restituta fuit pristinæ libertati sanitatis.

Quædam insuper puella annorum quinque, quæ pedem unum habebat, annis pluribus, quasi totum ex fistulis putrefactum, ita quod nec stare nec ire poterat, nisi se super femur trahendo per terram, portata ad dicti Sancti tumulum per patrem, fuit ibidem a dicta infirmitate curata.

Altera mulier, quæ per annos plures visu caruerat, nec quoquam ire poterat, nisi, ut cœca, ab altero duceretur, ducta ad Ecclesiam Herefordiensem, & facta oratione ad tumulum sancti Thomæ, fuit a cœcitate dicta continuo liberata.

Puer insuper annorum quinque, qui ex infirmitate quadam omnino visum perdiderat, & duobus annis manserat ita cœcus, ductus ad hujus Sancti tumulum, oratione facta, visum recuperavit perfecte.

Quidam etiam homo, qui gilbum ad quantitatem unius ovi anseris, ortum in collo suo portaverat multis annis, orans ad tumulum hujus Sancti, & denarium offerens, cum quo in modum crucis tetigerat dictum gilbum, statim curatus omnino fuit, & a dicto gilbo penitus liberatus.

Prædictis & aliis multis miraculis Sanctum suum clarificavit Deus, qui facit mirabilia magna solus. Hæc sunt certe miracula opera tua, Deus, qui sic per cœlestes spiritus gubernas terrena omnia & disponis, quod ipsorum sacratum numerum, quem cadentium ruina minuit, reparas mirabiliter de terrenis. Hi sunt Sancti tui, omnipotens Deus, qui tuæ dono gratiæ semper virent, rubent, ut rosa, candent sicut lilium, ut mel placent, currunt, ut spiritus, flagrant, ut balsamum, ut sol fulgent. Sic clemens Deus sanctum suum Thomam glorificans, fidem firmat, nubilosos errores dissipat & confundit, ad superna nostros rapit affectus, amoris flammis succendit frigida corda nostra. In hac igitur læta die, quam fecit Dominus, qua confessor iste in Dei throno corona gloriæ clarus sedet, laudet Deum omnis spiritus, cœli cœlorum clamore ineffabili Deo canant. Sanctorum Ecclesia mente ac spiritu in chordis & organo Deo psallat. Sed eo magis plaude Herefordia, quæ sui thesaurum corporis contines tam immensum, nam quem in terris habuisti pastorem, nunc obtines in cœlis sedulum protectorem.

Verum quia multum convenit, ut quem Deus in cœlis glorificat, in terris ad suum fructum & gaudium mundus colat; nos de ipsius vita & mi-

CONSTIT. LX.
A. D. 1320.

& miraculis inquiri fecimus diligenter. Dehinc super inventis per nos & Fratres nostros attenta examinatione habita & discussione solerti, de ipsius sanctitate vitæ, ac veritate miraculorum plenarie certi facti, ad requisitionem instantem, ac supplicationem humilem & devotam Prælatorum multorum, apud Sedem Apostolicam existentium, de dictorum Fratrum nostrorum consilio & assensu, confisi de omnipotentis Dei misericordia, auctoritate quoque beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus & nostra, Sanctorum Confessorum catalogo duximus adscribendum.

Ideoque universitatem vestram monemus & hortamur attente, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus sexto nonas Octobris festum Confessoris ejusdem devote & solemniter celebretis, ut pia ejus intercessione & hic a noxiis protegi, & in futuro sempiterna gaudia consequi valeatis.

Ut autem ad venerabile ipsius sepulcrum ardentius & affluentius Christiani populi confluat multitudo, ac celebrius ejusdem Confessoris extollatur festivitas, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui cum reverentia illuc in eodem festo annuatim accesserint, ipsius suffragia petituri, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, duos annos & duas quadragenas; accedentibus vero annis singulis ad prædictum sepulcrum infra ejusdem festi Octavas, centum dies de injuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus.

Datum Avenione decimo quinto Kalendas Maji, pontificatus nostri anno quarto.

N O T A.

De hoc laudatissimo viro, qui pro tuendis Ecclesiæ suæ juribus Urbemveterem ad Martinum IV. Pont. Max. confugit, & sub Honorio IV. ejus successore in patriam rediens obiit apud Montemflasconem Tusciæ suburbicariæ civitatem, die II. Octobris A.D. 1287. consulatur Raynaldus A.D. 1287. §. 16. & A.D. 1320. §. 43. Surius eadem die & Baronius ad Martyrologium Romanum. Stephanus Baluzius in Vitis Paparum Avenionensium tom. II. pag. 366. scriptum quoddam de illo vulgavit. Herefordia est urbs Angliæ episcopalis sub metropoli Cantuariensi.

IDEM

L X I.

I D E M

JOHANNES . XXII

Sanctorum confessorum canoni adscribit Beatum Thomam Aquinatem in Campania, ordinis Fratrum Prædicatorum, qui obiit die vii. Martii A. D. 1274.

JOHANNES EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Venerabilibus fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Archipresbyteris, aliisque Ecclesiarum Prælatis, ad quos literæ istæ pervenerint, salutem & Apostolicam benedictionem.

Const. lxi. A. D. 1323.

Redemptionem misit Dominus populo suo, cum Dei verbum in virginalis uteri thalamo, sancti Spiritus cooperatione, conceptum, caro factum est, & habitavit in nobis, verbo suo nos instruens, exemplo docens, cœlestia reserans, occulta miraculis depromens, roborans, ac sacri eloquii testimoniis futura eadem esse confirmans. Tandem se Deo Patri in ara Crucis hostiam acceptabilem offerens, peccata nostra pio cruore detersit, descendensque ad inferos, ac die tertia resurgens a mortuis, & per quadraginta dies apparens discipulis, & loquens de Regno Dei, ipsis cernentibus est elevatus in cœlum, & captivam ducens captivitatem, dedit dona hominibus, quibus patescere cœlum innotuit, reserata dudum clausa, in se credentibus janua paradisi. Patet ergo cœlum credentibus, patet humilibus, patet etiam iis maxime, qui honestatis, paupertatis & obedientiæ votis Deo (a quo stulti per inobedientiam discesserunt) voluntaria sponsione se devovent. Regnum enim cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud, dum propriis subactis affectibus, violentia quadam ad superiora conscendunt.

Hæc igitur beatus Thomas de Aquino ordinis Fratrum Prædicatorum, sacræ Theologiæ Doctor, nobilis quidem genere, sed nobilior conversatione, fama clarus, vita clarissimus, sedula meditatione revolvens & attenta deliberatione discernens, dum adhuc infra pubertatis annos existeret, ipsius ordinis Prædicatorum habitum suscepit, in eo (invito etiam patre, qui ejus felicibus actibus invidebat) constantius mansit, ac in ipso tandem regularem professionem emisit, ubi in brevi adeo scientia, vita & moribus profecit, ut ætate adhuc juvenis, ad sacerdotium promoveretur, & ad ejusdem Theologiæ magisterium, Parisiis, loco utique celeberrimo, assumptus, magno inibi sui, suique ordinis, ac Parisiensis studii favore per multorum annorum curricula cathe-

CONSTIT. LXI.

A. D. 1323.

cathedram regeret magistralem. Quippe cum illi vita existentiam, conversatio famam, doctrina pareret opinionem, opera divulgationem, eademque tam brevi confecta tempore admirationem merito exhiberent; ut illud Psalmi, *rigans montes de superioribus suis: de fructu operum tuorum satiabitur terra*, in eo verissime impleretur. Quod utique thema idem Sanctus, dum esset in sacra pagina susceptur us insignia, assumpsit, quodque (ut fertur) revelatione sibi post suam orationem facta didicerat, dum propter juventutem suam ipse se inhabilem ad magisterium reputans, quid proponeret in instanti principio hæsitaret.

Psal. ciii. 13.

Nam & in primitivis scientiis, & diversis philosophiæ partibus, ut non esset ociosus, sed operaretur in terra; necnon in sacræ Scripturæ pagina, tam super novum, quam vetus Testamentum scripta, plurimaque alia ad Dei laudem, fideique dilatationem, eruditionemque studentium, clara, cum sciens esset, famosa, cum cognitus non absque speciali Dei infusione perfecit. Doctrina quippe prudentium facilis, & omnino scientis signum est, posse docere.

Profecit itaque vir peritus, a terrenorum ambitione semotus, & ad cœlestium assecutionem intentus, perfecto vacans studio, intendebat Deo, prætermittebat terrena, ut assequeretur æterna, præmittebat divina, ut roboraretur in schola, cum singulis diebus, antequam lecturus ascenderet cathedram, vel distraheretur ad alia, missam unam celebraret, aliam audiret, vel duas integras missas, si non celebrasset, audiret, in quibus & alias in oratione (cum in illa foret assiduus) lacrymarum effusione mentis suæ dulcedinem, devotionemque Deo, cui nihil est absconditum, revelabat.

Cumque castitatis nitore canderet, parsimonia devota, hanc custodiebat humilitatem, hanc eamdem sobrietate medica nutriebat, adeo ut multi eum in carne virginitate mansisse incorruptum existimarent. Quod ejusdem Sancti confessor ordinis memorati, qui longo tempore ipsius confessionem audierat, publice (ut ad nos testimonio fide digno pervenit) coram omnibus die defunctionis ejusdem asseruit, dicens: *ego confessionem generalem istius Sancti viri audivi, de quo testificor, quia ita inveni eum purum, sicut puerum quinque annorum, quia numquam suæ carnis sensit corruptelam*. Qui præterea vir Dei cibis Religiosorum, vestimentisque communibus contentus, conversatione mitis, benignitate suavis, pietate misericors, humilitate subjectus, ceteraque virtutum varietate redimitus, honorum supercilium, mulierumque cautius consortia spernebat: non elatus, non præeminens, nec etiam disputans, quod & interdum disputantium solet esse commercium, jactator effectus, ut ampullosis (etiam si sibi eadem injicerentur ab aliis, in illo palæstricæ syllogizationis exercitio uteretur. Totus igitur Dei famulus divinis operibus intentus, aut eruditioni, qua præcellebat, aut prædicationi, qua immotus erat, aut orationi, qua devotus, aut Scripturæ sacræ, qua profundus, sedulus vacabat, adeo ut præter naturalis necessitatis aut quietis horas nullum sibi aut vix temporis spacium relinqueret ociosum.

Appropinquante autem die, qua de hoc sæculo migraturus esset ad Dominum, quaque devicto ac triumphato mundo, in perpetuas æternitates recipiendus in patria (nam bonorum laborum gloriosus est fructus) cum a felicis recordationis Gregorio Papa prædecessore nostro, ad Lugdunense Concilium propter eminentem ejus scientiam diceretur

esse

esse vocatus, de Neapoli veniens, ubi tunc temporis more solito famose legebat,ut Doctor,& per maritimam transiens oram,cum ad monasterium Fossæ novæ ordinis Cisterciensium Tarracinensis diœcesis,parumper digressurus, per dies aliquot antea,ad ipsum,ut illuc deferretur,affectuose postulans, devenisset, intrans monasterium, plenus Dei spiritu, hæc verba protulisse refertur: *hæc requies mea in sæculum sæculi. Hic habitabo, quoniam elegi eam*. Quod verum esse eventus docuit, & sacri corporis sui illic facta tumulatio manifestat. Cœpit illic enim infirmitate gravari eadem, viribus paulatim destitui; infirmitatem tamen ipsam, etsi dierum plurium, non impatienter tolerans; sed æquanimiter totum, ut erat humilis, patientia supportans, quo sibimet leniret infirmitatem, Deo obedientia placeret, ministris de se, quos non intendebat aggravare, reverentiam, imitandæ quoque patientiæ exempla præbens, adeo quod ejusdem monasterii Fossæ novæ Fratres inibi Deo devotius famulantes hæc in Sancto viro religionis exempla contemplantes,illius,tunc infirmantis corpore,promptis obsequiis mancipati, quem utique tanta refertum patientia fore cernebant, singuli ligna de silva, singuli quæque illi opportuna voluntarie propriis humeris deferebant, non æstimantes fore conveniens, ut brutorum animalium humeri in portandis eidem rebus accommodis præstarent obsequia, qui tantarum virtutum prærogativa pollebat.

CONSTIT. IX. A. D. 1323.

Cumque in eadem infirmitate, de qua obiit, sanctissimi Dei & Domini nostri Jesu Christi corpus in cibum sumendum sibi, ut viaticum deferretur, totus profusus in lacrymis, & dulci amore ejusdem anima assueta, dulcedine Dei liquefacta, inter cetera multa & decora, quæ protulit, hæc vel similia fidei & devotionis verba, toto illius monasterii conventu, multisque dictorum Prædicatorum, & Minorum, ordinum, assistentibus Fratribus, eructasse fertur: *ego de isto sanctissimo corpore Domini nostri Jesu Christi, & aliis sacramentis multa docui, multa scripsi in fide Jesu Christi, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cujus correctioni cuncta subjicio, cuncta suppono*.

Recepto deinde ab ipso eodem vivifico sacramento, cunctisque aliis sacramentis Ecclesiæ debita veneratione cum lacrymarum effusione susceptis, tertio die obdormivit in Domino, cui credidit, quem amavit, & tota mentis affectione dilexit. Fidelis servus & prudens, non pertinax, non proprio sensui aut prudentiæ innitens, & nulla de se scientiæ suæ opinione superbus. Nam qui scrutator est majestatis,opprimetur a gloria; unde sapienter Doctor idem, atque humiliter (ut præfati sumus) omnem suam verbo vel scripto doctrinam ad ejusdem Ecclesiæ fidei normam fideli devotione reduxit; quam, Petri ore diffusam, stabilem noverat, & nullis concussionum flatibus agitandam, cum post veram divinitatis Christi recognitionem,qua respondit: *Tu es Christus filius Dei vivi*, ab ipso audire meruit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Et alibi: *ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua*; dumque pro Petro Christus rogat, pro ejus Ecclesia intercedit.

Verum quia dignum erat & consonum, ut quem Deus viventem in hoc sæculo tantis suis donis, gratiisque perfecerat assumptum in cœlis, sanctificatum fore hominibus declararet, multis eumdem virum Dei post ipsius de hac vita transitum (licet & antea nonnulla fecisse memoretur) magnisque fecit clarere miraculis; multis clarisque signis gloriosius coruscare, ut illud Psalmi merito de ipso dicamus: *Scitote* Psal. iv. 4.

CONSTIT. LXI. A. D. 1323.

quia mirificavit Dominus Sanctum suum; sicque vita ejus attestaretur miraculis, & illius miracula vitæ testimonium perhiberent. De quibus pauca de multis in Dei laudem, & Sancti hujus commendationem & ædificationem fidelium, idoneis approbata testibus, præsentibus subnectemus.

Post septimum namque mensem, vel circa, a die obitus ipsius sancti Thomæ de Aquino, cum corpus ejus, quod in Cappella sancti Stephani dicti monasterii per idem tempus sepultum extiterat, ad sepulcrum ejusdem, primum scilicet juxta altare majus Ecclesiæ monasterii antedicti, unde ad tempus per monachos ejusdem monasterii timoris causa sublatum fuerat, ne corpus ipsum omnino de dicto monasterio tolleretur, per translationem denuo exhumatum deferri exinde decrevissent, in apertura ipsius sepulcri ejusdem Cappellæ sancti Stephani tanta fragrantis odoris suavitas emanavit, quod totam ipsam Cappellam claustrumque ipsius monasterii, quod diffusum est, mira eadem suavitate replevit, quæ de ipsius corpore, prout ex solicita, curiosaque monachorum indagine est repertum, mirifice fundebatur. Propter quod majore per monachos concepta ad ipsum devotione, totus conventus processionaliter, Priore tamen dicti monasterii cum quibusdam ex monachis paramentis induto, corpus ipsum ad præfatum primum ejus sepulcrum honorifice detulerunt, cantantes in crastino propter illa, quæ viderunt, missam, velut de uno Confessore solemniter, cum reputarent incongruum, si missa de *Requiem æternam*, ac si pro defuncto pro illo cantarent. Hanc similem fragrantiam post septem annorum spacium quidam ex testibus, quidam vero post quatuordecim annorum spacium sensisse se referunt, dum corpus ipsum diversis ex causis per temporum vices sedulo inspexissent. Quippe odor, carnis ejus munditiam Deo acceptam exprimebat, orationum ejus odoramenta repræsentabat, famam quoque ejus claram, diffusionemque virtutum & illarum aromata non celabat.

Quidam arte chirurgicus, sed per decennium infirmitate podagricus, ita quod ire per se, vel ambulare nequaquam absque baculorum sustentatione, aut aliorum suffragio poterat, se Deo & beato Thomæ devovens, juxta ejus tumulum incumbens (oratione facta) sanus prosiliit, & currens, ac Deum laudans, quod meritis ejus esset tam longæ infirmitatis languore curatus.

Alter quidam ex horribili quadam visione phantasmatis timididate percussus, pedibus manibusque contractus fuit, & ore ac facie distortus, sensibus carens, & omni virtute destitutus, ita quod loqui non poterat, sed mortuo similis videbatur, adeo ut ignem, ejus membris admotum nullatenus sentiret, portatus ad tumulum illius, post morulam, liber & sanus omnino a dicto sepulcro surrexit.

Alius dum non devote de Sancto sentiret, virtutem Dei in Sancto, in se duplicem est expertus, infirmitatis, dum contemnit, sanitatis, dum a contemptus culpa discessit. Nam cum sibi devotionis causa a quodam Cappellano plures venerandæ reliquiæ monstrarentur, ipse quoque ostensor pretiosiores adhuc se habere reliquias, videlicet manum Fratris Thomæ de Aquino fateretur, illico hunc, derisorie de his truffantem, cum eas videre non curaret, dicens, *Sanctus non est*, sed quidam ordinis Prædicatorum Frater, tremor apprehendit; & caput ejus ad modum magnæ cistæ grossum, & valde ponderosum sibi esse videbatur, sed infirmitate correptus, & pœnitens, simulque de sua

sua

sua incredulitate, dictisque deplorans, dum veniam a Sacerdote petitam obtinuit, reverenter manum ejusdem Sancti deosculans, confestim a tremore & inflatione capitis liberatus evasit, sensitque progredientem, ut retulit, maximum ex dicta manu suavitatis odorem. Qui odor cum ipsius curati capitio, personæque, ex tactu manus ejusdem per magnum tempus inhæreret, multis eumdem postmodum percipientibus, sciscitantibusque quid esset, hoc signo narrare quod acciderat (etsi nolens) miraculum cogebatur.

Notarius quidam dum ad mensam sanus accederet, surgens ab illa, gravi squinantiæ infirmitate correptus est. Duobus diebus propterea linguam movere non potuit, & loquelam amisit. Cumque multa medicorum remedia ei adhibita, quin eadem infirmitas in augmentum procederet, non prodessent, immo de illo desperarent; ad Sanctum conceptam devotionem, ut ad tumulum ejus deferretur, quam lingua non valebat, manus suæ scriptura deprompsit. Verum cum ad illum, repugnante uxore sua (quia mulieribus præfati monasterii Ecclesiam ingredi non liceret) nequaquam duceretur, ipse sic infirmus advertens intra se ipsum, eidem beato viro, se ut liberaret, affectuosius commendavit. Cœpit ex tunc linguam ducere, meliorari & convalere, ac brevi temporis intervallo curatus perfecte fuit.

Dum alius quidam per septem hebdomadas & ultra febre quotidiana, malo epatis, & stomachi affligeretur, quadam die Veneris, cum pejus haberet, auditis quibusdam miraculis, quæ per virum Dei facta esse dicebantur, cum se ad ipsum devotius sequenti die Sabbati, de sero uxoris suæ suasibus, eaque præsente, devovisset; die Dominicæ proximo in mane se a præfatis infirmitatibus plene reperit liberatum.

Mulier quædam, cum filium suum duorum mensium decumbentem, periclitari non immerito formidaret, pro eo præsertim, quod per menses quatuor ex surditate adeo gravata esset, ut decies exclamata, vagientem etiam puerum vix audiret, viri sui inductione, qui mœstus una cum illa, communis filii periculo condolebat, prædicto viro Dei, ut eam ab eadem infirmitate eriperet, obnixius devovit: emissoque voto, cum nocte secuta dormisset, in crastino se liberatam Sancti meritis reperit, ut optabat.

Puella gutturis sui fauces squinantiæ habens infirmitate constrictas in tantum, ut nec quid sumere solidum aut liquidum valeret, & anhelitus sibi meatus, ut vix respirare posset, includeretur; dum devote se beato viro, a matre persuasa, commendaret, ductaque foret in crastinum ad dictum monasterium Fossæ novæ, superpositis gutturi suo, dicti viri Sancti ex reliquiis in quadam capsa delatis, confestim melioratam se sensit, panem comedit, perfecteque sanata rediit.

Quidam præfati monasterii Fossæ novæ conversus adeo gravem in brachio dextero & spatula dolorem patiebatur, ut ipsum brachium, quod per trium mensium cum dimidio spacium detulerat suspensum ad collum, ei esset inutile, dolore præsertim vehementer afflictum. Qui cum requisitum medicorum remedium non haberet, & amplius dolore gravaretur, dum dicto Sancto pro sua liberatione se quodam emisso voto commendasset, seque supra ejus tumulum posuisset; ibidem obdormivit, ac excitatus deinde a quodam dicti monasterii monacho, brachio, quod linteo prius habebat, incumbens collo adhuc dependenti, extractum ab eo reperit, excitatorumque a somno more, dum

CONSTIT. LXI. A.D. 1323. ambas manus capiti suo, ut ipsum scalperet, apposuisset, se liberatum intellexit, ac astantibus, quod notum fuerat, miraculum revelavit.

Infans quidam quatuor annorum, tumorem & ruborem in costis & crure usque ad pedem patiebatur, adeo afflictivum, ut nec a matre sua, vel alio sine læsione & clamore suo aliquatenus tangi potuisset. Movere se non poterat, & per mensem in tanto dolore & in anxietate fuit, ut a medicis spes curationis ejus sine incisione pueruli non inveniretur, illaque (si fieret) perpetuo eum in persona futurum impeditum mœstis amaritudine mentibus nunciabat. Deficiente natura, artisque suffragio non invento, recursum est ad Deum, qui gloriosus est in Sanctis suis, faciens prodigia; nam mater infantuli, quæ ipsum diligebat, ut mater, eum beato Thomæ devotius commendavit, ut a dicta infirmitate sine incisione, suis meritis liberaret. Delatus est puer ad monasterium, positus super tumulum Sancti, post aliquantulam moram sanus inde surrexit.

Hæc sunt igitur testimonia tua, Deus, quæ de hoc viro justo nobis credibilia facta sunt nimis. Nam si testimonium hominis accipimus, testimonium Dei majus est; quo animam ejus cœlum possidere jam credimus, intercessorem ipsum expectamus; ac inter Sanctorum agmina, quasi stellam matutinam, confidimus esse locatum; unde fidem tuam in nobis, bone Jesu, nutris, spem erigis, dilectionis caritatem accendis. Lætetur itaque mater Ecclesia, exultet Italia, parens Campania jucundetur, Prædicatorum sacer ordo jam jubilet, religiosorum devotio concrepet; Doctorum turba complaudat, animentur ad studia juvenes, provecti non torpeant, senes delectentur in illis, omnes in humilitate proficiant, provecti contemplationem non deserant, mandata Dei seduli exequantur. Nam dedit illi Deus cor ad præcepta & legem vitæ & disciplinæ, & sapientia humiliati exaltabit caput illius. In medio Ecclesiæ aperuit os ejus, & implevit eum Dominus spiritu sapientiæ & intellectus, stolam gloriæ induit eum. Nam veritas (quæ
Eccli. xxiv. 31. est Christus) ipsa veris, non fictis Doctoribus pollicetur: *qui elucidant me, vitam æternam habebunt*. Quamvis ipse verus justitiæ sol stellarum illustratione non egeat, nec illarum irradiatione, cum illuminentur ab ipso, clarescat. Habitat enim lucem inaccessibilem, qui est splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, idcirco tenebris non obscuratur, ut deficiat, aut nebulis offuscatur, ut suæ claritatis radios non diffundat.

Ceterum, quia rationis ordo expostulat, ut triumphantem in cœlis Ecclesiam, devota in terris militans subsequatur, illum veneratione præcipua percolat, quem in cœlestibus agminibus positum, Deum glorificare cognoscitur;

Nos de sanctitate vitæ, ac miraculorum veritate, confessoris ejusdem non semel tantum, sed primo & secundo; non festine, sed mature inquiri fecimus, & per nos etiam, & Fratres nostros sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales inquisitionem hujusmodi exacta discussione examinavimus diligenter, ut tanto firmius, quanto maturius, tanto certius, quanto disquisitius inquisitum & examinatum existeret in sic arduo difficilique negocio procedere valeremus. Difficile namque existimamus quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt invenimus cum labore; quæ autem in cœlis sunt, quis investigabit? Cumque per hujusmodi nostram & eorumdem Fratrum nostrorum examinationem sollicitam & sollicitudinem examinatam, vitam ejus sanctam, & miracula vera

vera, ejus meritis facta, probata esse constiterit, & supplicantibus nobis idipsum humiliter & devote multis tunc Prælatis apud Sedem Apostolicam existentibus, de dictorum Fratrum nostrorum consilio & assensu, auctoritate Dei omnipotentis, Patris & Filii & Spiritus sancti, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus ac nostra, eum Sanctorum Confessorum catalogo duximus adscribendum; CONSTIT. LXI. A. D. 1323.

Ideoque universitatem vestram monemus & hortamur attente, per Apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes, quatenus nonis Martii festum Confessoris ejusdem devote ac solemniter celebretis, & faciatis a vestris subditis veneratione debita celebrari, ut pia ejus intercessione, & hic a noxiis protegi, & in futuro sempiterna gaudia consequi valeatis.

Ut autem ad venerabile ejus sepulcrum ardentius & affluentius Christiani populi confluat multitudo, ac celebrius ejusdem Confessoris colatur festivitas, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui cum reverentia illuc in eodem festo annuatim accesserint, ipsius suffragia petituri, de omnipotentis Dei misericordia, & eorumdem beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, unum annum & quadraginta dies; accedentibus vero annis singulis ad prædictum sepulcrum infra septem dies, festum ipsum immediate sequentes, centum dies de injuncta sibi pœnitentia relaxamus.

Datum Avenione decimo quinto Kalendas Augusti, pontificatus nostri anno septimo.

N O T A.

Hanc Constitutionem, quam socii Bollandiani tomo I. Martii pag. 655. de sancto Thoma scribentes, prætermiserunt, quæque erroribus scatet apud Cherubinum, nos utcunque emaculatam damus ad exemplar etiam Annalium Bzovii tomo XIII. A. D. 1274. §. XX. Ceterum iis, quæ Bollandiani magno studio ad hunc magnum Ecclesiæ Doctorem pertinentia undique congesserunt, addenda sunt quæ Baluzius aliunde protulit in Vitis Paparum Avenionensium to. I. pag. 139. 163. 172. 175. 181. 751. 1015. 1134. Videndus etiam to. II. pag. 67. 772. Quanti doctrinam Thomæ fecerit beatus Urbanus V. summus Pontifex, inde patet, quod inter varias rationes, ob quas ex cœnobio Cisterciensi Fossænovæ in agro Privernate voluit ejus corpus Tolosam transferri, hanc reperies apud Bollandianos eodem to. I. Martii pag. 730. num. 13. col. 2. *quia ibi est Universitas in Theologia, quam volo fundari in* DOCTRINA SOLIDA & FIRMA *illius Sancti*. Vide Baluzium eodem to. I. pag. 1057. Non est hoc loco silenda concertatio nuper edita de *Monachatu* sancti Thomæ Aquinatis. Inclytum ordinem sancti Benedicti occidentalium monachorum Patriarchæ, ut par est, summe veneramur. Agnoscimus etiam, Summatum filios olim in scholis Monachorum educari consuevisse, de quibus scholis post alios agentem vide Mabillonium libro I. de Studiis monasticis cap. XVI. Sic Thomas, ex clarissimo genere Comitum Aquinatium prognatus, *quinquennis* ductus est Casinum, educandus in aliorum *nobilium puerorum consortio*, ut ait Guillelmus de Tocho in Vita apud Bollandianos cap. I. pag. 660. num. 5. Ibi mansit *biennium ferme*, teste Paullo Langio, revocatus a Landulpho patre, suasu Abbatis Casinensis, nec eo postea reversus. Vide Tochium num. 9. ergo Thomas quandonam factus est *monachus*? Scimus disciplinam viguisse, ut pueri Deo offerrentur in monasteriis, sub quibusdam tamen formulis, & *non inviti*. Adi Edmundum Martenium ad Regulam S. Benedicti cap. LIX. pag. 784. 789. 791. Nos minime fugit, olim non defuisse sanctissimos viros, qui ex uno ordine ad alium æque probatum migrarunt. Horum unus fuit sanctus Guillelmus Bituricensis Archiepiscopus, cujus canonizationis literas decretales, ab Honorio III. vulgatas, dedimus supra num. XXXIII. Consulendus sanctus Bernardus epist. I. & CCCLXXXII. editionis novæ. Sed non ideo putamus, sanctum Thomam ordini monastico nomen dedisse, quoniam ex Bernardo Guidonis in Vita summi Pontificis Johannis XXII. apud Baluzium to. I. pag. 166. Thomas, *infra annos* PUBERTATIS *existens, habitum Fratrum Prædicatorum suscepit, & in eodem regularis professionis emisso voto, in brevi tempore, vita, scientia, & moribus sic profecit, quod, adhuc ætate* JUVENIS, *ad Theologia magisterium Parisiis promotus est*. Si ergo *infra* (idest *intra*, ex stilo ævi inferioris) *annos pubertatis* Thomas ingressus est ordinem Prædicatorum, atque adhuc *juvenis* Theologiæ magister est factus, quandonam fuit *monachus*? Pubertas in masculis incipit ab anno ætatis XIV. annumque XVIII. pertingit, ut norunt Jurisconsulti. Idem Johannes XXII. in hac ipsa, quam damus, Constitutione paullo post initium ait similiter, Thomam, *dum adhuc infra* PUBERTATIS *annos existeret, ipsius ordinis Prædicatorum habitum suscepisse*. Ad hæc idem Guillelmus de Tocho, auctor æqualis, in Thomæ Vita apud eosdem Bollandianos pag. 661. cap. II. num. 10. col. 1. tradit, eum, neque carceri mancipatum, ullo pacto voluisse *habitum Prædicatorum* dimittere. Denique Thomas Walsinghamus, monachus ordinis sancti Benedicti, inter Scriptores Anglicos a Guillelmo Camdeno vulgatos pag. 45. A. D. 1275. §. 40. totam quæstionem absolvit, testatus, Thomam, *invitis parentibus, qui eum* MONACHARI *volebant, habitum Prædicatorum suscepisse*. Non ergo Thomas ipse unquam voluit fieri *monachus*, nec certe factus est unquam; sed *parentes*, idest consanguinei, eum reluctantem, *monachari volebant*. De anno, quo Thomas in lucem editus est, video pariter disputari in libellis ultro citroque editis de ejus *monachatu*. Obiit vir Sanctus A. D. 1274. die VII. Martii, Indictione II. anno IV. Pontificatus Gregorii X. *hora matutinali*, annum *quadragesimum nonum suæ vitæ perficiens, & quinquagesimum* inchoans.

Hæc

CONSTIT. LXII. A.D. 1347.

Hæc habemus ex eodem probatissimo historico Guillelmo de Tocho in Vita pag. 679. num. 66. ante caput x. Ex his retrocedendo, palam fit, beatum Thomam ortum A.D. 1225. paullo fortassis ante diem VII. Martii. Hæ notæ chronologicæ rem extra omnem dubitationis aleam ponunt. De ea concertatione paucula hæc dixisse sufficiat. Unum dicendum restat, hunc rumusculum de *monachatu* sancti Thomæ, ex ejus mora apud Casinates exortum, atque etiam ex machinis, quas consanguinei, more humano ordinem monasticum mendicanti præferentes, in Thomæ voluntate avertenda frustra adhibuerunt. Hoc sincere & candide ait Paullus Langius monachus Benedictinus, superius adductus, in Chronico A.D. 1263. inter Scriptores tomo uno comprehensos a Johanne Pistorio pag. 811. Sed rumusculus ille deinde percrebuit post ingentem doctrinæ & sanctitatis famam ubique de Thoma vulgatam. Hic idem tamen rumusculus plane difflatur locupletibus testimoniis Johannis XXII, Pont, Max. & Bernardi Guidonis, qui de ætate, qua Thomas Prædicatorum ordinem ingressus est, diserte loquuntur, totque aliis rationibus superadditis, quæ omnem monachatus cogitationem prorsus excludere mihi videntur,

---

L X I I.

C L E M E N S . VI

Sanctorum confessorum canoni adscribit Beatum Ivonem presbyterum Trecorensem in Britannia minori, Judicem ecclesiasticum, & pauperum patronum, qui obiit die XIX. Maji A. D. 1303.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Carissimo in Christo filio, Philippo Regi Franciæ Illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

CONST. LXII. A.D. 1347.

AD spiritualis gaudii & consolationis augmentum patefieri regali excellentiæ tuæ volumus per præsentes, quod nos super negocio canonizationis almi Confessoris Domini Jesu Christi, Ivonis videlicet, quondam presbyteri diœcesis Trecorensis, pro qua tua sublimitas instanter hactenus nos rogavit, in nomine Domini procedentes, die sexta decima præsentis mensis Junii, examinatione diutina, prolixa providentia & matura, sicut exigit tanti negocii arduitas, præcedente, præfatum Sanctum, qui vitam sanctam piis exuberantem operibus, castigando & in servitutem redigendo carnem suam, spiritum non sine multis & magnis austeritatibus gessisse pœnitentialibus, dum in humanis ageret, multorumque coruscatione miraculorum, tam in vita, quam post felicem ipsius transitum claruisse manifestis probationibus fuit repertus, præsente fidelis cleri & populi multitudine copiosa, observataque solemnitate, quæ consuevit in talibus observari, ad laudem & gloriam divini nominis, ac consolationem fidelium, & maxime regni tui, de quo traxisse noscitur originem, ad tui, & ejusdem regni exaltationem honoris de consilio Fratrum nostrorum canonizavimus, & Sanctorum catalogo adscribendum curavimus; & ut Sanctum deinceps a fidelibus venerari. Primo festum ipsius die decima nona mensis Maji, quo ejus anima mole carnis exuta cœlos petens, cum

stola

ftola gloriæ cœleftibus civibus eft conjuncta, ftatuentes, a fidelibus annis fingulis celebrandum. Secundo, ad ipfum quidem Sanctum, ingentem devotionem gerit partium iftarum populus, & jam multi ad ipfius fuffragia devotis orationibus & emiffis votis in humilitate fpiritus recurrentes, exinde fanitatum & alia remedia fuper fuis juftis petitionibus reportarunt, & reportare non definunt incefsanter. Tertio, ex his nempe tibi, fili cariffime, adaugeri debet proculdubio magnæ fpiritualis lætitiæ incrementum, & inde teneris Deo affurgere ad gratiarum devotas & humiles actiones, qui tibi talem de regno tuo, in quo etiam corpus requiefcit ejufdem, patronum & interceflorem in fua curia cœlefti conceffit, ad quem fuper tuis neceffitatibus, ut divinam tibi propitiationem apud Regem æternum, qui omnia palmo concludit, obtineat, recurrere poteris, ficut credimus confidenter. CONSTIT. LXII. A. D. 1348.

Datum Avenione undecimo Kalendas Julii, Pontificatus noftri anno fexto.

LXIII.

IDEM

CLEMENS. VI

DE EADEM RE

DEQUE CORPORIS TRANSLATIONE

Ad Epifcopum Trecorenfem.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Venerabili Fratri, Epifcopo, & dilectis filiis Capitulo Trecorenfi, falutem & Apoftolicam benedictionem.

Laudabilis & longævæ obfervationis, exemplo, imitatione digna decrevit antiquitas, dies, quibus primum Sanctorum corpora de ipforum tumulis transferuntur, feftivitate celebri venerandos, ut juxta facræ paginæ veritatem, *de loco fuo laudibus pullulent offa Sanctorum*; & ficuti in tempore fuo tritici acervus infertur, fic Sancti prius congefta opera recolenda, fepulcrum in abundantia gratiæ comperiantur ingredi, dum poft præfentis vitæ preffuras præmia patriæ cœleftis inveniunt; & non folum eorum fpiritus in caritate veri luminis, & fecreto æternæ gloriæ occultantur, horreum, quafi confervationis ingreffi, fed & eorum corpora, licet adhuc terrea, de humilitatis tumulo ad venerationis cumulum eriguntur. Profecto translationem hujus myftice præfiguraffe videtur ille accrefcens & decorus afpectu, qui de hoc fæculo tranfiturus fratres adjurans, *ad promiffionis locum ex Ægypto fua petiit offa transferri*. Nos igitur novi Sancti, Sanctorum Const. LXIII. A. D. 1348. Eccli. XLIX. 12. Gen. L. 24.

noviter

CONSTIT. LXIII. A. D. 1348.

noviter aggregati collegio, & signorum insignium præclari congerie, beati videlicet Ivonis Confessoris, olim Trecorensis diœcesis presbyteri, translationem volentes solemniter celebrari, auctoritate Apostolica, præsentis tenore concedimus, ut corpus Confessoris ejusdem congrua temporis opportunitate captata, convocatis clero & populo Trecorensi, cum debita solemnitate ac honorificentia digna ad locum transferatur idoneum, diem translationis hujus, quem perpetuis temporibus celebrandum fore decernimus, festivis solemniis celebrantes. Ut autem eo plenius ad solemnitatem hujusmodi fideles Christi conveniant, quo ibidem meritis dicti Sancti uberioris retributionis gratia se conspexerint præmiari, nos de omnipotentis Dei misericordia, & Sanctorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui causa devotionis ad ejusdem sancti corpus die, quo transfertur, accesserint, septem annos & septem quadragenas; iis vero, qui ex tunc annuatim in die translationis ejusdem, unum annum & unam quadragenam, & his etiam, qui in octavis, & per octavas dierum, hujus Ecclesiam ipsam devote duxerint visitandam, centum dies, videlicet singulis translationis & octavarum ipsarum diebus, quibus Ecclesiam ipsam visitaverint, ut præfertur, misericorditer relaxamus.

Datum Avenione quarto idus Maji, anno septimo.

N O T A.

De sancto *Ivone* ex agro Trecorensi in Britannia minori, alias *Armorica*, sive etiam *Aremorica*, fuse agunt socii Bollandiani tomo IV. Maji pag. 537. & VVaddingus tomo III. & IV. Annalium, eum in tertio ordine Minorum Deo dicatum fuisse narrans. Literas, quas dedimus, ex eodem VVaddingo mutuati sumus tomo III. pag. 547. De eo agitur etiam apud Baluzium in Vitis Paparum Avenionensium to. I. pag. 253. 273. 293. 305. 881. 1130. In Archigymnasio Romano die XIX. Maji quotannis oratio de hujus sancti Ivonis laudibus publice habetur.

IDEM

CONSTIT. LXIV. A. D. 1351.

LXIV.

IDEM

CLEMENS. VI

Confessoris, & *Sancti* elogium tribuit B. Roberto, conditori & primo Abbati cœnobii Casæ-Dei in Arvernia, & solemnem faciendam curat ejus corporis elevationem, qui obiit die XVII. Aprilis A. D. 1067.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Venerabili fratri, Episcopo Aniciensi salutem & Apostolicam benedictionem.

Laudabilis, & longævæ observationis exemplo, imitatione digna decrevit antiquitas dies, quibus primum *Sanctorum* corpora de ipsorum tumulis transferuntur, festivitate celebri venerandos, ut juxta sacræ paginæ veritatem, *de loco suo laudibus pullulent ossa Sanctorum*; & sicut in tempore suo tritici acervus infertur, sic *Sancti* post congesta eorum opera recolenda, sepulcrum in abundantia gratiæ comperiantur ingredi, dum post præsentis vitæ pressuras præmia patriæ cœlestis inveniant. Et non solum eorum spiritus in claritate veri luminis, & secreto æternæ gloriæ occultant, horreum quasi conservationis ingressi; sed & eorum corpora adhuc terrea de humilitatis tumulo, ad venerationis cumulum eriguntur. Profecto translationes hujusmodi mystice præfigurasse videtur iste adcrescens & decorus aspectu, qui de hoc sæculo transiturus, Fratres adjurans, *ad promissionis locum ex Ægypto, sua petiit ossa transferri*.

Const. LXIV. A. D. 1351.

Eccli. XLIX. 18.

Gen. L. 24.

Nos igitur beati Roberti, *Confessoris* egregii, olim Abbatis monasterii Casæ-Dei ordinis sancti Benedicti, Claromontensis diœcesis, ob insignia meritorum ejus, præclara præconia translationis solemniter celebrari volentes, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad idem monasterium te personaliter conferens, corpus *Confessoris* ejusdem, congrua temporis opportunitate captata, convocatis dilectis filiis Abbate & conventu dicti monasterii, cum debita solemnitate ac honorificentia digna ad altare majus Ecclesiæ dicti monasterii, ut quem bonorum omnium retributor honorat in cœlis, sepulturæ locus venerabilem testetur in terris, transferre procures, diem translationis ejusmodi, quem perpetuis temporibus celebrandum fore decernimus, festivis solemniis celebrans & faciens celebrari. Ut autem eo plenius ad solemnitatem hujusmodi fideles Christi conveniant, quo

CONSTIT. LXIV. A. D. 1351.

ibidem meritis dicti *Sancti*, uberioris retributionis gratia se conspexerint præmiari, nos de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui causa devotionis ad ejusdem *Sancti* corpus, die, quo transfertur, accesserint; quindecim annos & quindecim quadragenas; his vero qui per octo dies, diem translationis ejusmodi sequentes immediate, ac illis etiam, qui ex tunc annuatim in die translationis hujusmodi, Ecclesiam ipsam devote duxerint visitandam, septem annos & septem quadragenas, singulis videlicet translationis, & octo diebus ipsis, quibus Ecclesiam ipsam visitaverint, ut præfertur, de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus.

Datum apud Villamnovam Avenionensis diœcesis decimo sexto Kalendas Octobris, pontificatus nostri anno decimo.

N O T A.

Alteram hanc Clementis VI. constitutionem debemus Johanni Mabillonio, qui eam vulgavit in Sæculo VI. Benedictino, parte II. pag. 185. Sancti Roberti, primum Canonici Brivatensis, & postea cœnobitæ Benedictini Vitam scripsit auctor æqualis Marbodus Archidiaconus Andegavensis, & mox Rhedonensis Episcopus. His vero literis veterem ecclesiæ disciplinam instaurari videmus, qua viri Dei, Sanctorum canoni per corporum *elevationem* adscribebantur (ut superius innuimus ad Leonis IX. Constitutionem IV. de S. Gerardo) ubi tamen de *virtutibus* & *miraculis* constaret, ut certe constabat in sancto Roberto. Idem Clemens VI. adhuc Petrus Rogerii, necdum Archiepiscopus Rotomagensis, cœnobio Casæ Dei, Apostolicæ Sedi immediate subjecto, Abbas præfuerat, ex eodem Mabillonio pag. 187. ubi res hujus Dei Servi accurato examine & subacto judicio a se descriptas protulit. Eum de sancto Roberto consule etiam in Annalibus tomo IV. & V. Similiter adeundi sunt Socii Bollandiani de illo agentes to. III. Aprilis pag. 316. Ceterum a Casæ Dei Abbatia in diœcesi Claromontana olim perplura cœnobia pendebant, etiam in Italia. Ex his unum fuit sancti Marini Ticinense, & alterum, quod præterit Mabillonius, sancti Andreæ de Brosono in diœcesi Genuensi, ex Ughello tomo IV. pag. 1207. 1208. edit. I. His accedit Monspilosus in Basilicata, provincia *Terra citra Pharum*, quam *regnum Neapolitanum* vulgo dicunt. Quum istic aliquando sedes episcopalis stetisset, extincto postea episcopatu, tota jurisdictio ad Abbatem Casæ Dei devoluta fuit, sed restituta postmodum episcopalis dignitas, atque Hadriensi primo Ecclesiæ unita, quam tandem Xystus IV. Pont. Max. proprio episcopo donavit, Sedi Apostolicæ immediate subjecto intra fines Archiepiscopatus Acheruntini: qui tamen episcopatus nullam habet diœcesim extra civitatem.

GRE-

CONSTIT. LXV. A. D. 1371.

L X V.

GREGORIUS . XI

BEATUM ELZEARIUM de Sabrano, in Gallia Narbonensi Ausoysii Dynastam & Ariani in Apulia Comitem, Sanctorum confessorum canoni per B. Urbanum V. Pont. Max. olim adscriptum fuisse promulgat. Obiit Elzearius die XXVII. Septembris A. D. 1323.

GREGORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

RAtioni congruit & convenit honestati, ut ea, quæ de Romani Pontificis providentia processerunt, licet ejus superveniente obitu literæ Apostolicæ confectæ non fuerint super illis, suam consequantur efficaciam. CONST. LXV. A. D. 1371.

Olim siquidem felicis recordationis Urbanus Papa V. prædecessor noster provide attendens, quod Domino nostro Jesu Christo, Regi regum, & dominantium Domino, sub cujus ditione cuncta consistunt, magna gratiarum actionum & laudum a cunctis fidelibus Christi debentur impendia, dum ipse Rex cœlestis omnium scientiæ gloria, cujus ineffabilis altitudo scientiæ & providentiæ nullis inclusa limitibus, nullis terminis comprehensa, recti censura judicis cœlestia pariter & terrena disponit, Sanctos suos per exemplaris vitæ doctrinam & sanctitatis merita venerandos, de præsentis vitæ carcere ad æternam beatitudinem evocatos crebris coruscare facit miraculis, ac mira & stupenda, eorum intercedentibus meritis, certis & perspicacibus ostendens indiciis, illos post labores nimios, duraque præsentis vitæ certamina quietis æternæ satiari dulcedine, palmamque cœlestis gloriæ obtinere; & quod ipse opifex Deus in misericordia copiosus, liberalis in gratiis, & in retributione munificus, de supremis cœlorum ad ima mundi oculos majestatis suæ inflectens, & benigna consideratione discutiens, beati Elzearii de Sabrano Comitis Ariani & Baronis Ausoysii, Domini de provincia Provinciæ oriundi, generis nobilitate præclari, suique gloriosissimi Confessoris merita grandia & opera mirifica, quibus ipse constitutus in sæculo lucerna luminosa resplenduit, atque veluti justus judex & retributor laudabilis dignanter intendens condignis recompensare muneribus, eum, tamquam emeritum & retributione dignissimum, post vitæ præsentis ergastulum & laboriosa mundi certamina, quæ fervens in divinis obsequiis potenter & patenter exercuit, æthereis sedibus collocarat, ut sederet cum principibus & solium gloriæ

CONSTIT. LXV. A. D. 1371.

teneret felicitatis æternæ dulcore potitus. Et ne ejusdem beati Elzearii laudabilium actuum claritas, quibus in terris constitutus effulserat, sub nubilo latens, tenebris obscuraretur, idem prædecessor aliqua ex eis, suis literis, si super his confectæ fuissent, exprimi voluit, quas nos præsentibus inseri fecimus, ut deducantur in publicam notionem.

Hic equidem a juvenilis ætatis primordiis Dei filium tenera mente dilexit, nec diligere desiit, studia continuando salubria, dum vitæ sibi commoditas affuit temporalis. Sed quoniam majori profecit ætate, ac in tempora prolixiora prosiliit, tanto in ejus exarsit amorem fervore spiritus ampliori, & sic pudicitiæ adhæsit operibus, sic carnis studuit evitare contagia, quod, licet uxorem habuerit ætate juvenem, & nobilitate præclaram, tamen prout ex dictæ uxoris & confessoris ejusdem Sancti testimoniis constat, Sanctus ipse semper candore virgineo rutilavit. Præterea Sanctus ipse, qui dum vixit in præsenti sæculo, clarissimus genere, sublimis potentia, facultatibus opulentus, moribus elegans exstitit, inhonestis & turpibus animo penitus relegatis, circa servos Christi ac pauperes aliasque miserabiles personas valde compatiens, se ipsum in eleemosynarum elargitione, eis plerumque ministrando, munificum exhibebat, tantaque abundavit caritate, quod nil tam carum sibi erat; quin libenter erogasset, ut saltem unam animam trahere potuisset ad Christum; nec de ullo suo æmulo vindictam facere volebat. Et ne fervorem spiritus sociæ carnis ardor extingueret, sed mortificatione & repressione ipsum potius accendi contingeret, carnem ipsam, quam assidui asperitate cilicii, prout asseritur, edomans, effrænem ipsius libidinum artem sustinentiæ fræno coercuit, ut non propriæ voluntatis ducta remigio, sed salubri moderamine spiritus tute licita peragerer, & prorsus ab illicitis abstineret deliciis. Etenim corpus macerabat jejuniis, priscorum observantiæ, a sanctis Patribus ordinatæ, novorum austeritatem adjiciens, sibi motu propriæ voluntatis inducto. Nam per totum Adventum & singularum septimanarum sextam feriam, & cunctis aliis temporibus jejunium observabat, in multis interea orationibus se occupabat, ne aliqua sibi hora temporum inutiliter pertransiret, paramentis aliquibus sub genua non utendo, imo quamplurimum vestes proprias admovebat. Et dum consilio Ducis Calabriæ præfuit, petitiones pauperum interim promovebat, quod omnes ipsum advocatum pauperum nominabant.

Hic insuper vitæ fuit puritate perlucidus, humilitate præclarus & sincerus veritatis amicus, ac cuncta eloquia ipsius virtutis augmentum operaque salubria hortabantur, demulcebant auditorum præcordia, & in eorum ædificationem salutarem multipliciter redundabant. Quandam enim mulierem, quæ per totum annum & amplius, toto corpore impotens fuerat, & aliquibus sui corporis partibus adeo desiccata, ut lignum aridum videretur, & quæ, postquam Sanctus ipse migravit ad Christum, ad ejus tumulum se deferri fecerat, ad dicti Sancti invocationem subito fuisse curatam, dubium non existit. In signum hujusmodi, mulier ipsa domum suam propriis pedibus est reversa. Quidam etiam casualiter in uno fossato undique subtus terram prostratus, ita quod aliquis ad ipsum nullo modo pervenire poterat; postquam ibidem tamdiu steterat, quod naturaliter vivere non debebat, ad prædicti Sancti invocationem a morte exstitit præservatus. Istum enim Sanctum dilexit Dominus, & in fine consortio hereditatis elegit, perennis quoque diademate gloriæ decoravit, & ut ejus nomen extolleretur laudibus

bus populorum, tam in ejus vita, quam poſtquam, ut præmittitur, feliciter migravit ad Chriſtum ſupernis deliciis fruiturus, ipſe opifex Dominus, in Sanctis ſuis vere mirabilis, eundem Sanctum aliorum quamplurium & variorum ſplendore miraculorum illuſtravit, manifeſte demonſtrans, quantum ſibi honoris & reverentiæ deberetur. Unde præfatus prædeceſſor de hujuſinodi actibus dicti Sancti, & miraculis habita fide, dignis probationibus, quantum noſſe ſinebat ipſa fragilitas, certitudine veritatis multorum Prælatorum & aliarum circumſpectarum perſonarum ſolemnibus precibus pluries excitatus, ipſum beatum Elzearium de Fratrum ſuorum conſilio, de quorum numero tunc eramus, auctoritate omnipotentis Dei, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli ejus, atque ſua, choro beatorum, a Domino ineffabili ſanctificatione ſuſceptum, cum ſolemnitate celebri Sanctorum catalogo, videlicet decimo ſeptimo Kalendas Maji, Pontificatus ſui anno ſeptimo, duxit adſcribendum. Et ut devotis laudibus extolleretur in terris quem ipſe dominantium Dominus honorari voluerat in excelſis, feſtivitatem Confeſſoris ejuſdem die viceſima ſeptima menſis Septembris, quo migravit ad Dominum, cum debita reverentia voluit celebrari; quoque etiam, ut ad Eccleſiam Fratrum Minorum, ubi corpus ejuſdem Sancti venerabiliter requieſcit, ferventius & copioſius fidelium confluat multitudo, & celebris ejuſdem ſolemnitas peragatur, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui reverenter illuc in eodem feſto annuatim acceſſerint, ejus ſuffragia petituri, de omnipotentis Dei miſericordia, & ipſorum beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſus, unum annum & quadraginta dies de injunctis eis penitentiis miſericorditer relaxavit. CONSTIT. LXV. A. D. 1371.

O quam laudabilis, o quam mirabilis providentiæ divinæ ſublimitas & immenſitas retributionis æternæ, quam ſibi ſervientibus inæſtimabile præmium compenſatur! O felix donum ex ſummo bono proveniens, & in Chriſto conſiſtens, quo cum beatiſſimis ſpiritibus in præſentia conditoris quis exiſtere meruit, & incircumſcripti ſplendore luminis illuſtrari! O feliciſſimæ fertilitatis ager fructus uberes proferens, ubi flores prodeunt nec areſcunt, ubi ſemina ſparſa non pereunt, & ubi multiplicatis manipulis grana gloriæ colliguntur! Hic nempe Confeſſor almus hunc agrum obſequioſus excoluit, in eo virtutum ſpargere ſemina ſtuduit, ac vitæ talia grana colligere meruit poſt labores. Exultet igitur mater Eccleſia, & ſolemnia feſtiva celebret gaudiorum, quæ tantum & talem filium genuit, produxit natum, educavit alumnum, jam inter regum glorioſa cœleſtium agmina rutilantem, lætetur, inquam, & jubilet, ac in laudes Altiſſimi voces promat, quæ ſobolis tam præcelſæ, tam celebris illuſtrata fulgoribus inſignis decorata conſpicitur, quæ ſonoris attollendo præconiis, ſummæque venerationis exhibitione colenda eminentius aperit, evidentius explicat, illos ad perennis beatitudinis gaudia & hereditatis æternæ participium admittendos, qui prædictam Eccleſiam matrem ſponſam fidelium Chriſti claris fidei & operis teſtimoniis profitentur, nulloſque in ſupernæ patriæ gloriam, niſi per ejus, utpote cœlorum clavigeri, miniſterium virtuoſum oſtiis reſeratis Altiſſimus introire permittit.

Gaudeant inſuper turbæ cœleſtium de tam ſublimis, tam lucidi habitatoris adventu, quodque ipſis expertus probatuſque fidei Chriſtianæ colonus, cultorque præcipuus aggregatur. Perſonet lætitiæ jubilum civium generoſa nobilitas ſupernorum, quod tanti taliſque comitis ſuſce-

CONSTIT. LXV. A. D. 1371.

suscepisse dignoscitur adjectivum, ac venerabilis Sanctorum cœtus gaudio & exultatione refloreat de nova dignissimi habitatione consortis. Exurge igitur numerosa fidelium turba, exurgite fidei zelatores, & una cum eadem etiam laudis uberis hymnum concinite, perfundantur imbre copioso lætitiæ nostra præcordia, & fœcundæ rore dulcedinis arcana pectoris repleantur de tanta & tam potentis & egregii Principis exaltatione, terrenæ spei tutissime plenitudine percepta, quod nobis de condigena terrenorum, compatriota cœlestium jam effectus apud æterni Patris filium efficax patronus accrevit, qui pro salutis nostræ profectibus jam in ejus præsentia positus, solertis exercet officium oratoris. Verum, ne pro eo, quod ejusdem prædecessoris superveniente obitu literæ Apostolicæ super præmissis confectæ non fuerint, de eis valeat aliquatenus hæsitari, volumus, & auctoritate Apostolica decernimus, quod præsentes literæ ad probandum plene præmissa omnia per supradictum prædecessorem, ut præmittitur, acta, ubique sufficiant, nec ad id alterius probationis adminiculum requiratur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Avenione nonis Januarii, pontificatus nostri anno primo.

N O T A.

Arianum, Apuliæ in confinio Campaniæ positam civitatem, ut auctor est Camillus Peregrinus junior in Apparatu ad Antiquitates Capuanas pag. 48. nobilitavit ejus Comes *Elzearius*, quem Baronius in notis ad Martyrologium, & Raynaldus A. D. 1323. §. 68. *Eleazarum* vocant; Baluzius vero *Elziarium* tomo II. pag. 1039. Obiit Lutetiæ orator pro Roberto Rege Siciliæ, *& terra citra Pharum*, sepultus cultu Minorum. De eo consulatur Surius die 27. Septembris, & VVaddingus to. III. pag. 307. cui has literas debemus. Quum vero *Elzearius* inter Sanctos relatus fuisset a beato Urbano V. nec bulla canonizationis ab eodem vulgata, hanc de more postea vulgavit ejus successor Gregorius XI. stilo, quem vocant per viam *Rationi congruit*, nimirum a recepta formula, qua hujusmodi Bullæ inchoari consueverunt, tanquam datæ ipsa die, qua Pontifex consecratur seu coronatur; licet seorsum deinde a Cardinalibus post eundem Pontificem non raro subscriptæ. Octo hujusmodi Constitutiones de variis Dei servis per antecessores suos Romanos Pontifices canoni Sanctorum adscriptis, nondum vulgatas quum accepisset sanctissimus Pontifex BENEDICTUS XIII. eas a me conscribi & vulgari voluit, quas iterum in hunc nostrum Codicem postea referemus.

BONI-

LXVI.
BONIFACIUS . IX

Sanctarum viduarum canoni adſcribit Beatam Brigittam, Nericiæ in Svecia Principem, ordinis ſancti Salvatoris inſtitutricem, quæ obiit die XXIII. Julii A. D. 1373.

BONIFACIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

Venerabilibus fratribus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac dilectis filiis electis, & Patriarcharum, Metropolitanarum & cathedralium Eccleſiarum capitulis, ubilibet conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Ab origine mundi, poſt primi parentis lapſum, cum eam ob rem, universum genus humanum æternæ morti teneretur obnoxium, cunctipotens, & miſericors Deus ex alto proſpiciens, ne in totum perderet hominem, quem creaverat, ſed ſuæ divinitatis faceret eſſe participem, cum primos ex ſpiramine ſancti Spiritus afflatos Prophetas, adventus filii ſui in carnem ſub typicis ænigmatibus ac divinis revelationibus nuncios præmiſiſſet, eumdem unicum filium ſuum ante ſæcula genitum, adveniente plenitudine temporis, in uterum prælectæ Virginis matris, quæ imperſcrutabili ſancti Spiritus obumbratione, Angelo nunciante, concepit, de proprio ſinu tranſmiſit, qui ex eadem virgine natus, & progreſſus in tempus, cœpit facere & docere, omnibuſque monſtrare, qualiter ſacri baptiſmatis fonte renatis, de æterna morte via pateret ad vitam, & coadunatis diſcipulis, ne quis fidelis, hujus tranſitoriæ & fugitivæ vitæ moleſtias vel tædia, ſeu temporalis acerbæ necis pœnas pro æternæ adeptione vitæ perhorreret, ſeſe hoſtiam immaculatam, conſummato debito curſu in ara crucis, morte cruenta obtulit Deo Patri, & militantem Eccleſiam fuſo pretioſo ſanguine fundavit, conſecravit, & æternaliter ſtabilivit.

Tandem vero de mundo tranſiturus ad Patrem, principi Apoſtolorum cœleſti clavigero in ſuam ſuorumque ſucceſſorum ſummorum Pontificum perſonam collatis clavibus, ligandi videlicet, & ſolvendi tradita poteſtate, ſupremum pontificium, ſpecialem curam ſui gregis, & regimen univerſale commiſit, pollicitus nihilominus Eccleſiam in æternum ſe non deſerturum eamdem.

Ad cujus uberem utilitatem diviſiones gratiarum per Spiritum ſanctum tribuit ſuis fidelibus. Nam ſecundum Apoſtolum, unicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem. Alii quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ; alii ſermo ſcientiæ, ſecundum eumdem ſpiritum;

CONSTIT. LXVI. A. D. 1391. alii fides in eodem spiritu; alii gratia sanitatum in uno spiritu; alii operatio virtutum; alii prophetia; alii discretio spirituum; alii genera linguarum; alii interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem spiritus dividens singulis, prout vult. Quamque militantem Ecclesiam Pater luminum sustulit in eodem Spiritu sancto, structura admirabili pretiosorum lapidum mira varietate decoram, ipso summo angulari lapide Christo Jesu, quos elegit ante mundi constitutionem, conformes fieri imaginis ejusdem filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus, in quo eos gratificavit, donans charismata meliora, qui suo exemplo viam ostenderent excellentiorem.

Hinc igitur Apostoli sancti prodiere per universum orbem, genus humanum, quod sub peccati jugo tenebatur, ad vitam & salutem excitantes, & eum firmissima constantia prædicantes verbum Dei, ut Psal. xviii. 4. *in omnem terram exiret sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*.

Splendidi quoque martyres fidei loricam induti, & inconcussæ stabilitatis baltheo succincti, laverunt stolas suas in sanguine innocentis Agni, & imitati candidato exercitu Christum Jesum, ad structuram supernæ Hierusalem, hoc est triumphantis Ecclesiæ, cum gloriosa victoria palmas gestantes in manibus, sese vivos lapides addiderunt, exemplum venerabile, & æternam, dignamque memoriam militanti Ecclesiæ relinquentes.

Progressi sunt & Doctores lucidissimi, qui pseudo-Christianis, falsisque prophetis, superstitiosas & varias opiniones in vera fide catholica adducere, ipsamque fidem subvertere satagentibus, se opponentes, talium confutatis erroribus, miro eloquio & solidis ac rectis sententiis, operante sancto Spiritu, ipsam fidem, & militantem Ecclesiam illustrarunt, quibus eadem Ecclesia communita progreditur, *quasi aurora* Cant. vi. 9. *consurgens, pulchra, ut luna, electa, ut sol, terribilis, ut castrorum acies ordinata*.

Sequuntur & lympidi Confessores, ornati gemmis, & virtutibus coruscantes, Domino rationem de talentis creditis reposcenti, cum se assidua & vigili sanctarum operationum exercuerunt mercatura, utpote fideles & boni servi, multiplicatum de suis laboribus fructum afferunt, ac donum reponunt in arcam.

Etiam Anachoretæ, & solitudinis accerrimi sectatores, blandientis & captiosi, sed venenosi mundi vana spectacula fugientes, ut securi ad patriam pervenirent, latibula petierunt, & antris abditi, parvo & rudi victu scaturientis aquæ, & levi potu carnem propriam macerantes, & Satanæ stimulos reprimentes, paliastro vel tegmine hirto amicti, ut plurimum nudis pedibus & squalida humo, aut stramineo cubili fessa membra somno resoventes, in sacra contemplatione & supernæ majestatis laude vacantes, demum ex hac lacrymarum valle, & miseriarum acervo ad Dei præsentiam evocati, immarcescibilibus deliciis potiuntur.

Adsunt & virgines, nitidæ, mundo corpore & corde sincero, mentem sanctam, spontaneam, & oleum secum suis deferentes in vasis: venienti sponso obviam exeunt, eique desponsantur, qui est præ filiis hominum speciosus.

Devotæ autem & convenientes viduæ, & aliæ sexus utriusque personæ, piis sanctisque operibus semper intentæ, & se ante Dei tribunal cum plenis manipulis repræsentant, & cum sanctis Angelis canunt glo-

gloriam in altissimis Deo, & in terra pacem bonæ voluntatis hominibus deprecantur. Hæc omnia profecto ille idem spiritus, de quo supra, operatur ministerio multiformiter admirando: & secundum sanctam promissionem, Christus Jesus hanc vineam suam, militantem Ecclesiam, post ejus admirabilem ascensionem talibus cultoribus & cultricibus, usque in diem hodiernum visitavit, fovit, defensavit, firmavit, juvit & auxit, & per sui gratiam sic in futurum faciet temporibus successivis. CONSTIT. LXVI. A. D. 1391.

Novissimis vero diebus, ut etiam ab Aquilone aliquid boni esset, ille cœlestis agricola eamdem vineam suo de more visitans, mulierem fortem procul & de ultimis finibus suum secum precium deferentem, ad hujusmodi vineæ culturam adduxit inesse, beatam scilicet viduam Brigittam, quam vulgares *Brigidam* appellant, tam sacro superius descripto cœtui merito sociandam, seu verius sociatam. Cujus propter quod præsentem operam nobis damus, ut originem, vitam, mores &. merita, necnon miracula, quæ in præmium sanctitatis ejus benedictus Deus mundo monstrare dignatus est, ne de tam celebri muliere ætas præsens maneat ignara, & surda posteritas famam ingratam accusare vel prætendere possit, summotenus percurramus, de multis pauca admodum, eaque non prætereunda silentio excerpsimus, vestræque caritatis harum serie volumus intimari.

Hæc nempe mulier gloriosa ex patre Birghero, & matre Sighride conjugibus, de nobilissima regia stirpe catholicorum Sveciæ Regum procedentibus, nec minus fide orthodoxa & animi constantia ac virtutibus, quam nobilitate claris, duxit originem.

Quæ quidem mater dum eam gestaret in utero, maris in quodam sinu passa naufragium, cum multos promiscui sexus in eodem naufragio procella absorbuisset, sana pervenit in litus, & nocte sequenti in visione adstitit sibi persona, admirando vestitu refulgens, & ne viduæ tam venerandæ sine prænuncio foret adventus, dixit: *salvata es propter bonum, quod habes in utero. Ideo nutri illud cum caritate Dei, quia tibi a Deo datum est*.

Cumque puella Brigitta de genitricis alvo in mundum recenter fuisset educta, sacerdos parochialis in Ecclesia propinqua approbatæ vitæ & ætatis perfectæ, dum nocte orationi vacaret, nubem lucidam, & in medio nubis virginem sedentem vidit, librum habentem in manu, sibique dicentem: *nata est Birghero quædam filia, cujus vox per mundum admirabilis audietur*.

Nata ergo puella, usque ad finem triennii quasi elinguis visa est; sed mox contra naturalem decursum non balbutiendo, infantium more, fari, gestientemque audierunt, sed completa & formata verba de auditis per eam loquebatur & visis.

Procedens vero in annis, pueritiam mira devotione transegit, orationibus videlicet ac jejuniis, & alias numquam a bonis operibus ociosa.

Tandem, licet in statu virginali servire Domino totis desideriis affectaret, tamen per parentes compulsa, quondam Vulfoni de Ulphasum Principi Nericiæ nobilissimo, quippe & christianissimo juveni in matrimonium desponsatur.

Et cum insimul convenire deberent, quamquam idonei essent ad viriles amplexus, maritus videlicet in decimo-octavo, & sponsa in tertio decimo anno constituti, communi tamen voluntate Thobiam juniorem, & Saram Raguelis imitati, annum continuum & ultra Thob. III. 7.

CONSTIT. LXVI. A. D. 1391.

a concubitu abstinuerunt, Deum humiliter deprecantes, ut si conjungi foret expediens, in commixtione non peccarent, & Deus illis talem prolem concederet, quæ ad servitium ejus esset. Simul postea convenerunt in timore ac tremore, non libidini, sed posteritati vacantes, cum interim devota mulier nec jejunia, nec orationes, nec alia pia & solita opera præteriret.

Et cum semper beatæ Virgini præcipue devota foret, ac tempore procedente pene partu periclitaretur, & obstetrices ac mulieres adstantes de vita illius desperarent, visa est quædam imperiosa, sed incognita mulier, albis sericeis induta vestibus intrare cubile & assistere strato, & singula jacentis membra pertractare. Mox cum talis mulier disparuisset, eadem puerpera sine dolore partu integro exonerata remansit.

Et cum etiam dicti jugales adhuc essent juvenes & recentes, maritus felicis uxoris sanctis monitionibus persuasus (*cor enim viri spoliis non* Prov. XXXI. 11. *indigens, confisum in ea, reddidit ei bonum & non malum omnibus diebus vitæ suæ*) ipsaque mulier, indixerunt sibi sponte invicem, & perpetuam continentiam servaverunt.

Et nihilominus conjuges devoti, in Dei timore & amore proximi semper ferventiores, limina beati Jacobi Apostoli in Compostella communi voto peregre visitarunt.

Et ad propria reversi, cum deliberassent, ut liberius devotioni vacare possent, pro sexus diversitate diversa ingredi monasteria, dictus princeps in tali deliberatione quievit in Domino.

Sancta autem vidua, quæ ab ineuntis ætatis principio Deo dicata fuerat, ut jejuniis & orationibus indefesse vacaret, soluto conjugio Prov. XXXI. 14. & sui juris effecta, *quasi navis institoris de longe portans panem suum*, a Spiritu sancto præmonita, *egrediens de terra & cognatione sua*, ad almam Urbem, ac Hierosolymam deinde perrexit, & loca singula, in quibus Dominus noster Jesus Christus annunciatus, natus, educatus, baptizatus, conversatus, mirabilia operatus, illusus, crucifixus & sepultus fuit, & ad coelos ascendit, insigni donatione & veneranda conspexit. Ad Urbem quoque regressa, cum antea sive in sua patria & partibus circumstantibus, sive in Germania, sive in Galliis, sive in Hispania, sive in Italia, sive in aliis cismarinis, aut ultramarinis partibus Sanctorum ac Sanctarum corpora, seu memorandæ reliquiæ quiescerent, pauca admodum absque personali visitatione dictæ Sanctæ viduæ fuissent prætermissa, in eadem Urbe reliquum vitæ peregit.

Sed post mariti mortem ob reverentiam sanctæ Trinitatis ad nudam carnem quamdam chordam de cannabe cum plerisque nodis detulit stricte ligatam, & similiter circa singulas tibias subtus genua singulas chordas similiter connodatas, etiam tempore infirmitatis, nec pannis lineis præterquam in capite, usa veste hispida circa carnem, superius vero non secundum personæ conditionem, sed multum humiles & abjectas.

Et non solum eas, quas sancta mater jubet Ecclesia, vigilias seu jejunia observabat, sed alia multa superaddebat, ut etiam ultra Ecclesiæ mandatum quater in hebdomada jejunaret, & similiter quater in hebdomada, conjuge nondum vita functo, & post obitum ejus, continue usque ad paucos annos ante suum felicem transitum solitis pannis induta, super tapeto absque paleis, culcitra vel similibus,

ad

ad terram vel pavimentum posito, corpus ab orationibus, abstinentiis ac divino labore fessum, tenui & brevi somno recreabat. Singulis sextis feriis ob memoriam sacratissimæ passionis Domini nostri Jesu Christi pane dumtaxat & aqua contenta, jejunium non omisit, cum etiam multos alios dies ob diversorum Sanctorum reverentiam simili abstinentia pertransiret, & sive jejunio abstineret, sive aliter discumberet, cum sobriissima foret, de mensa surgebat non saturata, sed refecta, eisdem quoque sextis feriis de candelis cereis accensis stillas candentes & ignitas eliquabat super nudam carnem, itaut adustæ cicatrices continue remanerent, & gentianam, amarissimam herbam, seu radicem ejus retinebat in ore. CONSTIT. LXVI. A. D. 1391.

Romæ insuper degens non rigorem frigoris, non æstivos calores, non impedimenta vitæ lautæ, non pluviarum, aut nivium seu grandinum asperitates curans, stationes per Ecclesiam ordinatas, variasque alias sanctas Ecclesias, licet eques pro suis facultatibus ire potuisset, tamen supra extenuati corporis vires enitens, peditans visitavit quacumque die. Tot namque longis genuflexionibus usa fuit, ut genua ejus rigerent, in duritiam, ut ita dixerimus, camelorum.

Admirabilis & spectatæ humilitatis extitit, itaut nonnumquam cum pauperibus peregrinis incognita simul sedens apud monasterium sancti Laurentii in Panisperna de Urbe, ordinis sanctæ Claræ, eleemosynam reciperet, & oscularetur cum gratiarum actione, & frequenter propriis manibus, & ob Dei reverentiam reparabat pauperum vestimenta.

Tenacem obedientiam Prælatis & suis superioribus & confessoribus observabat, adeo quod absque saltem confessoris licentia pene oculos attollere non præsumeret.

Et superstite marito, cum, singulis sextis feriis confessa fuisset, post ejus transitum veram confessionem semel saltem in die cum magna contritione studuit iterare, tam amare levia, sicut alii gravissima, deplorans, & nihil de suis verbis, moribus, cogitationibus & actibus præteriens indiscussum.

Verbi Dei prædicationibus, quas viri probati facerent, assidua aderat & intenta.

Singulis quoque diebus Dominicis & solemnibus cum devotione & lacrymis sumpsit venerabile Christi corporis sacramentum.

Considerans *semitas domus suæ, ne panes comederet otiosa, manus suas aperuit inopibus, & palmas suas extendit ad pauperes*, inexhaustæ enim caritatis officia erga egentes, infirmas & abjectas personas ob Dei reverentiam exercuit indefesse. *Prov. XXXI. 20.*

Nam, dum etiam adhuc maritus superesset, die qualibet duodecim pauperes consuevit propria in domo cibare, illis inserviens & necessaria ministrans; & quintis feriis, memor cœnæ Domini, propriis manibus lavit pedes eorum.

De propria quoque facultate reparavit in partibus suæ originis multa hospitalia desolata, & pauperes & infirmos ibi degentes pia, benigna, misericors & sedula ministratrix cum summa pietate visitavit. Ulcera eorum absque horrore, vel fastidio attrectavit, lavit, circumligauit & fovit.

In loco etiam de Vvatzsteno Lincopensis diœcesis de suis facultatibus unum venerabile monasterium canonice construi fecit pro sexaginta monialibus sub clausura viventibus, & vigintiquinque fratribus,

 ordi-

CONSTIT. LXVI. A. D. 1391. ordinis sancti Augustini, sancti Salvatoris nuncupati, qui tam moniales, quam fratres certas constitutiones, per ipsam beatam Viduam editas, & postea per Sedem Apostolicam approbatas observare tenentur, sufficienti dote nihilominus assignata.

Admirabilis patientia viguit in ea, ut infirmitates proprii corporis, injurias illatas, mariti, & Caroli filii mortem, & adversa reliqua tolleraret patientissime, sine murmure, sine querela, semper in cunctis cum humilitate submissa Dominum benedicens.

In fide semper constantior; præstantior spe, vera caritate ardentior; justitiam summe dilexit & æquitatem.

Stimulos carnis, & varias illecebras, pravitatem & arrogantiam, pompam & inanem gloriam magnanima curiositate contempsit.

De singulari continentia & modestia sua satis est superius recitatum. Sed quis inveniretur illa prudentior, cum optima discretione ab ætate primæva usque ad horam ultimam, quantum sinebat humana fragilitas, cuncta secernens, non *dixit bonum malum*, *neque malum bonum*; Isa. v. 39. *nec posuit lucem tenebras*, *nec tenebras ipsam lucem*.

Quibus quidem Sanctis, & absque intermissione continuatis operibus hæc generosa Vidua per gratiam sancti Spiritus promeruit multis eorum cogitationes & affectiones intimas, & gesta secretissima propalare, & visiones ac revelationes varias videre, & audire, ac spiritu prophetico multa prædicare, quorum nonnulla effectu completa fuere, prout hæc & alia in ejus Revelationum volumine plenissime describuntur.

Quinta vero præcedente die pronunciavit suæ vitæ finem adesse.

Et cum fuisset annum septuagesimum supergressa, adveniente jam termino prænunciato, vocata familia, quæ fieri oporteret, edixit, ac demum Birghero filio, & Catharina filia, tunc superstitibus, accersitis, & de multis commonitis, ut super omnia, in Dei timore & amore proximi, ac sanctis perseverarent operibus, ultima confessione debite facta, sumpto viatico, & extrema unctione delibuta, cum usque ad flatus emissionem sua memoria integra perdurasset, dum missa coram se celebraretur, post adoratum corpus Christi, oculis elevatis ad cœlum, dicens: *in manus tuas, Domine, commendo spiritum meum*, vocanti benemeritam animam reddidit Creatori.

Extemplo de transitu hujus Viduæ venerandæ magna fit fama per Urbem, concurrit frequens populus cum summa devotione ac reverentia sacrum videre corpus, Deum unanimiter glorificans & collaudans, ad monasterium sancti Laurentii supradictum, ubi se indicarat, funus in longe majori populi frequentia defertur, & præ nimia multitudine usque ad biduum apte non potuit sepeliri, quod tamen cum eximia Dei laude fuit humatum.

Dum autem celebris hæc Vidua Neapoli degeret, Nolanensis quædam mulier, Pictiolella nomine, quæ violentum mali spiritus, in humanam se imaginem transformantis, patiebatur accubitum, cui nec fortium vigiliæ aut excubiæ obsistere poterant, cum ad Viduam sanctam accessisset, eam super tali materia & expedienti remedio consultura, mox vidua præcellens, & secreta mulieris prævidens, quæsivit a muliere, an secum aliquid arte magica compilatum, vel quid tale deferret. Cum illa respondisset, quod non, egregia Vidua subjecit: *quære in capillis seu tricis tuis, & contrarium invenies*. Confusa & recordata mulier, quod certum breve cum characteribus & incantamine propriis habebat in crinibus, suum fuit errorem sponte fassa. Insignis autem

vidua

vidua injunxit & suasit illi, ut devote confiteretur, & veraciter poenitere & communicaret, ac etiam jejunaret, quod & fecit; ac meritis & precibus memoratæ Viduæ, numquam similem accubitum passa fuit. CONSTIT. LXVI. A. D. 1391.

Cum autem spectabilis hæc Vidua de longa peregrinatione ad Ortonam Teatinæ diœcesis terram, in qua beatissimi Thomæ Apostoli reliquiarum pars magna servatur, vice secunda supervenisset; fuerat enim antea longe per visionem sibi revelatum, quod secunda vice sui adventus ad ipsam terram, devotum ejus desiderium impleretur: & dum stans, reliquias devotione solita visitaret, idem Apostolus devotæ Viduæ apparens, dixit: *dabitur tibi diu desideratum*; & mox, nemine tangente vel alias impellente, de capsa reliquiarum quoddam frustulum unius ossis dicti Apostoli suapte Viduæ expectantis prosiliit ad manus, quod illa cum gaudio ac devotione recipiens, summa veneratione servavit.

Fuit quoque hæc admirabilis Vidua, dum orationi & contemplationi vacaret, per plerasque devotas personas elevata a terra, per hominis mensuram, vel circiter, cum splendida & radiante facie sæpe visa.

Funus nondum erat traditum sepulturæ, cum mulier quædam Agnes de Contessa nomine, in Urbe commorans, quæ a nativitate guttur habebat grossissimum ac deforme, cum aliis venerandum currit ad funus, & cum propria zona manus sanctæ jacentis Brigittæ cum devotione tangi fecisset, zonam eamdem simili devotione circumduxit ad collum, & paulo post, guttur detumuit, & ad conformitatem debitam divino miraculo fuit redactum.

Verum Francisca de Sabellis dicti monasterii sancti Laurentii monialis, quæ biennio debilitatem & adversam stomachi valetudinem passa, fere semper lecto decubuerat infirma, & honorandæ Viduæ familiaris fuerat, dum adhuc insepultum corpus intra claustrum servaretur, cum gravi labore de lecto surrexit, tam longam infirmitatem patiens, & adjuta pervenit ad feretrum, & secum illud jacuit tota nocte, nec Deum desiit cum devotione & instantia deprecari, quod meritis & precibus Viduæ, cujus corpus aderat, tam molesta, tamque diutina valetudine in tantum saltem alleviaretur, quod cum reliquis monialibus divinis officiis interesse, & per claustrum cum expediret adjuta per neminem ne posset, & mane facto reperit se circa proprii sanitatem corporis efficacius remedium, quam deprecata fuerat, impetrasse.

Verum, ut Deus benedictus hujus dilectæ Viduæ mundo magna merita demonstraret, contigit, ut Elsebisnara mulier dictæ Lincopensis diœcesis eum infantulum mortuum peperisset, summo dolore plena, ac tandem ad se reversa, Deum prece humili exoraret, quod meritis Viduæ tantopere celebrandæ infantulus vitam susciperet, & emisso voto, quod cum infantulo, si ad vitam veniret, & imagine cerea sepulcrum Viduæ sanctæ visitaret, extemplo infantulus calescere & palpitare cœpit, vitamque plene suscepit. Mulier vero plena devotione atque gaudio votum implevit emissum.

Sed quid pluribus immoramur, cum Deus omnipotens hujus almæ Viduæ meritis, surdis aures aperuerit, mutis linguæ officium solverit, tremulis paralyticis soliditatem præbuerit, curvis erectionem, contractis & invalidis liberum beneficium gradiendi, cœcis visum, mulieribus partu periclitantibus liberationem, morbis alias incurabilibus

sani-

CONSTIT. LXVI. A.D. 1391. ſanitatem, naufragos & aquis vehementibus laborantes perduxerit ad ſalutis portum? Et, ſi ea, quæ Deus benedictus Viduæ ſæpedictæ meritis tam illa ſuperſtite, quam poſt ejus reſolutionem felicem, mirabilia præter & ſuper vires naturæ, fuit operatus, nec deſinit operari, vellemus per ſingula recenſere, nos aliis diverſis implicitos, longa valde in tali recitatione prolixitas detineret. Poſſunt tamen fideles avidi talia geſta pernoſcere, librum, in quo fideliter annotantur, perquirere curioſe.

Vota autem apud monaſterium in Vvatzſteno ſupradictum, ad quod venerabile corpus hujus benedictæ Viduæ translatum fuit, perſoluta, & appoſitæ imagines ac ſtatuæ, magnum teſtimonium perhibent veritati;

Et quoniam per ſancti Spiritus operationem hæc Vidua pervigil per excellentia merita in Dei Patris gloria collocata, militantem propemodum illuſtrat Eccleſiam, noſque guſtamus & videmus, quia bona fuit & eſt negociatio ejus, & propterea in nocte ſupervenientis temporalis mortis ejus, virtutum & meritorum lucerna non debet extingui, eſt enim non ſub modio, ſed ſuper candelabrum poſita, & per Domini univerſam domum inextinguibile lumen affert; quin potius filii ſanctæ matris Eccleſiæ ſurgant, & beatiſſimam prædicent, eique dent de fructu manuum ſuarum, laudentque eam in portis matris Eccleſiæ opera ejus; nos, qui pro injuncto miniſterii paſtoralis officio ſumus ſapientibus & inſipientibus debitores, per ea, quæ tam de felicis recordationis Gregorii XI. & Urbani VI. Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, quam mandato noſtro ſuper his habita ſunt, de veritate præmiſſorum per teſtes idoneos, & alias probationes legitimas certius informati, eiſque veris compertis, & pro parte cariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ Margaritæ, Reginæ Sveciæ illuſtris, ac Prælatorum & Procerum Regni ſui, necnon dilectorum filiorum, populi officialium almæ urbis, ac dilectarum in Chriſto filiarum ſancti Laurentii, & de Vvatzſteno monaſteriorum prædictorum Abbatiſſarum, conventuum ſæpius & cum inſtantia requiſiti, in nomine Domini, ut jam tandem Viduam ejus celeberrimam benedicentes benedicamus, & ſuper ea effloreat ſanctificatio noſtra, ad honorem Dei omnipotentis Patris & Filii & Spiritus ſancti, & ad exaltationem orthodoxæ fidei, & Chriſtianæ religionis augmentum, necnon ad ſedationem ſchiſmatis, ac fidei & Eccleſiæ unionem, auctoritate ipſius Dei omnipotentis, Patris & Filii & Spiritus ſancti, ac beatorum Apoſtolorum Petri ſupradicti & Pauli, atque noſtra, de Fratrum noſtrorum conſilio, & aſſenſu omnium Prælatorum in Romana Curia conſiſtentium, decernimus, declaramus, definimus, pronunciamus, bonæ memoriæ beatam Brigittam, alias Brigidam ſupra ſæpius nominatam, Sanctam eſſe, & tamquam Sanctam ab univerſali Eccleſia venerari, ac Sanctorum catalogo adſcribi debere, & ipſam nunc adſcribimus de præſenti;

Statuentes, ut ab univerſali Eccleſia anno quolibet in die, qua illam poſt devictum triumphatumque mundum, in perpetuas æternitates præſens vita parturiit, videlicet decimo Kalendas Auguſti feſtum ipſius, & officium ſicut pro una Sancta non virgine nec martyre, devote & ſolemniter celebretur:

Et ut ad venerabile ſepulcrum ipſius ardentius & affluentius Chriſtifidelium confluat multitudo, & ejuſdem Sanctæ celebrius colatur feſtivitas, & ejus nomen crebrius recolatur, auctoritate prædicta omnibus

vere pœnitentibus & confessis, qui sepulcrum ejus hujusmodi apud ipsum monasterium in Vuatzsteno in ejusdem festi, necnon quinto Kalendas Junii, quo videlicet die hujusmodi corpus venerandum apud ipsum monasterium translatum fuit, & sub ad præsens occurrentibus diebus devote visitaverint annuatim, singulis videlicet eorumdem dierum diebus, quibus dictum sepulcrum visitaverint, ut præfertur, septem annos & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus. CONSTIT. LXVII. A. D. 1391.

Quocirca universitatem vestram monemus, requirimus, & hortamur attente, vobis nihilominus in virtute sanctæ obedientiæ, & ad æternorum præmiorum augmentum districtius injungentes, quatenus præsentes nostras literas cleris & populis vestris, auctoritate nostra solemniter publicantes, hujusmodi venerabilis Sanctæ, cum solemnitate debita celebretis & faciatis etiam celebrari, omnipotentem Deum, a quo sancta desideria, recta consilia, & justa sunt opera, totis cordis affectibus humiliter deprecantes, ut ejusdem Sanctæ precibus & meritis exoratus, det servis suis, illam, quam mundus dare non potest pacem, ut & corda nostra mandatis suis dedita, & hostium sublata formidine, tempora nostra sint sua protectione tranquilla, nobisque concedat, ut post peractum nostræ villicationis ministerium una cum credito nobis grege mereamur ad sempiterna gaudia pervenire.

Datum Romæ apud sanctum Petrum nonis Octobris, pontificatus nostri anno secundo.

LXVII.

IDEM

BONIFACIUS . IX

DE EADEM RE

Pro Clarissis Urbanis sancti Laurentii in Panisperna.

BONIFACIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Universis Christifidelibus salutem & Apostolicam benedictionem.

Splendor paternæ gloriæ, qui sua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium, de clementissima ipsius majestate sperantium, tunc præcipue benigno favore prosequitur, quum devota ipsorum humilitas Sanctorum precibus & meritis adjuvatur. Cupientes igitur, ut Ecclesia monialium sancti Laurentii in Panisperna de Urbe, ordinis sanctæ Claræ, in qua beata Brigida aliquibus diebus, dum vitam ageret in humanis, devote permansit, ac debitum naturæ persol- CONST. LXVII. A. D. 1391.

CONSTIT. LXVII.
A. D. 1391.

persolvit, & ejus corpus sepultum exstitit, & in qua postmodum plurimis miraculis claruit, & multæ ex ejus reliquiis devotissime venerantur, a Christifidelibus, congruis honoribus frequentetur & eo libentius devotionis causa confluant ad eamdem, quo crebrius dono cœlestis gratiæ conspexerint se refertos, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui dictam Ecclesiam in festivitate sanctæ Brigidæ, videlicet decimo Kalendas Augusti, & in die canonizationis, de ea per nos in præsenti die factæ, & per octo dies, festivitatem ac diem canonizationis hujusmodi immediate sequentibus, visitaverint annuatim, pro singulis festivitatis ac canonizationis, ac octo dierum prædictorum diebus, dictam Ecclesiam visitaverint annuatim, ut præfertur, septem annos & septem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus.

Datum Romæ apud sanctum Petrum nonis Octobris, anno secundo.

N O T A.

Brigitta, alias *Birgitta*, Italice *Brigida*, piissima femina, scriptisque etiam Revelationibus clara, quæ diplomate pontificio comprobatæ, Romæ non una vice, præsertim vero A.D.1628. prodierunt typis Ludovici Grignani duobus tomis in folio, alias memoratæ in Vita beati Urbani V. apud Baluzium to. 1 pag. 412. cui quidem Pontifici ex Urbe discedere meditanti ipsa mortem nunciavit per *Nicolaum Ursinum* Comitem Nolanum, ibidem pag. 416. & pag. 1057. Easdem Revelationes Gregorius XI. A.D. 1377. examinandas curavit, ex eodem Baluzio pag. 1176. De illa agunt Laurentius Surius die xxiii. Julii & Raynaldus A.D.1348. §.24. A.D.1370. §.19. A.D.1373. §.25.26. A.D.1374. §.4. A.D.1379. §.4.9.14. A.D.1381. §.45. A.D.1391. §.29. Ejus memoria exstat in Martyrologio Romano die viii. Octobris. *Nericia*, vulgo *Nerke*, VVlfoni Brigittæ conjugi tunc subjecta, provincia est in ea parte regni Sveciæ, quæ *Sveonia* appellatur. *Nericiæ* urbs princeps est *Orebroa*, vulgo *Orebro*. Brigitta obiit Romæ apud Clarissas S. Laurentii in Panisperna, hinc postmodum in patriam translata, ejusque canonizationem promovit Catharina filia, & ipsa miraculis clara. In hac cæremonia post consuetas ex vetustissima ecclesiæ disciplina, *panis*, *vini*, & *ceræ* oblationes, de more, summo pontifici factas, *columbæ*, & *turtures* primum visæ, arbitrio Petri Amelii, pontificii Sacristæ. Vide Museum Italicum Mabillonii tomo II. pag. 537. in fine. Hæc tamen *avium* oblatio, in domo Dei facta, displicuit summo Patri nostro BENEDICTO XIII. quumque accepisset, eam quoque displicuisse venerandæ memoriæ Cardinali Josepho Mariæ Thomasio, sacrorum rituum peritissimo; prætereaque idem sanctissimus Pontifex eam esse minime consonam reperisset sanctiori Ecclesiæ disciplinæ, quam summe callet, hujusmodi *avium* oblationem fieri noluit in solemni canonizatione octo Sanctorum, quam habuit in Basilica Vaticana sub finem elapsi anni 1726. & initio hujus anni 1727. Superiorem Bullam nos dedimus ex Cherubino, qui ait, eam Florentiæ confirmatam fuisse a Martino V. die prima Julii, pontificatus anno II. nempe A.D.1419. Alteram suppeditavit VVaddingus in fine tomi iv. pag. 181. ubi aliæ his persimiles literæ habentur, eadem die promulgatæ, quibus Pontifex memoratas Indulgentias extendit ad sepulcrum Brigittæ apud sanctimoniales Ordinis Augustiniani VVatzstenæ, oppido Ostrogothiæ Lincopensis episcopatus sub metropoli Upsalensi in Svecia, quo Brigittæ corpus ex æde urbana sancti Laurentii in Panisperna translatum fuerat.

EUGE-

CONSTIT. LXVIII.
A. D. 1447.

LXVIII.

EUGENIUS. IV

Sanctorum confessorum canoni adscribit Beatum Nicolaum, Tolentinatem in Piceno, ordinis Fratrum Eremitarum sancti Augustini, qui obiit die x. Septembris A. D. 1306.

EUGENIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Universis Christifidelibus præsentes literas inspecturis salutem & Apostolicam benedictionem.

Licet militans in terris Ecclesia triumphantem in cœlis filiali, & devoto veneretur affectu, ac virtutes, laudes, præconiaque Sanctorum, quantum finit fragilitas, dignissimis attollat titulis, devotis quoque precibus solemni ritu sacrificia laudum afferat ad decus & venerationem civium supernorum; nihil tamen illis accrescit novæ perfectionis & gloriæ, nec eorum perfecta felicitas nostris operibus firmari poterit, vel augeri. Misericors tamen, miseratorque Dominus per intercessiones, meritaque Sanctorum, quos in terris celebritate congrua veneramur, mirabili dignatione imperfectum nostrum suppleri providit, ut quod nostris meritis non valemus, eorum suffragiis assequamur. Const. LXVIII. A. D. 1447.

Æternus itaque Deus, *qui facit mirabilia magna solus*, Confessorem suum eximium Nicolaum de Tolentino in approbata religione Fratrum Eremitarum sancti Augustini, ab ejus pueritia educatum, puritate candidum, caritate fervidum, electum ex millibus exemplar præfulgidum, sapientia ejus infinita produxit, singularis vitæ suæ excellentiam, signis & prodigiis probans, ac coruscantibus, crebrisque miraculis manifestans. Lætentur itaque cœli, & exultet terra, jucunderque pariter totus orbis, quando ei, qui effulsit in templo Dei, cum viveret, speciosum in cœlo præstant hospitium cœli cives. *Psal. cxxxv. 4.*

Itaque hujus beati viri, quando vita est functus, fama, summaque ad eum populorum devotione, crescentibus, felicis recordationis Johannes Papa XXII. prædecessor noster, Avenione cum ejus curia residens, cum Fratribus suis cœpit de ejus canonizatione tractare, quam, nisi ejus obitus, & horrenda supervenissent schismata, proculdubio consummasset.

Beatus igitur hic Nicolaus honestis ex Castro sancti Angeli intra Firmanam diœcesim parentibus ortus, & puerorum consortia vitans, Ecclesias, divinaque mysteria frequentabat, & ne præclara opera lucidæ vitæ suæ longo latoque sermone curramus, pauca libet referre de pluribus, ut ex his existentes in via Domini, Patrem glorificent, sicut decet.

CONSTIT. LXVIII. A.D. 1447. Sanctus equidem iste in ætate existens tenera, se sub magna religionis diligentia summa cum obedientia & humilitate servabat, castigando corpus jejuniis, vigiliis, orationibusque insistebat devotus, gratus, humilis, obediens, benignus, suavis, pius, patiens, constans, maturus, compositus, virtutum quibusdam aromatibus plurimos attrahebat. Adeo quoque fidei cultor erat, ut cuncta illius verba & opera virtutem fidei redolerent. Tribulatorum & infirmorum consolator assiduus existebat.

Et demum pudicus, castus, modestus, verecundus ac lætus, ad vitæ vesperam veniens, divinitus audire meruit: *Euge serve bone, intra in gaudium Domini tui*. Sic granum frumenti cadens in terram & mortuum, uberem consurgit in spicam; sic botrus in torculari calcatus, liquoris redundat in copiam; sic regnum cœlorum percipitur, & Sancti per fidem sublimia regna vicerunt. (Matth. XXV. 23.)

Verum quia decebat divinæ magnitudinem bonitatis, ut quem in terris præclaris ornarat virtutibus, in cœlis regnare certis testimoniis probaretur, multis eum, magnisque miraculis, dum viveret, & post obitum, clarum fecit, quorum quædam dignissimis probata testibus, onerosæ multitudinis vitandæ gratia, duximus præsentibus adnotanda.

Quidam adeo in sinistro latere perditus erat, ut nec illius manum aut pedem posset quovis modo movere, aut quidquam ex oculo sinistro videre. Post plurimorum medicorum antidota atque collyria juvamen experta, Sanctus hic latus illud crucis signaculo tetigit, viroque illi benedixit, qui statim e grabato surgens, sanatus est, videns, & integre liberatus.

Quædam vero mulier triennio continuo sanguinis fluxum patiens, ad Nicolaum veniens, & manum illius devotissime osculans, precabatur eum, ut preces ad Dominum pro illius sanitate recuperanda porrigeret. Sanctus ipse illam crucis signo signavit, & liberata recessit; & hæc ante obitum.

Post obitum vero, cum puer quidam annorum quatuor in canale molendini cecidisset, & intra rotam & aquam per spatium temporis, quo communiter quis bene ambulans milliario ambulasset, continuo jacuisset, inde tandem laboriose extractus mortuus, & pro mortuo reputatus, emisso prius per matrem voto; quod si restitueretur vitæ auxilio beati Nicolai, illum supra Sanctum tumulum habitum religionis indueret; adjuvante Sancto prædicto, vivus apparuit.

Vir insuper quidam inventus in domo sua suspensus, & mortuus, precibus & voto per ejus uxorem ad beatum Nicolaum emissis, factus est vivus, & ex tunc diutius supervixit.

Quamplurima etiam miracula, tam in vita, quam post ejus obitum fecit, pluresque homines utriusque sexus a morte resuscitavit, cœcos illuminavit, & ab oculorum infirmitatibus liberavit. Contractos & protractos membris & claudos erexit; paralyticos a membrorum impotentia sanavit, & a tremore capitis & membrorum; dæmoniacos, captivatos, incarceratos, cum apparitionibus & revelationibus liberavit. Cadentes & illisos a naufragiis, ac captivitate personæ, a perditione bonorum, a febribus, ab ethica, ab hydropisi, a podagra, a doloribus iliorum, & stomachi, ac cordis, aliisque infirmitatibus liberavit, pristinæque sanitati restituit. Quæ omnia, trecenta & unum miracula, ad quorum probationem examinati fuerunt trecenti septuaginta & unus testes, in regestis adnotata, coram nobis in publico Consistorio relata fuerunt.

His

His itaque ac aliis miris operibus, Sancti hujus adstruentibus sanctitatem, & Christianæ fidei veritatem miraculorum lingua loquente, concurrit ad nos undique populus, crevit de his fama, atque devotio, laudatur Dominus, de salutiferis gratiis auctori gratiæ referuntur. Invaluit super his vox communis & celebris, & plurimorum vox exultationis, etiam Prælatorum, nobis intonuit, & nostra auctoritate inquisitionem fieri super dictis obtinuit. Primum quidem venerabili fratri Johanni Episcopo Prænestino, & dilectis filiis nostris Johanni Tituli sancti Laurentii in Lucina Presbytero, & Prospero sancti Georgii ad Velum aureum Diacono, Cardinalibus commisimus, ut veritatem præmissorum, & de miraculorum continuatione inquirerent diligenter: quorum relatione etiam continuationis miraculorum probata veritas nos & venerabiles Fratres nostros S. R. E. Cardinales de Sancti ejusdem vita mirabili, miraculis & meritis gloriosis instruxit.

Et quia plura, & majora de Sancto ipso comperimus, quam insinuata fuissent, de Fratrum prædictorum consilio & assensu, plurimis Ecclesiæ Prælatis adstantibus, de omnipotentis Dei virtute, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli ac nostra auctoritate confisi, eumdem beatum Nicolaum Sanctorum Confessorum catalogo duximus adscribendum;

Ideoque universitatem vestram monemus & hortamur attente, per Apostolica scripta vobis præcipiendo mandantes, quatenus quarto idus Septembris, quo Sanctus ipse migravit ad Dominum, festum ejusdem devote & solemniter celebretis, & faciatis ab omnibus veneratione condigna celebrari, ut pia ejus intercessione & hic a noxiis protegi, & in futuro sempiterna consequi gaudia valeatis.

Et ut ad venerabile ejus sepulcrum eo ardentius Christifidelium confluat multitudo, & celebrius ejusdem Confessoris colatur festivitas, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui cum reverentia illuc in eodem festo accesserint annuatim, ipsius suffragia petituri, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, septem annos & totidem quadragenas; accedentibus vero annis singulis ad dictum sepulcrum infra ejusdem festi octavam, duos annos & duas quadragenas de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLVII. Kalendis Februarii, anno sextodecimo.

N O T A.

De sancto Nicolao videndus Raynaldus A. D. 1306. §. 19. A. D. 1447. §. 8. & Surius die x. Septembris: Prodigium sanguinis ex ejus brachio interdum manantis passim vulgatum est. Bullam damus ex Cherubino, mendis tamen purgatam.

CONSTIT. LXIX. A. D. 1450.

LXIX.

NICOLAUS V,

Sanctorum confessorum canoni adscribit Beatum Bernardinum, Senensem in Tuscia, ordinis Fratrum Minorum de observantia; qui obiit die xx. Maji A. D. 1444.

NICOLAUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam,

Const. LXIX. A. D. 1450. Psal. LXXXVIII. 1 Misericordias Domini in æternum nos cantare debere, Propheta admonet, dicens: *misericordias Domini in æternum cantabo.* Magna & inenarrabilia sunt profecto opera misericordiæ Dei, quibus jugiter in salutem humani generis se ejusdem miserationis sinus effundit, quæ si quis ab initio creati hominis recensere voluerit, non tantum hominum linguæ, sed si quæ illis sunt, non sufficerent, sed nec Angelorum. Quam inenarrabile est, quod cum hominem creasset ad imaginem & similitudinem suam, quodque particeps esse posset felicitatis æternæ in unam cœlestem civitatem, adscribendus consortiis Angelorum, si datæ sibi divinitus legis non contempsisset imperium, non passa est divina clementia ipsum penitus interire, sed pro temporum diversitate non destitit congruentes exhibere medicinas, quibus a lege Domini aberrans, in salutis semitam traheretur;

Nunc Angelos destinando, qui divinam patefacerent voluntatem, suaderent quæ justa sunt, quæ sancta sunt, & ad implendum divinum beneplacitum adjuvarent;

Nunc mittendo Patriarchas, gratiæ suæ spiritu repletos, qui exemplo suo, ceteros instruerent ad salutem.

Nunc divinos prophetas, qui Spiritu suo sancto illuminati, non tantum ejus temporis divina beneficia humano generi commemorarent, sed etiam futura prædicarent.

Et illud maxime, quo nihil potest inter opera divinæ miserationis sublimius excogitari, quod Dei filius in sua persona naturam nostræ mortalitatis assumeret, & adimpleret ea per mysterium passionis & mortis suæ, quibus a Diaboli potestate, & peccatorum vinculis solveremur.

Hæc facta sunt per illam immensissimam profunditatem & abyssum impenetrabilem misericordiæ Dei, quæ nos, qui Christum induimus, & ipsius sumus baptismate consecrati, per singulos dies commemorare conamur cum cordis nostri spe, fide & caritate viventis, sacrificium immolamus, cum per ministerium sacerdotum illius salutaris hostiæ, qua peccatum mundi hujus abluitur, sacrificium indesinenter offertur. Hæc inenarrabilia sunt, & vix possunt, nisi exigua quadam, & et-

& tenuiſſima ex parte recitari. Verum ſi quis cogitationem extenderit in divina beneficia, quæ poſt Domini noſtri Jeſu Chriſti adſcenſionem ad cœlos, humano generi exhibita ſunt, quis illa, non dicam numerare, ſed quamvis potens eloquio, minima ex parte enarrare ſufficiat? Quis non ſtupeat tantam vocationem humani generis per Apoſtolicam tubam, pauciſſimorum hominum a Dei filio Jeſu Chriſto Domino noſtro in univerſum orbem terrarum deſtinatorum, evangelicam veritatem humanis auribus intonantium, quorum prædicatione factum eſt, ut nihil terrenum, nihil igneum, nihilque corporeum, nihil denique, quod corporis ſenſus attingit, pro Deo colendum eſſe homines putent, quodque a vetere ſeu carnali vita tam ineſtimabilis multitudo in novam & ſpiritualem vitam tranſlata eſt, ut perſuaſum ſit humano generi in ipſis, qui Evangelio crediderunt, continentia uſque ad tenuiſſimum victum panis & aquæ, & quod majus eſt, non ſolum quotidiana, ſed per continuos plures dies perpetuata jejunia.

Quod caſtitas uſque ad conjugii, proliſque contemptum: quod patientia uſque ad cruces, flammaſque neglectas; quod liberalitas uſque ad patrimonia diſtributa pauperibus; quod denique totius hujus mundi aſpernatio, uſque ad deſiderium mortis intenditur. Hæc in plurimis, qui Chriſti Evangelio credidere, impleta ſunt, & quotidie videmus impleri, cum terrarum ubique videamus, ubi floret Chriſti religio, ſacra cœnobia viris mulieribuſque referta, qui ſeipſos omnipotenti Deo ſacras victimas immolarunt, cum videamus innumerabiles fere ſanctiſſimos & devotiſſimos ſacerdotio, fungentes ſuo miniſterio id implere conari, ut ab hac carnali vita in ſpiritualem tranſeant, & a ſæculi hujus concupiſcentiis immaculati, illæſique permaneant, cum ex innumerabili multitudine populi pars non exigua per Evangelii ſemitam tranſire conatur, implendo mandata cœleſtia, quantum ſinit mortalis infirmitas. Hæc facta ſunt divina providentia per humanitatem doctrinamque Chriſti, per ipſius paſſionem & mortem, per Apoſtolorum itinera, per martyrum contumelias, cruces, ſanguinem, mortem, per Sanctorum prædicabilem vitam, atque his univerſis digua rebus tantis, atque virtutibus pro temporum opportunitate miracula.

Quanta vero eſt illa divina miſeratio, quod decurſu temporum, multorum frigeſcente caritate, illam penitus non ſinit extingui, ſed continuo Eccleſiam ſuam per miniſterium electorum ſuorum renovare & multiplicare non ceſſat, vnicuique tempori electos quoſdam, quaſi primos magni gregis arietes, & quaſi alteros Apoſtolos deſtinando, qui Evangelii ſemitam pene obliteratam, & pene corruentem, & vitæ exemplo, & doctrinæ verbis innovarent, tantæ perfectionis in ſe exemplaria facientes, quæ poſtea innumerabiles fere divino ſpiritu illorum corda tangente, facillime ſequerentur.

Hoc factum eſt per miſericordiam Dei ſuperioribus temporibus, & fere ubique terrarum, ſed noviſſimis diebus divina ſe miſeratio exuberantem effudit, cum in multorum cordibus frigeſcente caritate, ſacram religionem, quæ ab evangelicæ perfectionis ſemita aberrare videbatur, digno dignata eſt igne ſuccendere, ut videamus pleraſque ſacras religiones ita renovatas, & ita divino igne ſuccenſas, ut niſi ingrati eſſe velimus, divinæ benificentiæ immenſas gratias referamus, quod ad excolendam vineam ſuam, etiam hac noviſſima hora operarios deſtinare non ceſſat. Quamplures videmus in hoc miniſterium deſtinatos, ſed temporum noſtrorum præcipuus & magnus inter electos fuit vir

iſte

CONSTIT. LXIX. A. D. 1450. iste sanctissimus, propter quem celeberrimus iste conventus agitur, sanctus Bernardinus, vir ab ipsis incunabulis perfectioni evangelicæ consecratus, qui in vineam Domini cultor & operarius designatus, injunctum sibi opus indesinenter exercuit, qui se immaculatum ab hujus sæculi contaminatione custodiens, primum in seipso jugum Christi suave complexus est, & adeo vitæ exemplo, & sacra prædicatione profecit, ut fere per omnem Italiam renovaverit Evangelium Christi, ubique sine offendiculo, scandaloque pertransiens, & quantum fieri potuit, semper Deo & hominibus placens. Non est hujus loci propter angustiam temporis singulas suas divinas & fere innumerabiles recensere virtutes, nam tanta omnipotentis Dei attestatione munitur, ut humana laude non egeat.

Tanta etenim in sanctitatis suæ testimonium coruscavere miracula, ut etiam siqui sint ministri Satanæ, qui ejus cuperent detrahere sanctitati, tantis visis signis atque portentis, penitus obmutescant, & qui beneficia Dei tempori nostro exhibita recognoscunt, agant uberes gratias tantæ sanctitatis auctori, videntes in hoc gloriosissimo viro renovari quod de unigeniti Dei filio dictum est: *venient ad te, & adorabunt vestigium pedum tuorum*. Tanta enim tempore sanctæ memoriæ prædecessoris nostri Eugenii Papæ IV. increbuere miracula, ut sæpe plurimos timoratos & religiosos viros, necnon literis multorum Principum, & præcipue carissimi in Christo filii nostri Alphonsi Aragonum Regis illustris, & Senensium & Aquilanorum populorum precibus, literis & nuntiis pulsatus sit, ut tanta & tam divina miracula quotidie coruscantia diligenter mandaret inquiri, ut veritate comperta, tanto viro gloriam, quam jam divina testificatione in triumphante Ecclesia obtinebat in cœlis, in militante non negaret in terris.

Isa. 60. 14.

Fecit quod rei gratias & magnitudo poscebat, & quod alias Sedes Apostolica observare consuevit. Commisit tribus sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui duos venerabiles Episcopos delegantes, veritatem tantæ rei inquiri cum omni gravitate mandarent: qui exactis aliquot mensibus ad Sedem Apostolicam revertentes, quæ invenerunt, fidelissime retulerunt. Cum autem idem prædecessor noster rerum veritate perspecta, pulsantium precibus satisfacere cogitaret, vocante Deo, de hac miseriarum valle subtractus est.

Nos qui non meritis nostris, sed divina dignatione illi in onere & honore successimus, fuimus per eosdem, quos supra retulimus, sæpissime requisiti, ut quod prædecessor noster, impediente morte, non fecerat, impleremus. Nos rei gravitatem & magnitudinem attendentes, deliberavimus mature & gravissime procedendum. Propterea tribus ex venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus commisimus, ut duos venerabiles Episcopos eligerent, quos denuo pro inquirenda veritate delegarent, ut duplici inquisitione informati, rem audacius ageremus. Miserunt, sicut injunxeramus duos venerabiles Episcopos, qui eorum, quæ invenerant, in scriptis notitiam reportantes, fidelissime singula retulerunt, per omnia conformiter referentes his, qui tempore prædecessoris nostri fuerant destinati. Sed multa plura clarissima miracula reportarunt, quæ post priorum regressum fuerant perpetrata.

Nos non ea inquisitione contenti, etiam tertio destinare decrevimus, propterea duos alios venerabiles Episcopos jussimus proficisci, qui profecti, post menses aliquos rediere, uberrima & fidelissima attestatione refe-

referentes, tanta dietim innovari & corufcare miracula, quod fi fingula recenfenda effent, vix poffent magnis libris includi, & ex omnibus, quædam majora & infigniora retulerunt. CONSTIT. LX. IX. A. D. 14.

Nos poftea etiam Senas mittendum effe cenfuimus, mifimufque venerabilem fratrem noftrum Angelum Epifcopum Efculanum, qui poft aliquot menfes reverfus, corufcantem divinam gratiam, in miraculorum perpetratione fub veriffima & fideliffima atteftatione recenfuit, quem etiam voluimus Aquilam proficifci, ut etiam reportaret, fi in tanti viri fanctitatis atteftationem perfeveranter divina miracula corrufcarent: qui reverfus, prioribus a nobis deftinatis conformia reportavit, & infuper magna & ftupenda, quæ poftmodum contigerant, retulit; quæ non in angulis, fed publice, & in confpectu multitudinis fuerant perpetrata.

Nos his compertis, ne Spiritui fancto refiftere videremur, qui per os propheticum *laudari Deum in Sanctis fuis* jubet, piis & devotis fupplicationibus poftulantium condefcendere cogitavimus, fecimufque per venerabiles fratres noftros S. R. E. Cardinales, per nos deputatos, omnia per nuncios reportata, in fecreto confiftorio noftro diligenter particulariterque referri, quæ per confiftorium examinata funt. *Pfal. cl. 1.*

Sed propter gravitatem rei, vifum eft in aliud confiftorium differri, ut tempore medio, quilibet Cardinalis in domo fua poffet illa diligentius intueri, & in fecundo confiftorio fcrutatis omnium votis, in eandem fententiam convenerunt, tantam effe evidentiam & numerum miraculorum, necnon de vitæ ipfius fanctimonia ac fidei integritate tam clarum, tamque evidens teftimonium, ut in tanti viri canonizationem animis concorditer fua vota depromerent, quorum fequuti judicium, tunc canonizandum effe decrevimus.

Verum, ut res cum majori gravitate procederet, juffimus in Cappella majori palatii noftri Apoftolici apud fanctum Petrum, Prælatorum omnium, qui in Curia effent, fieri congregationem, ipfifque ibidem pofitis una cum venerabilibus fratribus noftris propofuimus rem hanc, omnia recenfentes, quæ ufque in horam illam in hujufmodi materia fuiffent actitata, & fingulorum vota fcrutata funt, qui in eandem fententiam devenerunt, in quam venerabiles fratres noftri S.R.E. Cardinales in confiftorio fecreto convenerant.

Poftea in confiftorio generali re propofita, quod in confiftorio fecreto per nos decretum fuerat, publice decrevimus faciendum, hoc eft tanti viri canonizationem in Ecclefia principis Apoftolorum hac die Pentecoftes per nos debere celebrari.

Nos igitur, qui hac die convenimus, ut in confpectu tantæ multitudinis fanctitati tanti viri teftimonium perhibeamus, affumimus illud Dominicum verbum, quod fuis imitatoribus dixit: *ubi ego fum, illic & minifter meus erit*, miniftravit vir ifte fanctiffimus Chrifto, & fequutus eft Chriftum. Miniftravit Chrifto, cum fe laqueis fæculi exuens & deponens veterem hominem cum actibus fuis, & *induens novum*, qui fecundum Deum creatus eft in juftitia & fanctitate veritatis, jugum leve fanctæ religionis amplexus eft. Miniftravit Chrifto, cum fancta religione proficiens, dietim majora virtutum divinarum augmenta capiebat, præcipue humilitatis Chrifti imitator effectus, pauper fpiritu, & dives gratia. Miniftravit Chrifto, cum multis exemplo vitæ ad falutem profecit æternam. Miniftravit Chrifto, cum membris Chrifti, hoc eft fidelibus Chrifti pabulum doctrinæ cœleftis indefinenter exhibuit, *Jo. xii. 26.* *Coloff. III. 10.*

pluri-

CONSTIT. LXIX. A.D. 1450.

plurimas Deo lucrifaciens animas, quas a Diaboli, & sæculi laqueis exuebat. Ministravit Christo, cum per civitates, provinciasque seminans verbum Dei, populorum catervas antiquis odiis diffidentes, omni cordium rancore deposito, in caritatem mutuam revocabat. Ministravit Christo, cum in pluribus locis mores in lasciviam vergentes, & diutius antiquatos verbi divini prædicatione dimovit, exhortans tam viros, quam mulieres servare pudicitiam, reliquosque laudabiles mores; sine quibus nemo vere potest esse Christianus. Ministravit Christo, cum nominis sui per omnem Italiam celebritate vigente, in eadem, quam primo assumpserat, humilitate permansit. Ministravit Christo, cum verbum Dei indefesse prædicare non destitit. Ministravit Christo, cum se vocante ad æternam requiem, nec mori timuit, nec vivere recusavit.

Ergo quia non potest veritas ipsa mentiri, quæ est unigenitus Dei filius, qui per os carnis assumptæ loquutus est, dicens: *qui mihi ministrat, me sequatur, & ubi ego sum, illic & minister meus erit*, Cum sciamus, hunc Sanctum virum ministrasse Christo, & ipsum fuisse sequutum usque ad consummationem vitæ, minime dubitare permittimur; quin potius certissimum tenere debemus, quod ubi est Christus Dei filius, sit etiam minister suus sanctus Bernardinus. Ergo quia cum Christo sunt omnes Sancti ejus, de omnipotentis Dei misericordia, qui non deserit Ecclesiam suam, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ac venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium ad id accedente consensu, decernimus, declaramus & ordinamus, sanctum Bernardinum inter Sanctos Dei ab universa Ecclesia debere deputari, & Sanctum haberi, & tamquam Sanctum honorari & coli, ipsumque canonizamus, & pro canonizato haberi volumus; mandantes festum ipsius in numero Sanctorum confessorum non pontificum debere collocari, & ei officium confessorum non pontificum decantari.

Jo. XII. 26.

Insuper omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui in die festi sui Ecclesiam, in qua Sanctum corpus suum requiescit, devote visitaverint, & ad ornatum sive fabricam dictæ Ecclesiæ manus porrexerint adjutrices, septem annos & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus, præsentibus perpetuis temporibus duraturis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, declarationis, ordinationis, mandati, voluntatis, canonizationis & relaxationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ in basilica principis Apostolorum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCL. nono Kal. Julii, pontificatus nostri anno quarto.

N O T A.

Bullam, quam præterierunt Bollandiani, quæque mendis scatet apud Cherubinum, nos damus ex VVaddingo tomo v. pag. 575. De Sancto hoc viro consulatur Raynaldus tomo XVIII. multis in locis, & præcipue Bollandiani to. v. Maii pag. 257.

CONSTIT. LXX. A. D. 1456.

L X X.

CALISTUS . III

Sanctorum confessorum pontificum canoni adscribit Beatum Osmundum, Saresberiensem in Anglia Episcopum, qui obiit die IV. Decembris A. D. 1099.

CALISTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Const. lxx. A. D. 1456.

AB extremis terrarum insulis, & remotissimis, totoque orbe divisis partibus cœlestis agricola more suo piissimo vineam [suam] novo germine, novo præsule, & cultore dignissimo visitavit, ac ad novellas virgulas inserendas vetustasque purgandas, fovendas, regendasque transmisit probatissimæ ac exemplaris vitæ virum mirabilem, Osmundum Saresberiensem antistitem, in hac tam mira Reginæ hujus varietate, (Psal. xliv. 11.) sanctorumque cohorte merito collocandum, ac beatorum spirituum cœtui suis excellentibus meritis sociandum; immo verius sociatum, cujus quidem originem, vitæ actus, mores ac merita, & quæ summus idem Pontifex Deus in ipsius sanctitatis præmium monstrare dignatus est, splendida quoque ipsius miracula, omni pene genti, Anglorum præsertim regni notissima, ne præsens sæculum & nostri temporis ætas silentio omnino prætermissa ignoret, brevi sub compendio complectenda, ac e multis & maximis pauca non reticenda esse censuimus, ut pro ipsius gloriosi præsulis & confessionis operum gloria cunctis fidelibus innotescant.

Vir namque sanctissimus Osmundus, generositate præclarus, ex stirpe regia, ac etiam ducali nobilissima ortus prosapia, postquam pueriles annos laudabiliter, & super quam illa ætas pateretur, exegerat bonæ indolis adolescens, non lasciviam complexus est mundi, non sæculi oblectamentis & voluptatibus, dum libere uti posset, applicuit animum; sed cor gerens senile, ac omnes sui cordis cogitationes ad ipsum Creatorem suum, & opera pietatis, caritatisque convertens, in Dei timore, & proximi caritate eo magis fervebat indies, quo majori utens pro qualitate temporis ratione, cuncta sub sole vanitati subjecta, transitoria & caduca, juxta sapientis sententiam, fore cognovit. In virum deinde perductus, & evangelicæ doctrinæ verus imitator existens, ac illud Salvatoris nostri semper ante oculos sui cordis fixum tenens: *Nisi quis renunciaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus*, (Luc. xiv. 33.) ut thesauros incomparabiles sibi in cœlo reconderet, ubi fures nequaquam effodiunt, nec furantur, ubi tinea corrodere aut demoliri non potest, de bonis, a Deo sibi collatis, in regno Angliæ Saresberiensem Ecclesiam, tunc in suis primordiis tenuem & exilem, nova quadam fundatione, ac ampla sui patrimonii dote & largitione ditavit, prædia scili-

CONSTIT. LXX. A. D. 1456.

scilicet, terras & possessiones sui comitatus Dorsetis, & quæ ad ipsum alias legitime pertinebant; libros quoque, calices, cruces, paramenta, & quæque alia optima ornamenta, ceu cathedralem decebat Ecclesiam, sibi pia liberalitate donavit; ac ultra primitus institutas, quatuor alias dignitates, triginta duos canonicatus, totidemque præbendas; alios quoque archidiaconatus & officia in ea erexit, itaut qui, suis exigentibus meritis, ipsius, quam dotavit, ornavitque Saresberiensis Ecclesiæ, post decessum primi Episcopi, fuit ordinatus antistes, incredibili perfectione & gratia, necnon sancti Spiritus lumine illustratus, non solum doctrina verbi, ac operibus optimis pariter & exemplis commissum sibi gregem dominicum informaret, ipsamque Ecclesiam, cui digne præerat, illiusque capitulum & personas sacris dogmatibus insigniret, & nusquam magis, quam suo in tempore disciplinæ censura, morum honestas & gravitas personarum in ea vigeret; sed ne promiscuis actibus rerum turbarentur officia, & in divinis aliqua posset inantea suboriri confusio, librum quendam perutilem & proficuum, Ordinalem alias, Consuetudinalem appellatum, quo fere universæ ipsius Angliæ, Vualliæ & Hiberniæ, ac aliorum quamplurium locorum utuntur Ecclesiæ, necnon sanctorum vitas, pro eorum gloria & cleri instructione composuit, atque alia quamplurima imitanda posteris exempla continuo præbuit, ita ut divinum potius, quam humanum eum cuncti putarent, quem divina miseratio tot gratiarum muneribus illustrabat.

Erat enim vir totius prudentiæ, humilitatis & patientiæ, pietate magnificus, pudicitia & castitate ornatus, sobrietate & abstinentia præditus, bonitate conspicuus; laudabilis sanctitate, morum honestate, virtutibusque præclarus, semper in fide constantior, præstantior spe, caritate ardentior, justitiæ & æquitatis amator, qui carnis illecebras, jactantiam, pompam & arrogantiam, ac cetera vitia mira animi magnitudine contempsit atque calcavit, & sancte usque ad consummationem corporis continuatis operibus, ac sacramentis ecclesiasticis demum rite perceptis, in confessione veræ fidei & æternæ Trinitatis firmiter perseverans, puram & immaculatam animam reddidit Creatori.

Cujus quidem meritis summus & omnipotens creator omnium Deus, remunerator animarum fidelium, cœcis visum, surdis auditum, mutis loquelæ officium, claudis gressum, naufragis, periclitantibusque portum salutis restituit & indulsit: ab immundis quoque spiritibus obsessos, furiosos, rabidos & amentes atque diabolica fraude oppressos penitus liberavit. Diversarum quoque ægritudinum incurabilium mole subactis, paralyticis, contractis, tremulis, languidis, invalidis & infirmis sanitatem restituit, & quod admiratione maxima dignum est, plures mortuos suscitavit. Alia etiam multa miracula, quæ ipsius Sancti meritis & precibus sublimis Deus operatus est, & operatur in dies, si per singula recensere vellemus, longius nimium in ipsorum recitatione prolixitas resultaret. Sed ne quidem ea, quæ præclara & admiranda sunt, devotis fidelibus, illius singula gesta legere cupientibus, abscondita fiant: libellum, in quo omnia fideliter annotari curavimus una cum processibus super præmissis confectis, quos in archivo ipsius Ecclesiæ ad perpetuam rei memoriam conservari mandavimus, poterunt lectitari.

Verum quia paraclitus Spiritus, qui mentem hujus præsulis sui luminis claritate replevit, & qui sacrosanctæ Ecclesiæ catholicæ futur prævi-

prævidet, diu latere non sinit, bonæ memoriæ Richardum Episcopum, necnon decanum & capitulum dictæ Ecclesiæ Saresberiensis, ac alios plurimos graves, Deoque devotos viros inspiravit divinitus, ut sanctæ Sedi Apostolicæ præmissa omnia nota facerent, ac eidem Sedi, cui tunc felicis recordationis Gregorius Papa IX. prædecessor noster præsidebat, humiliter supplicarent, ut prius per illos viros graves & expertos, quibus id duceret committendum, de sanctimonia vitæ, virtutibus, ac miraculis ejusdem Episcopi receptis informationibus & testibus fide dignis, prout tantæ rei gravitas exigebat, eum Sanctorum Dei catalogo ascribere dignaretur; idem prædecessor intendens in hujusmodi causa juxta rei magnitudinem cum debita deliberatione & maturitate procedere, bonæ memoriæ Bathoniensi & Conventrensi Episcopis, ac Abbati monasterii de Scanley, eorum propriis nominibus non expressis, suis literis dedit in mandatis, ut super vita & miraculis hujusmodi diligenter inquirerent & se informarent, ac quidquid per inquisitionem & informationem hujusmodi de sanctimonia atque miraculis ejusdem antistitis invenirent, veritate fulciri, & totum exinde formatum processum, eorum sigillis munitum, ad eundem prædecessorem remitterent, per eum examinandum, secundum exigentiam & continentiam meritorum. CONSTIT. LXX. A.D. 1456.

Postmodum vero commissarii ad executionem literarum dicti prædecessoris juxta commissionis formam eis traditam super his, quæ pro hujusmodi veritate investiganda necessaria erant, legitime procedentes, ac de sanctimonia vitæ & miraculis dicti Osmundi Episcopi diligentius inquirentes, nonnullos testes bonæ opinionis & famæ, cum ea, quæ decebat attentione & diligentia, examinarunt, quorum depositiones & attestationes in authenticis scripturis redacta in archivo dictæ Ecclesiæ conservata per certa tempora remanserunt: & licet ex post, varietate temporum, ac plerisque aliis causantibus impedimentis in hujusmodi causa ulterius processum non fuisset, nihilominus postmodum canonizationis causa prædicta coram bonæ memoriæ Angelo Corrario, in universali Ecclesia Episcopo, tunc Gregorio XII. in sua obedientia, de qua partes illæ tunc erant, nuncupato, primo, & successive pro parte bonæ memoriæ Johannis Episcopi, ac dilectorum filiorum decani & capituli Saresberiensis, coram piæ memoriæ Martino Papæ V. etiam prædecessore nostro proposita, ac præmissis omnibus & singulis ex ordine recensitis, & etiam pro eorum parte subjuncto, quod ipsi, qui dignum existimantes thesaurum longo tempore absconditum Christifidelibus debere ostendi, ut, tamquam lucerna lucens, ad aliorum exempla & instructionem pateret, cupiebant pro exaltatione nominis Christi, ac splendore, gloria & honore ipsius Saresberiensis Ecclesiæ, ut super præmissis ad examinationem ejusdem processus & alia, dictam causam concernentia, usque ad canonizationem ejusdem Sancti viri procederetur; idem Martinus prædecessor, prout rei gravitas & magnitudo poscebat, bonæ memoriæ Jacobo Tergestino, in Regno Angliæ Apostolicæ Sedis nuncio, & Vvintoniensi ac Herefordiensi Episcopis suis literis dedit in mandatis, ut processus super præmissis, vita & miraculis, per eosdem commissarios habitos & formatos auctoritate sua cum debita maturitate & gravitate, prout tantæ rei conveniebat, recensentes ac examinantes, ac in formam authenticam redigentes, de præmissis omnibus & eorum circumstantiis universis se informarent & inquirerent diligentius veritatem & nihilominus ad receptionem testium, probationem

CONSTIT. LXX.

A. D. 1456.

& informationum fide dignorum, prout expediens esse cognoscerent, in ipsa causa ad ulteriora procederent, prout eorum discretioni videretur; voluit tamen, quod totum in ipsa causa tam per eosdem primos judices formatum, quam secundos, auctoritate sua formandum processus in publica & authentica forma eorum sigillis munitos per proprium nuncium ad eundem Martinum prædecessorem destinare curarent, ut veris existentibus supradictis, ipse prædecessor super canonizatione hujusmodi in forma Ecclesiæ consueta, servatis de more solemnitatibus deliberare valerent.

Qui quidem commissarii mandata Apostolica in singulis diligentius exequentes, ultra primos, aliis quamplurimis testibus idoneis diligenter examinatis, eorum dicta & attestationes, ac per eos habitos, aliosque priores processus prædictos ad Romanam Curiam transmiserunt: idemque Martinus prædecessor ad humiles preces Episcopi, decani & capituli prædictorum, Gabrieli tituli sancti Clementis, postea Eugenio Papa IV, ac Petro tituli sancti Stephani in Cœlio monte presbyteris, & Lucido sanctæ Mariæ in Cosmedin diacono Cardinalibus, etiam in suo consistorio publico vivæ vocis oraculo commisit, ut in dicta causa procederent, & apertis processibus, eos diligenter examinarent, sibique postea ex more referrent ad effectum canonizationis prædictæ. Qui servatis servandis, recognitisque sigillis, processus hujusmodi aperuerunt: monentes omnes & singulos, qui in his interesse aliquod habere prætenderent, ut ad diem certam tunc expressam legitime comparerent, aliaque deinde fecerunt, quæ circa ea fuerant opportuna. Cumque rei hujus veritate comperta, idem Martinus prædecessor votis poscentium cogitaret annuere, sicuti Altissimo placuit, e medio sublatus est: & licet recolendæ memoriæ Eugenius præfatus similiter prædecessor noster rem hanc, ut accepimus, optato fine concludere se velle assereret, morte antea interceptus, quod proposuerat non implevit.

Denique felicis recordationis Nicolaus Papa V. prædecessor etiam noster immediatus, plurimorum supplicationibus inclinatus, quod in similibus Sedes Apostolica observare consuevit, & rei qualitas exigebat, nobis tunc in minoribus constitutis, ac dilecto filio nostro Dominico tituli sanctæ Crucis in Jerusalem presbytero Cardinali negocium ipsum examinandum, investigandum, discutiendumque commisit, in quo debita cum diligentia procedentes, cuncta, quæ in præmissis & circa ea quomodolibet opportuna erant, cum omni attestatione & maturitate rimari & investigare curavimus: ac postremo eodem Nicolao prædecessore, vocante Domino, similiter rebus ab humanis exempto; nos, qui eidem, licet insufficientibus meritis, in universalis Ecclesiæ gubernatione successimus, iteratis vicibus pro parte carissimi in Christo filii nostri Henrici VI. Angliæ Regis illustris, ac carissimæ in Christo filiæ Margaritæ Reginæ Angliæ, illius conthoralis, necnon Prælatorum, Principum & Christifidelium dicti regni, ac etiam venerabilis fratris nostri Richardi moderni Episcopi, dilectorumque filiorum Gilberti Kimarum decani & capituli Saresberiensis Ecclesiæ memoratæ, fuimus debita cum instantia requisiti, ut, quod iidem nostri prædecessores minime adimpleverant, & nobis faciendum Altissimus reservavit, perficere annuente Domino dignaremur. Quorum omnium tam efficax assertio, & crebra dilecti filii magistri Johannis Lax, legum doctoris & secretarii nostri, ac dictorum Episcopi & capituli procuratoris intercessio fuit, ut non immerito nos, qui (licet tantæ rei excellentiam

sæpe-

sæpenumero mente volverimus, eamque humeris nostris imparem esse plane conspexerimus) ne tamen voluntati divinæ contradicere videremur, præmissa omnia & singula ponderantes; necnon ejusdem antistitis fidem, vitæ integritatem, mores, actus castissimos, humilitatem, simplicitatem, doctrinam, liberalitatem maxime erga Saresberiensem Ecclesiam memoratam, illiusque personas, & quæ a trecentis & plurimis annis citra coruscarunt, miracula plurima, aliaque adminicula non minora tam per authenticas scripturas, quam per fide dignorum etiam septuaginta quinque testium depositiones, manifeste probata, famam quoque publicam, ac præter ea triginta famosissimorum sacræ paginæ, & utriusque juris doctorum, quorum nonnulli Episcopi, quidam referendarii, ceteri vero palatii Apostolici auditores, advocati consistoriales, ac magnæ auctoritatis viri extiterunt, consilia, quæ omnia in unam eamdemque sententiam pro ipsius canonizatione antistitis convenirent, merito attendentes, ut tanto viro gloriam, quam divina testificatione jam in triumphante obtinebat Ecclesia, in militante nequaquam negaremus in terris, præmissa omnia in consistorio nostro per dilectum filium nostrum Guillelmum tituli sancti Martini in montibus presbyterum Cardinalem, quem loco nostro, quoad hoc substituimus, feceramus particulariter recitari; scrutantesque deinde in eodem consistorio vota omnium venerabilium fratrum S. R. E. Cardinalium, ac omnibus debite recensitis, iidem fratres nostri in eandem sententiam convenerunt. Quorum secuti consilium, ut illud plurimorum sententiis firmaretur, omnes alios in Romana Curia residentes Prælatos in palatio nostro jussimus congregari: qui post propositionem publicam omnium præmissorum votis etiam singulorum ex more scrutatis, nemine discrepante una nobiscum, & fratribus antedictis consuluerunt & censuerunt ad canonizationem dicti viri optimi fore procedendum; in quorum præsentia de eorumdem consilio & assensu decrevimus & declaravimus, eundem Osmundum Episcopum esse canonizandum, ad quod publice & solemniter faciendum, diem statuimus hodiernam.

Et quoniam per excellentia merita vir iste insignis, almi Spiritus gratia operante, in ipsius summi patris gloria collocatus, hanc eandem militantem illustrat Ecclesiam, prout omnibus, qui ejus gesta didicerunt, debet esse notissimum, nos, qui ex debito pastoralis officii cunctis fidelibus debitores existimus, per ea, quæ de Gregorii, Martini & Nicolai prædecessorum eorundem, ac nostro postremo mandatis super his inquisita, investigata & examinata fuerunt, & quæ in minoribus constituti præ ceteris singulari devotione & attentione iteratis vicibus relegimus, investigavimus, examinavimus & diligentius fuimus perscrutati tam per ipsorum testium fidedignorum depositiones, quam probationes alias legitimas, præmissis omnibus veris existentibus compertis, ac etiam comprobatis, de ipsius Osmundi Episcopi sanctimonia plenissime informati, certioresque effecti, quod optima fuit negociatio ejus, & talenta sibi credita cum multiplicato fructu suo restituit Creatori, de quibus sibi etiam fidele testimonium perhibemus, ut propterea, ac ex multis aliis excellentibus donis & gratiis, quibus extitit insignitus, super candelabrum domus Domini positus in universali Ecclesia inextinguibili lumine & splendore rutilet, eam quoque sua claritate exornet: in nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti præfatum Osmundum Episcopum celeberrimum benedicentes benedicamus in sæcula, floreatque super eum sanctificatio

nostra,

CONSTIT. LXX.
A. D. 1456.

nostra, & ad honorem sempiternæ deitatis, ac triumphantis & militantis Ecclesiæ exaltationem, orthodoxæ quoque Christianæ fidei felicem statum & augmentum, auctoritate omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, atque nostra, de ipsorum fratrum Coepiscoporum & Prælatorum unanimi consilio & assensu pronunciamus, declaramus, decernimus & etiam definimus, piæ memoriæ beatum Osmundum Episcopum antedictum Sanctum esse, & tanquam Sanctum ab universali Ecclesia & cunctis fidelibus venerari, ac Sanctorum catalogo adscribendum fore & ascribi: quem ipsi in præsentiarum adscribimus, & Sanctorum cœtui aggregamus, statuentes, ac etiam venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, ac dilectis filiis Electis & Patriarchalium, Metropolitanarum & Cathedralium Ecclesiarum Capitulis, ubilibet constitutis, tenore præsentium injungentes, ut anno quolibet in die, qua ipsum post consummationem laborum triumphatumque mundum in æternitates perpetuas præsens vita transmisit, videlicet pridie nonas Decembris festum ipsius & officium, veluti pro uno confessore pontifice, devote & solemniter celebrent, & ab aliis celebrari, ac universis Ecclesiis & Christifidelibus faciant venerari.

Et ut ad Saresberiensem Ecclesiam prædictam, ipsiusque venerabilem tumulum, quem in dignori loco volumus præparari, eo libentius Christifidelium confluat multitudo, ejusque memoria recolatur, & festivitas celebretur decentius in futurum, eisdem fidelibus universis utriusque sexus vere pœnitentibus & confessis, qui Ecclesiam Saresberiensem præfatam, & ipsius gloriosi Confessoris tumulum in festivitate ejus & per totam octavam, immediate sequentem, devote visitaverint annuatim, & ad ipsius Ecclesiæ atque tumuli reparationem, ornamentum & conservationem, seu dictæ Ecclesiæ fabricam manus porrexerint adjutrices, in festivitate prædicta a primis vesperis illius vigiliæ usque ad secundas vesperas ejusdem festivitatis, decem, in singulis vero octavæ diebus, tres annos & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus, præsentibus, perpetuis futuris temporibus duraturis.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLVI. Kalendis Januarii, pontificatus nostri anno secundo.

N O T A.

Hanc Bullam debemus Raynaldo, qui A. D. 1457. §. 81. eam vulgavit. Initio desunt nonnulla parum necessaria, quæ in tabulario Vaticano reperiri non potuerunt. Sanctus Osmundus obiit die IV. Decembris A. D. 1099. Vide Martyrologium Romanum hac die, & Michaelem Alfordum in Annalibus Britannicis to. IV. Parte I. pag. 110. num. II. III. & pag. 167. n. VII. VIII. & IX. De eo fit mentio in Monastico Anglicano tomo I. pag. 110. & in Anglia sacra Henrici VVhartoni to. I. pag. 159. 296. to. II. pag. 41. 43. 700. Scribitur *Sarisberensis*, & *Saresberiensis*.

CONSTIT. LXXI. A. D. 1458.

L X X I.

P I U S , I I

Beatum Vincentium Ferrerium, Valentinum in Hispania, ordinis Fratrum Prædicatorum, per Calistum III. Pont. Max. Sanctorum confessorum canoni adscriptum fuisse promulgat. Obiit Vincentius die v. Aprilis A. D. 1419.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Rationi congruit & convenit honestati, ut ea, quæ Romani Pontificis deliberatione provida, ac venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, omniumque Prælatorum, tunc in Romana Curia residentium, consilio & assensu unanimi decreta, statuta & ordinata fuerunt, licet ipsius prædecessoris superveniente obitu literæ Apostolicæ confectæ non fuerint super illis, suum plenarium sortiantur effectum. CONST. LXXI. A. D. 1458.

Dudum siquidem felicis recordationis Calistus Papa III. prædecessor noster, Jesu Christi in terris superna dispositione Vicarius, & beati Petri, cœlestis Regni clavigeri successor, cum militantis Ecclesiæ gubernacula superna regeret voluntate, & immensam Dei nostri clementiam in eo maxime interna meditatione cognosceret, quod hominem, quem ad suam imaginem, similitudinemque formaverat, a se ipso incommutabili bono, dolo serpentis aversum, ad se brachio suæ virtutis reducere, & culpæ ipsius lapsum volens in persona propria reparare, humanæ naturæ ministerio usus est, ut sua mirabili potentia, inde medelam ferret hominibus, unde vulnus cernebatur illatum, ac pro sua bonitate debitor ipse homo & obnoxius remaneret. Nam licet omnipotens sermo dilapsus foret antea in Prophetas, ut divini secretum consilii cognoscentes, ac spem humanæ reparationis habentes, solum Creatori suo servirent, ipsum Dominum adorarent, ac posteros venerari & adorare docerent, in finem tamen sæculorum cum venit temporis plenitudo, misericordiarum pater ingenitus, verbum suum per quod fecit, & sæcula, de cœlis misit in orbem, ut humanam carnem assumens, æternæ vitæ viam lapsis perditisque ostenderet, culpam protoplasti in ara crucis proprio cruore dilueret, nobisque cœli januam aperiret; utque tanti mysterii, incarnationis videlicet, & redemptionis hujusmodi veritas cunctis mortalibus innotesceret, Apostolos suos, quos in vitæ, doctrinæ & operum suorum testimonium elegerat, aliof-

CONSTIT. LXXI. A. D. 1458.

aliosque discipulos in universum mundum ad prædicandum Evangelium destinavit, qui suis eloquiis, signis & virtutibus, veluti solis radiis orbem terrarum illuminarent. Sed cum successu temporis callidi hostis iniquitas antiquæ & usitatæ fraudis commentis humanum genus tam grandis, & sacratissimæ redemptionis fructu privare, & in æternam prædam adducere moliretur, divina clementia semper generi miserata humano, suæ Ecclesiæ orthodoxæ opportune subveniens, viros misit plurimos, sanctitate & scientia præditos, virtutibus redimitos, tempori convenientes, qui velut divini gregis arietes, rectum iter gregi suo ducatumque præberent, & bonis adhortantibus operibus, & exemplis hominum titubantes animos roborarent, aut martyrii gloria, aut vitæ integritate, seu errorum gentilium & hæreticorum confutatione, vel divinæ virtutis & promissæ felicitatis æternæ prædicatione, eidem sacrosanctæ Ecclesiæ præsidia maxima & adjumenta tribuerent.

Atqui ejusdem prædecessoris temporibus cum in occiduis partibus, Judæorum maxime, & infidelium multitudo crevisset, ac literis & divitiis affluerent, propemodum tremenda quoque dies illa novissima oblivioni pene tradita esset, divinæ providentiæ altitudo, quæ præclaris viris eamdem Ecclesiam instaurare & decorare disposuerat pro ipsorum salute fidelium, Vincentium Valentinum ordinis Fratrum Prædicatorum, & sacræ Theologiæ eximium professorem, æterni Evangelii in se documenta habentem, veluti athletam strenuum, ad Judæorum eorumdem, Saracenorumque & aliorum infidelium confutandos errores, & extremi, tremendique judicii diem, quasi alterum Angelum volantem per cœli medium, pronunciandum, evangelizandumque sedentibus super terram tempore opportuno transmisit, ut in omnes gentes, tribus & linguas, populos & nationes verba salutis diffunderet, Regnum Dei, diemque judicii appropinquare ostenderet, & æternæ vitæ semitam demonstraret. Cum vero tunc tanti viri excellentiam, qui id gratia consecutus est quod Angeli naturaliter sortiuntur, ipsius quoque vitæ, & conversationis actus, idem Calistus prædecessor, ad ædificationem fidelium, & posterorum memoriam, ex parte aliqua recensere decrevisset, prout compertum & notissimum habuit, eumdem præclarum virum Vincentium in amplissima Hispaniarum urbium, Valentia scilicet civitate, ex Christianis & honestis parentibus ortum alitumque fuisse, & ab ineunte ætate cor senile gessisse testatur.

Qui dum caliginosi hujus sæculi labilem cursum pro ingenii sui modulo consideraret, & jam suæ ætatis annum decimum octavum attingeret, religionis habitum ordinis memorati summa cum devotione recepit, ac demum regulari professione, solito more emissa, sacris literis tam efficacem operam dedit, ut magisterio in eadem theologica facultate dignus ab omnibus censeretur, & ob hoc ipsius magisterii insignia consecutus est.

Ac deinde solita in talibus obtenta licentia verbum Dei prædicare, & æternæ beatitudinis semina cordibus fidelium infundere, errores denique & perfidiam Judæorum & infidelium eorumdem confutare cœpit mirum in modum, ratione ostendens, quam terribilis judex in ipso extremo judicio reprobis & iniquis redemptor ipse futurus sit. In quibus quidem salutiferis prædicationibus & laudabilibus actibus, usque adeo perseverans, ac multas Hispaniarum, Galliarumque ac Italiæ provincias, quasi novum sidus peragrando, illustrans, tandem in Britannia, civitate Venetensi septuagesimum ejusdem ætatis annum transcen-

transcendens, prædicationis, & vitæ cursum devotissime consummavit. CONSTIT. LXXI. A. D. 1458.

Ac postquam Deus, qui non permittit quæ Ecclesiæ suæ sanctæ profutura conspicit, conculcari, aut abscondita latere sub modio, eos, qui prædicatione ipsius divini viri spiritualium & corporalium sanitatum beneficia receperant, inspiravit, quod sanctitatis insignia, quæ in ipso divino viro cognoverant, Sedi Apostolicæ nunciarent, ipsamque de ejusdem Sancti viri operibus informarent.

Itaque colendæ memoriæ Johannes & Petrus, quondam Britanniæ Duces, ac Prælati, & aliæ ipsius ducatus devotæ personæ, multique aliarum provinciarum devoti viri, apud quos vivens præfatus Vincentius Dei verbum seminaverat; Fratres quoque ordinis memorati Sedem prædictam iteratis vicibus, interpolatisque temporibus adiere, tenente locum ejusdem clavigeri, felicis recordationis Martino V. ac postmodum Eugenio IV. & deinde Nicolao V. Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris.

Sed claræ memoriæ Johannes Castellæ & Legionis, ac Alphonsus Aragonum, Reges illustres, multique alii Ecclesiarum Prælati, ac viri nobiles sæculares, Universitates quoque studiorum ac civitatum, necnon dilectus filius Martialis Auribelli dicti ordinis generalis Magister nomine ipsius ordinis eamdem Sedem cum instantia pulsaverunt, affirmantes, quod insignis vir ipse, dum in humanis egit, vocibus prophetarum, verbisque evangelicis ita inhæsit, ut præcepta firmiter servaret divina, & consilia minime prætériret. Divinæ quoque laudis præco maximus, ac iniquitatis humanæ reprehensor fuit, delegatoque sibi prædicationis officio ita functus est, ut necessariis ad vitæ tutelam contemptis, nedum in futurum, sed nec in diem laboravit, illa veste, illo habitaculo, illo cibo contentus, quæ Deus sibi in tempore præparabat. Nullum munus, etiam oblatum, recipiebat, sed apud offerentes dimittebat, aut pauperibus erogari consulebat. Tantus in eo gratiæ fulgor apparuit, tanta Spiritus sancti abundantia in eo fuit, tot de ore prædicantis speciosissimæ veritatis pondera procedebant, ut ingentis multitudinis Judæos, in lege etiam peritissimos, qui Christum pertinaciter venisse negabant, ad fidem catholicam converteret, & efficacissimos multos ex eis prædicatores Adventus Christi, Passionis ac Resurrectionis, & pro Christi nomine mori, paratos fecit. Tanta in ipso viro divino fuit auctoritas dicendi, tantaque gravitas, ut terrenis rebus, luxuique deditos homines adeo judicii futuri timore concuteret, ut terrena dispicerent & amarent cœlestia, ac levitates & luxus omnium in Dei provocaret affectum. Omni die missam cantavit, omni die prædicavit, omni die (nisi urgens adesset necessitas) jejunavit. Consilia sancta & recta nulli denegavit, immo ultro obtulit. Carnes non comedit, vestem lineam non induit, manus super ægros frequentissime, miraculose sanitate secuta, imposuit. Mores castissimos servavit, multosque strenuos actus fecit, ubi maxime super magnis rebus populos contendentes, & regna pace composuit. Et ubi vestis inconsutilis Ecclesiæ Dei scissa conspiciebatur, ut uniretur & unita servaretur, non frustra plurimum laboravit, ac in simplicitate & humilitate ambulans, detractores, persecutoresque suos cum mansuetudine recipiebat & informabat. Per ipsum quoque divina virtus ad confirmationem suæ prædicationis & vitæ, tam per manus ipsius impositionem, quam reliquiarum suarum, vestiumque tactum, ac votorum emissionem,

CONSTIT. LXXI. A. D. 1458.

multa miracula ostendit. Spiritus namque immundos ejecit, surdis auditum, mutis loquelam restituit, cœcos illuminavit, leprosos mundavit, mortuos suscitavit, aliosque variis detentos languoribus miraculosissime liberavit.

Quorum omnium efficax assertio fuit, quod idem Nicolaus prædecessor plene de fama fidei & excellentia vitæ, atque miraculorum ipsius informatus, volens ad ulteriora procedere juxta sanctæ Romanæ Ecclesiæ morem, venerabilibus fratribus nostris, tunc suis, Georgio Episcopo Ostiensi, & eidem Calisto prædecessori, tunc in minoribus constituto, ac Johanni sancti Angeli Diacono Cardinali, commisit, quod de veritate fidei, & excellentia vitæ, ac miraculorum gratia, se aut eorum aliquem in Curia; extra vero per judices ab eis deputandos diligenter informarent.

Qui mandatis præfati Nicolai prædecessoris obtemperantes, & in Curia nonnullis testibus examinatis, extra vero Romanam Curiam juxta potestatem eis datam, in civitate Neapolitana venerabiles fratres nostros Patriarcham Alexandrinum, Archiepiscopum Neapolitanum & Episcopum Majoricensem, ibidem commorantes, in partibus Delphinatus Vasionensem & Uticensem Episcopos, ac dilectos filios officialem Avenionensem & Decanum Ecclesiæ sancti Petri Avenionensem; in Regno Franciæ Archiepiscopum Tolosanum, Episcopum Mirapicensem ac eorum officiales; in Britannia vero Dolensem & Macloviensem Episcopos, necnon sancti Jacuti & Debusani Dolensis & Nannetensis diœcesis Abbates, ac Nannetensis & Venetensis officiales subdelegarunt. Qui juxta tenorem potestatis, eis per commissarios traditæ, testes examinarunt, & dicta ipsorum in scriptis redacta, clausa cum subscriptione notariorum & sigillis eorum, ad Curiam transmiserunt; & tandem per eosdem Cardinales commissarios inspectis, recognitis ac visis diligenter processibus, inventum est, quod in civitate Neapoli viginti octo, in Avenionensi, & circumvicinis partibus decem & octo, in Regno Franciæ, videlicet Tolosana quadraginta octo, in Britannia vero trecenti & decem testes examinati, inter quos nonnulli S. R. E. Cardinales, multi Episcopi, & Ecclesiarum Prælati, Rex Aragonum præfatus, plurimique alii ex statu regulari viri nobiles, pluresque alii Legum, Artium ac sacræ Theologiæ Baccalaurei, Licentiati, Doctores ac Magistri extiterunt.

Ac postquam dictus Nicolaus prædecessor rebus fuerat humanis exemptus, piæ memoriæ Calistus Papa III. prædecessor noster, dudum ante in minoribus constitutus, & unus ex commissariis antedictis, ad apicem summi Apostolatus assumptus, dilectum filium nostrum Alanum Tituli sanctæ Praxedis sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyterum Cardinalem loco sui in hujusmodi negocio deputavit delegatum;

Et facta eidem Calisto prædecessori per præfatos commissarios relatione fideli in duobus secretis consistoriis de dictis testium examinatorum, reperit omnia, quæ de fide, de excellentia vitæ, de laboribus, moribus castis, de actibus strenuis, de humilitate & simplicitate ac miraculis ipsius Vincentii dicta fuere, legitime probata. Ideoque de consilio venerabilium fratrum nostrorum, tunc ejusdem S. R. E. Cardinalium, ad ulteriora in canonizatione ejusdem Vincentii procedendum esse decrevit, & deinde ex more, dicta ipsorum testium fecit in duobus consistoriis generalibus publice recitari, ac postea vocatis eisdem Cardinalibus & Prælatis, qui in Curia aderant, omnes, nemine discrepante,

con-

consuluerunt ad canonizationem dicti Vincentii esse merito procedendum. CONSTIT. LXXI. A.D. 1458.

Idem quoque Calistus prædecessor dicta die, videlicet tertia Junii, pontificatus sui anno primo in ipsorum Cardinalium & Prælatorum præsentia de ipsorum omnium consensu unanimi pronunciavit atque decrevit, Vincentium præfatum esse canonizandum: quod publice & solemniter faciendum in festo Apostolorum Petri & Pauli proxime sequenti, videlicet tertio Kalendas Junii, pontificatus ejusdem anno prædicto statuit & etiam ordinavit.

Postmodum vero dictus Calistus prædecessor die solemnitatis Apostolorum, hujusmodi, ut præfertur, adveniente, tam ex vitæ excellentia, quam miraculorum coruscatione, necnon vera notitia, quam de ipso Vincentio, tunc vivente, habuerat,eum virum comperit assecutum fuisse gratiam, quam Deus omnipotens sanctis & electis suis concessit, & consimilia signa ex eo consecuta fuisse, quæ ad cognoscendum fideles, ac Dei ministros. Veritas in suo evangelio demonstravit, pro suæ informatione Ecclesiæ, ne posset errare, sic inquiens: *Signa autem eos, qui crediderint hæc sequentur, in nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, super ægros manus imponent, & bene habebunt.* Marc. XVI. 17. Ea propter eum auctoritate Apostolica canonizavit, & literarum suarum (si desuper confectæ fuissent) tenore Sanctorum catalogo adscribendum esse decrevit.

Universos & singulos, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, ceterosque Ecclesiarum Prælatos monuit, & attente hortatus est, eis nihilominus injungendo, quod octavo idus Aprilis festum ejusdem sancti Vincentii, sicuti de uno confessore non pontifice, annis singulis, devote & solemniter celebrarent ac facerent a suis subditis devotione congrua celebrari; & etiam venerari, ut pia ejus intercessione a noxiis protegi, & sempiterna gaudia valerent adipisci.

Miracula vero, quæ Deus per eumdem Sanctum fecerat, propter eorum multitudinem, nec modum literarum, si, ut præfertur, confectæ fuissent, egrederentur, duxit silentio prætereunda, mandans processus omnes super illis habitos in Ecclesia domus sanctæ Mariæ super Minervam de Urbe dicti ordinis ad perpetuam rei memoriam custodiri, & illorum copiam volentibus exhiberi, ac etiam in officio ipsius Sancti viri, quoad fieri posset, latius declarari.

Ceterum Calistus prædecessor præfatus, ut ad tanti Confessoris venerabile sepulcrum & Ecclesias,in quibus de eo festivitas celebraretur, eo devotius & affluentius fidelium conflueret multitudo, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui reverenter ac devote ad prædictum sepulcrum & Ecclesiam in eodem festo annuatim accederent ipsius suffragia petituri, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, auctoritate confisus, septem annos & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxavit.

Ne autem pro eo, quod super canonizationes, & aliis præmissis,ejusdem prædecessoris literæ, ejus superveniente obitu minime confectæ fuerunt, in posterum valeat de hujusmodi canonizatione, & aliis præmissis quomodolibet hæsitari, licet ea in basilica principis Apostolorum de Urbe, eisdem Cardinalibus, Prælatis, & multitudine populi circumstantibus, fuerit publicata, volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, quod canonizatio, & alia præmissa, a dicta die, videlicet

CONSTIT. LXXII. A. D. 1461.

tertio Kalendas Julii plenarium sortiantur effectum, ac si sub ipsius diei data ejusdem prædecessoris literæ confectæ fuissent, prout superius enarratur: quodque præsentes literæ ad probandum plene canonizationem ipsam, & omnia alia prædicta ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinquagesimo octavo, Kalendis Octobris, pontificatus nostri anno primo.

NOTA.

Has Apostolicas literas damus ex Cherubino, mendis tamen purgatas, quum eas prætererint Bollandi ani, de Sancto viro fuse agentes tomo 1. Aprilis pag. 477.

LXXII.

IDEM

PIUS. II

Sanctarum virginum canoni adscribit B. Catharinam, Senensem in Tuscia, ordinis Prædicatorum, quæ obiit die xxx. Aprilis A. D. 1380.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Universis Christifidelibus salutem & Apostolicam benedictionem.

CONST. LXXII. A. D. 1461.

Misericordias Domini, quas in dies largius experimur, non satis explicare potest lingua mortalis. Vincunt humana eloquia divina beneficia; nec homini datum est Creatorem suum abunde collaudare, nec si omnes artus converterentur in linguas [explicare] quomodo ex nihilo creati, de non esse producti sumus in esse, nec vel lapides, vel plantæ, vel animalia bruta; sed rationis participes, divinorumque capaces effecti sumus; ac non solum Angelis, sed ipsi quodammodo invisibili & excelso Deo similes, gloria & honore coronati, super omnia opera ejus imperio potiti. Verum si nos ipsos rebus ceteris comparamus, nulla creatura magis ingrata reperta est, quam homo. Si Luciferi & sociorum ejus superbiam præterimus, solus inter creata rebellis Deo & ingratissimus homo est. Reliqua omnia divinam pietatem in suo esse collaudant, nec ejus unquam præceptis adver-

adversantur; naturæ legibus parent, & ea peragunt, ad quæ producta sunt. Terra aratrum patitur, & suscipiens semina, tamquam sub usuris multiplicata reddit, & imperio Dei obediens culta atque inculta humano generi consulit. Saxa in ædificiorum usum recepta, præsto adsunt, nec scissa vel excocta resistunt. Fructificant arbores in agro virentes, & posteaquam aruerunt, aut ignem nutriunt, aut ædes tectaque sustinent. Quanta herbarum sive in foliis, sive in radicibus, sive in floribus, sive in seminibus, sive in succis inest utilitas! Quanta in fluminibus commoditas! Quanta in lacubus ac maribus, quæ dum navigia subeunt, inter remotissimas gentes commercia præstant! Quid animalia cetera, sive aquatica, sive terrestria? In omnibus laudatur Deus, dum naturæ jussa capessunt. Elementa & sidera faciunt imperata, sol peragit cursum suum, nec præscriptas zodiaci metas excedit; nec alieno lucens lumine, suo muneri luna deest; nec errantes errant stellæ, certum semper & statutum iter agentes. Omnia in cœlo & in terra laudant Deum, & in officio manentia benedicunt ei, nec legi resistunt impositæ. Gravia deorsum cadunt, levia sursum feruntur; cuncta gratitudinem ostendunt Deo, atque parent naturæ.

Solus homo ingratus, inobediens ac rebellis inter creata repertus est, perversi Angeli ruinam imitatus. Ille in cœlo superbiens, Creatorique similis esse cupiens, in abyssum præcipitatus, meditati sceleris pœnas dedit. Homo de limo factus & in terra positus, suæ imbecillitatis immemor, & ipse quoque alta cupere cœpit, qui de ligno vescens prohibito, per boni & mali cognitionem æqualitatem cum Diis optavit, propter quod de paradiso deliciarum ejectus, in multas ærumnas datus est; & porta regni cœlorum clausa, mors introivit in orbem terrarum, quæ nulli hominum parceret. Quantum filii Adæ ante diluvium aberraverint, & quam procul a divina voluntate recesserint, secuta ultio patefecit, quæ omnem carnem aquarum inundatione delevit, ea excepta, quæ cum pio Noe in arca salvata est. Ceterum neque in filiis ejus nequitia ac perfidia defuit: malignati & ipsi sunt, & in omne prolapsi nefas. Turris Babel in contumeliam Domini cœpta est,& ibi labium universæ terræ divisum. Ab his bella introducta sunt, rapinæ, tumultus, incendia, cædes, adulteria, stupra, perjuria & idolorum cultus, & quidquid malorum libido aut superbia gignit. Paucissimi usque ad Abraham reperti sunt divinæ legis amatores; ille vero, unicum certumque pietatis exemplum, adeo voluntati Dei sese submisit, ut proprium filium immolare non dubitaret. Propter quod in semine ejus benedictæ sunt omnes gentes, ex cujus liberis non solum Prophetæ orti sunt divinæ legis prædicatores; sed ipse quoque Salvator Christus secundum carnem nasci dignatus est, qui pro salute humani generis, *cum in forma Dei esset* æqualis Patri, *exinanivit semetipsum, formam servi accipiens*, & homo factus, tædia carnis subiit, tormenta & cruciatus pertulit, & extremam mortem non secundum naturam, sed violentam, sed ignominiosam, sed acerbissimam, & vix homini tolerabilem in ligno crucis sustinuit, in quo moriens mortem nostram destruxit, & vitam reparavit; despoliavit inferos, abduxit sanctos Patres, & victor mortis ac diaboli triumphator, cœlum jam longo tempore clausum aperiens, ascendit ad Patrem, nobisque viam ostendit, per quam sequi eum possemus, evangelica lege tradita, & baptismo ceterisque sacramentis apertis, per quæ lapsi repararemur & salvaremur. *Phil. II. 7.*

Nec

CONSTIT. LXXII. A. D. 1461. Nec tamen tot tantisque allecta beneficiis nostra protervitas ac malignitas conquievit, nec gratum exhibuit animum, nec vitia deseruit homo, sed quo majori præventi sumus munere gratiarum, eo magis ingrati reperimur, & ad illicita procliviores; nam quomodo sublimem diligimus aut honoramus Deum? Quomodo ejus mandata servamus? Quis sacrosancto Evangelio paret? Quæ reverentia legum? Quis canonum metus? Quæ subjectio erga superiores? Quæ caritas erga inferiores? Quis æquitatis? Quis justitiæ cultus? Quæ religio? Qui mores hominum sunt, qui dicunt in cordibus suis, *non est Deus*? Alii impia efferunt dogmata, & blasphemias in Deum cudunt; alii voluptatum servi nil aliud cogitant, nisi quomodo libidines suas expleant; alii opibus inhiant alienis, alii humanum sanguinem sitiunt. Rara innocentia est, eaque parum tuta. Neque propinquitatis jura prosunt, neque scriptæ sanctæque moribus leges. Viribus & fraudibus cuncta obediunt, itaut neque abs re *princeps mundi* hujus appelletur diabolus, quando pars orbis major ejus arbitrio ducitur. Nam quantum est, quod pseudoprophetæ Mahumetis insania possidet? Orientis præcipuam portionem, & Africæ maxima regna; & in Hispania Granatenses, & in Græcia multæ provinciæ sub Mahumete Christum blasphemant. Nec parva est Judæorum natio, per orbem terrarum late dispersa, sancti Evangelii & Christianæ legis inimica: nec desunt in Septentrione atque in Oriente cultores idolorum. In angulum Europæ Christianitas redacta est; nam quamvis per Asiam ac Libyam Christiani non pauci dispersi esse ferantur, non tamen illorum sincera est fides, qui procul ab Apostolica Sede inter infideles habitantes, & cum hæreticis communicantes, improba quædam sapiunt, & multis erroribus scatent. Nec Christiani, qui sunt in Europa, tam re, quam nomine Christiani existunt. Adumbrata quidem & ficta est multorum religio, sicut opera ipsa manifestant. Nam quotus est, qui digna Christiano faciat opera? *A fructibus eorum cognoscetis eos*, inquit in Evangelio Dominus. Si vivimus, ut Christus jubet, Christiani sumus. Johannes Apostolus ejus filios esse homines asserit, cujus opera faciunt. Si Dei mandata servamus, Dei proculdubio filii sumus; sin diaboli, ad eum pertinemus, dicente Domino: *Vos ex patre diabolo estis*. Dura sententia, & tamen vera. Illius quisque filius est, & ad eum pertinet, cujus mandata sectatur. Quantum autem ingrati Christiani a divinis præceptionibus procul abierint, & quantum diabolicis suggestionibus adhæserint, per sese quisque intelligit. Interroget quisque conscientiam suam, & retroactam ante oculos mentis vitam collocet: & quantum ab officio veri Christiani recesserit, palam cognoscet. Quæ cum ita sint, maxima est summi Dei benignitas & incredibilis misericordia, quæ nos tolerat & vivere sinit, expectans, ut aliquando conversi redeamus in viam.

Psal. XIII. 1.

Matth. VII. 16.

Jo. VIII. 44.

Sed inventi sunt in omni ætate nonnulli Deo placentes viri Sancti, qui viventes in carne, desideria carnis vicerunt, & cœlestem in terra vitam egerunt, quorum meritis & intercessione sustentata est mundi machina, & comminatus ignis retentus, & ira Dei ultioque suspensa. Nec dubitamus, quin hodie quoque aliqui sint accepti Deo, quorum preces cœlestem nobis Regem placatum benignumque reddant. Inter alios autem, qui Deo placuerunt, & divinam nobis clementiam placaverunt, urbs Senæ inter Etruscos nobilis, ætate nostra Bernardinum aluit, qui nobili loco natus, in adolescentiæ flore mundo renunciavit, & ingressus beati Francisci religionem,

cum

cum Fratres sui ordinis procul abiisse ab institutis & regula Patris reperisset, eos acriter correxit: & cum eos omnes in viam reducere non posset, sequestratis pluribus, quibus regulam reservare placuit, cum his cœnobia frequentavit, quammulta de novo construxit, & sanctissimis institutis reformavit. Circuivit Italiam prædicando, vitia fulminavit, virtutes erexit. Mira ejus abstinentia fuit, mira integritas, moderata gravitas, eloquii multa suavitas, multa doctrina. Et quoniam verus erat paupertatis cultor, hostis pecuniæ, & omnium deliciarum inimicus; semper in ejus vultu ingens alacritas emicuit, & in mente summa quies, ut qui sola innocentia gaudebat, nullius sibi conscius criminis. Scandalis quampluribus in Italia obviavit, & multa miracula perpetravit, propter quæ adhuc vivens, *Sanctus* habebatur, & miro plebium colebatur honore, nusquam sine populi frequentia & singulari reverentia receptus. Qui cum apud Aquilam, Marsorum urbem, hujus vitæ cursum peregisset, a Nicolao V. prædecessore nostro ipso Jubilei anno, cum Christianus orbis ad purgandas vitiorum sordes frequens urbem inviseret, inter Sanctos Christi Confessores relatus est.

CONSTIT. LXXII.
A. D. 1461.

Fuerat & in ætate superiori parentum nostrorum memoria in eadem Urbe, & in sexu femineo virgo Catharina, non minoris meriti, nec minus accepta Deo: cujus preces in conspectu præcelsæ divinitatis, humano generi admodum salutares & olim fuisse, & nunc esse, & in posterum fore, non dubitamus. Nam sicut peccata malorum hominum ac blasphemiæ iram Dei super nos provocant, ita & Sanctorum opera, rogaminaque avertunt. Verum Catharina, quamvis Angelicam vitam in terris egerit, & ante annos octoginta decedens, ad cœlum migraverit, multisque signis & gloriosis miraculis claruerit, non tamen adhuc inter Sanctas Christi virgines a militante Ecclesia recepta erat: neque enim Romani Pontifices, qui ante nos fuerunt, id decreverant. Voluerat Urbanus VI. hunc ei honorem impertiri, & post eum Innocentius VII. ac deinde Gregorius XII. qui hujus Virginis, & sanctæ conversationis ejus præcipuam habuere notitiam. Sed vexati perturbatione schismatis, quod eorum tempore viguit, & multis bellorum turbinibus ac molestiis agitati, divino (ut diximus) consilio id omiserunt, ne sæviente divisionis procella, quod Sanctum una obedientia decrevisset, prophanum altera censuisset. Dilata est res usque ad tempora nostra, nobisque hujus sacerrimæ Virginis canonizatio reservata, tamquam conterraneæ nostræ atque concivis, ut Senensis virginis sanctitas decreto Senensis hominis, in Romana Sede sedentis, prodiret in lucem: in qua re non imus inficias, affectum non aliquem sanctum & pium traxisse. Quis est enim, qui suæ urbis præconia, suæ patriæ laudes, sui generis virtutes non libenter vulgari procuret, cum id possit rite & honeste facere? Excellentia facta & illustres virtute homines, & in omni genere, & in omni parte orbis nemo est, qui non cupidum præconizandi affectum habere videatur, libentius tamen & majori cum jucunditate sua in patria & in sua gente. Et si nos quidem beatæ Catharinæ sublimes dotes, nobile ingenium, divinam mentem, sacratissimam voluntatem in omni natione quamlætissimi vidissemus, lætiores tamen in urbe Senensi, quæ nos genuit. Siquidem meritorum ejus longe magis & magis peculiariter esse confidimus participes, quam si Virgo hæc aut in Africa, aut in Scythia, aut in India nata fuisset. Neque enim fieri potest, quin Sanctorum propinquitas aliquid habeat prærogativæ. Nihil

CONSTIT. LXXII. A. D. 1461.

Nihil tamen ob hanc causam plus, minusve dicere licet, quam verum est: nec propter cognationem, aut patriæ caritatem inter Sanctos quisquam sine meritis, sine solito examine, sine consuetis solemnitatibus referendus est. Quapropter etsi jucunde audivimus, beatam Catharinam, Senensem esse, cujus canonizatio petebatur; non tamen in ejus canonizatione quidquam omisimus ex his, quæ tanta in solemnitate requiruntur. Aderant multæ preces non modo Senensis populi, verumetiam aliorum. Nam & carissimus in Christo filius Fridericus Romanorum Imperator Augustus, simulqne dilectus filius nobilis vir Paschalis Venetiarum Dux nobis supplicavit, ne hanc Virginem suo in terris honore privatam ulterius esse sineremus, in quam multorum populorum devotio esset incensa, & multa de ipsa miracula vulgarentur. Mantuam vero petentes, cum inter eundum apud Senenses aliquandiu supersedissemus; & ibi in consistorio publico ingentia ejus merita & miraculosa signa nobis essent exposita, vehementesque preces porrectæ, ut Sanctorum Christi honores illi decerneremus; haud quaquam statim annuimus; sed pro veteri consuetudine tribus ex Fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, uni Episcopo, alteri Presbytero, reliquo Decano vivæ vocis oraculo commisimus, ut debitis habitis processibus de vita & moribus ipsius Catharinæ, deque miraculis ejus sive in vita, sive post mortem patratis, & de reliquis ad canonizationem necessariis, diligenter inquirerent; nobisque in secreto consistorio, ut moris est, fidelem relationem facerent. Commissarii per annum & ultra donec ex Mantua Romam redissemus, rem discutientes, inventis processibus antiquis, apud Venetos & alibi habitis, examinatisque de novo testibus, & summa cum diligentia cunctis ponderatis, cum seorsum inter Cardinales tantum, omnium quæ invenerant, veracem nobis relationem fecissent; ac dein per advocatum ea, quæ nobis exposuerant, in publico consistorio denuo recitari curassent; postremo convocatis in aula nostra Romæ universis, qui secum erant in curia, Ecclesiarum præsulibus, assistentibus nobis Cardinalibus, iterum commissarii præfati per organum venerabilis fratris nostri Guillelmi Episcopi Ostuensis, natione Gallici, qui primus eorum erat, rursus cuncta, quæ invenerant, & rite probata videbantur, coram explicaverunt: ex quorum relatione, quæ amplissima & ornatissima fuit, hæc summatim accepimus, quæ vera comperta, cognita & explorata sunt.

Virgo Catharina ex civitate Senensi oriunda, mediocribus orta parentibus, prius Deo sese dedicavit, quam Deum posset per ætatem cognoscere. Sex annos nata, ut Domino serviret, eremum concupivit, & urbe egressa, in caverna, loco solitario, delituit, quamvis jubente spiritu, paululum demorata, domum redierit. Angelicam salutationem edocta, quoties paternæ domus scalam ascendit; toties per singulos gradus flexo geniculo beatissimam Virginem matrem Domini salutavit. Et anno currente ætatis suæ septimo virginitatem suam consecravit Christo: quem sua in majestate sedentem mirabili visione contemplata est, & arcana cœlestis aulæ vidit, quæ non potest effari lingua mortalis. Mundanas delicias a se omnes abdicavit. Orationi totam se dedit, corpusculum suum vigiliis, jejuniis ac verberibus afflixit. Coæquales puellas, ut idem facerent & docuit, & persuasit. Pubes effecta, scissis crinibus, mortale conjugium recusavit. Convicia & maledicta hominum sprevit. Beati Dominici habitum, quem

quem feminæ gestant, de pœnitentia nuncupatæ, extorsit, protinusque impetravit. Ancillare officium in paterna domo exercuit, nihil magis cupiens, quam vilis apud homines & abjecta videri. Pauperibus Christi (nam id pater ei indulserat) larga manu subvenit. Ægrotantibus summa diligentia ministravit. Diabolicas tentationes & assiduas malignantium spirituum pugnas patientiæ clypeo & fidei galea superavit. Incarceratos & oppressos, quibus valuit modis, consolata est. Nullum ab ea verbum non religiosum, non sanctum excidit. Omnis sermo ejus, de moribus fuit, de religione, de pietate, de contemptu mundi, de amore Dei & proximi, de cœlesti patria. Nemo ad eam accessit, qui non doctior meliorque abierit. Doctrina ejus infusa, non acquisita, fuit. Prius magistra visa est, quam discipula: quippe quæ sacrarum literarum professoribus, ipsisque magnarum Ecclesiarum Episcopis, difficillimas de divinitate quæstiones propouentibus, prudentissime respondit, & adeo satisfecit, ut tamquam agnos mansuefactos remiserit, quos tamquam lupos ac leones feroces acceperat; quorum nonnulli, divinam in virgine sapientiam admirati, distributis mox inter Christi pauperes, quas possidebant, substantiis, accepta Domini cruce, vitam deinde evangelicam egerunt. CONSTIT. LXXII. A. D. 1461.

Summa hujus Virginis abstinentia fuit, & admirabilis vitæ austeritas: nam cum vini & carnium usum prorsus abjecisset, nec pulmentariis ullis uteretur, ad extremum eo deducta est, ut nec legumina ederet, nec pane vesceretur, nisi cœlesti, quem verus Christianus in sacramento sumit altaris. Inventa est aliquando a die Cinerum usque ad Ascensionem Domini jejunium perduxisse, sola Eucharistiæ communione contenta. Per annos circiter octo minimo herbarum succo, eoque parum retento, & Communione sacra sustentata est. Ad cibum, quasi ad supplicium, pergebat. Ad communionem altaris, quæ illi fere quotidiana fuit, quasi ad cœlestes nuptias invitata esset, summa cum alacritate proficiscebatur. Cilicio sub veste utebatur, quo carnem macerabat. Nullæ illi plumæ, nulla pulvinaria erant. Lectum sibi ex tabulis confecerat: atque in eo jacens, brevissimum somnum accipiebat: raro enim ultra duas horas interdiu noctuque dormiebat. Reliquum omne tempus, vigilando, orando, prædicando, opera misericordiæ agendo, contrivit. Spissis cordulis carnem suam maceravit; dolore capitis pene assiduo torquebatur. Æstuabat febribus; nec aliorum diversorum morborum cruciatu car. bat. Luctabatur quamfrequentissime cum dæmonibus, multisque illorum molestiis vexabatur: sed ajebat cum Apostolo: *Cum infirmor, tunc fortior sum*: nec enim in tantis laboribus deficiebat, nec caritatis opera negligebat. Assistebat miseris indigna ferentibus. Arguebat peccatores, & blandissimis verbis ad pœnitentiam revocabat. Præcepta salutis omnibus læta dabat. Quid sectandum, quid fugiendum esset, alacri vultu ostendebat. Dissidentes summo studio componebat. Multa extinxit odia, & mortales sedavit inimicitias. Pro pace Florentinorum, qui cum Ecclesia dissidebant interdicto suppositi ecclesiastico, Apenninum & Alpes transire, atque usque in Avenionem ad Gregorium XI. Pontificem maximum, antecessorem nostrum, proficisci non dubitavit: cui votum suum de petenda urbe Roma, in oculto factum, & sibi soli ac Deo notum, sese divinitus cognovisse monstravit. Fuit enim in ea spiritus prophetiæ, & multa prædixit antequam fierent, & ocultissima revelavit. Rapiebatur sæpe a spiritu, & in aere suspensa divinis contemplationibus pascebatur, 2. Cor. XII. 10.

CONSTIT. LXXII.

A. D. 1461.

adeo extra se, ut expuncta percussaque nihil omnino sentiret: idque frequenter ei contingebat, cum divinissima reficeretur Eucharistia.

Magnum & sanctum erat in plebibus Catharinæ nomen, & undique ad eam ægroti, & malignis vexati spiritibus deducebantur, & multi curabantur. Languoribus & febribus in Christi nomine imperabat, & dæmones cogebat ab obsessis abire corporibus: propter quas res duobus Romanis Pontificibus Gregorio XI. cujus paulo ante meminimus, & Urbano VI. acceptissima fuit, adeout legationibus eorum fungeretur, multisque & magnis spiritualibus gratiis ab eis donaretur. Eadem cum vitæ agonem jam peregisset, anno ætatis suæ tertio circiter ac trigesimo in urbe Roma diem suum clausit, de cujus animæ in cœlum assumptione & gloriosa receptione stupendæ ac mirabiles revelationes factæ reperiuntur apud eas personas, quæ Virginem dilexerunt; maxime vero apud ejus confessorem Raymundum Capuanensem, sacræ Theologiæ magistrum, qui postea generalis totius ordinis Prædicatorum Pater, magister & rector effectus est. Is namque cum Januæ ageret ea nocte, qua Virgo migravit, hora matutina intra dormitorium apud imaginem matris Domini eam contemplatus est miro splendore fulgentem, & verba ad se consolatoria dicentem. Corpus ejus aliquamdiu servatum, denique in Ecclesia Fratrum Prædicatorum, quæ de Minerva dicitur, Romæ conditum est non sine magna populi devotione ac reverentia: cujus tactu plerique ægroti salutem consecuti sunt adeo, ut nonnullis saluti fuerit ea tetigisse, quæ sacrata Virginis membra tetigere. Postea quoque Virgo ipsa, jam cœlo recepta, vota supplicantium benigne audivit, & ut a Sponso & Domino Christo suo Salvatore exaudirentur, curavit. Multi enim ex diversis ægritudinibus curati sunt, qui audita beatæ Catharinæ gloriosissima fama, ejus patrocinium supplices petivere. Propterea Venetiis, ubi numquam Virgo ipsa fuerat, & multis in locis nomen ejus cum veneratione receptum est, & vota ei plurima fiunt.

Hæc & alia quamplurima cum venerabilis frater noster Episcopus Portuensis in conventu Cardinalium & Præsulum exposuisset, & liquido probata esse affirmasset; rogati singulatim tum omnes Cardinales, cum Præsules, qui plurimi affuerunt, sententiam dicere; totis suffragiis, beata Virgo digna cœlo & astris declamanda visa est; nec quisquam fuit, qui non magnopere canonizationem ejus faciendam probaverit. Quibus ad longum auditis, jussimus in basilica beati Petri Apostolorum principis suggestum magnum & ornatum apparari, super quo hodie adstante populo & clero, sermone de vita & miraculis hujus Virginis per nos habito, missarum solemnibus celebratis, & consuetis cœremoniis rite peractis, ad canonizationem hujus Virginis sub his verbis duximus procedendum. Ad honorem omnipotentis & æterni Dei, Patris & Filii & Spiritus sancti, ad exaltationem fidei catholicæ & Christianæ religionis augmentum, auctoritate Domini nostri Jesu Christi, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus ac nostra, Catharinam Senensem, illustris & indelebilis memoriæ Virginem, cujus corpus in Ecclesia Prædicatorum, quæ Minerva dicitur, Romæ jacet, in cœlesti Jerusalem inter beatarum Virginum choros, quando id ejus virtus, divina suffragante gratia, meruit, jampridem fuisse receptam, & æternæ gloriæ corona donatam, de fratrum nostrorum consilio declaramus; eamque, tamquam sanctam, publice privatimque colendam esse decernimus & definimus, atque in Sanctarum catalogo Virginum, quas Roma-

Romana veneratur Ecclesia, redigi & adscribi mandamus, statuentes festum ejus singulis annis prima mensis Maji Dominica die ab universali Ecclesia celebrandum esse, & omnes illi honores præstandos, qui ceteris sanctis Virginibus convenire noscuntur. Et insuper sepulcrum ejus in ipso festo visitantibus septem annos & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta misericorditer in perpetuum relaxamus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginarum nostrarum declarationis, constitutionis, mandati, statuti & relaxationis ordinationem infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hæc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo sexagesimo primo, tertio Kalendas Julii, pontificatus nostri anno tertio.

N O T A.

Seculo XIV. duæ sanctissimæ feminæ, divino spiritu afflatæ, superos atque homines in sui admirationem traxerunt. Catharina virgo Senensis, & Brigitta vidua Sveca; utraque excelsis virtutibus, utraque scriptis operibus clara. De Brigitta superius ad Constit. LXVII. paucula diximus. Non enim brevium Notarum conscribendarum institutum patitur, ut in his multa dicantur. Ibidem quoque Brigittæ Revelationum editionem Romanam reliquarum præstantissimam cum recognitione & approbatione Cardinalis Johannis a Turrecremata, cumque notis Gonsalvi Duranti, Episcopi Feretrani, jam indicavimus. Nunc de sanctæ Catharinæ scriptis plurima dici possent, si hujus loci esset ea singulatim recensere. Non solum enim Italice, sed Gallice & Latine variis in partibus prodierunt, eaque non ita dudum in tomos quinque distincta Senis edi inchoaverant, sed quatuor tantum visi sunt, quorum secundus & tertius epistolas graves & pietatis plenas ad Pontifices, Cardinales, Reges, Principes, aliosque comprehendit, notis a Friderico Burlamacchio presbytero Jesuita illustratas. Hæc Catharinæ scripta summus Christi Vicarius Pius II. comprobavit in his ipsis literis decretalibus, quas damus, quæque leguntur apud Bzovium A. D. 1370. §. XX. Raynaldum A. D. 1461. §. 124. & apud socios Bollandianos tomo III. Aprilis pag. 993. De spectatissima Virgine præ aliis fuse agentes videndi sunt iidem socii pag. 851. & Raynaldus tomo XVII.

CONSTIT. LXXIII.
A. D. 1481.

LXXIII.

XYSTUS. IV

Elogium *Sanctorum Martyrum* tribuit Beatis Berardo, Petro, Ottoni, Accursio, & Adjuto, ordinis Fratrum Minorum, qui pro Christo occubuerunt in Mauritania die XVI. Januarii A. D. 1220.

XYSTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Universis Fratribus ordinis Minorum dilectis filiis, ubicumque morantibus seu moraturis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Const. LXXIII. A. D. 1481.

CUM alias animo revolueremus merita beatorum Martyrum Berardi, Petri, Ottonis, Accursii & Adjuti, qui ex ordine Fratrum Minorum (sub quo & nos coaluimus) fuerunt, qui post multa tormenta sub Rege Marochiorum pro Christo mortem subierunt, & martyrii palmam gloriose promerentes, plurimis miraculis in ipsa morte, & post claruerunt; ex quo incensus beatus Antonius de Padua ex ordine Canonicorum regularium, in quo tunc erat, ad ordinem ipsum Fratrum Minorum se legitur transtulisse; concessimus ex auctoritate Apostolica & benignitate, vivæ vocis oraculo, ut Fratres prædicti ordinis Minorum possint publice & solemniter celebrare in suis Ecclesiis missas & horarum officium de supra memoratis sanctis Martyribus. Verum cum frequenter adversarius humani generis nitatur bona & sancta opera perturbare; ne tam divinum & pium opus possit aliquis in posterum impedire, tenore præsentium ex certa nostra scientia, auctoritate Apostolica concedimus, quod prædicti Fratres Minores ubique solemniter & publice officium plurimorum Martyrum pro ipsis Berardo, Petro, Accursio, Adjuto & Othone sub officio duplici majore, ac etiam decimo sexto Januarii, qua die ab hoc sæculo per martyrium decesserunt, libere, ac cum sana & serena conscientia dicere ac celebrare possint, inhibentes præfata Apostolica auctoritate, ne quis huic nostræ concessioni audeat se opponere, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Præterea quia difficile esset, præsens Breve ad omnia loca deferri, volumus, ut illius transsumpto, alicujus publici notarii manu subscripto, & sigillo Generalis dicti ordinis, vel Vicarii generalis Fratrum Minorum de observantia munito ea prorsus fides adhi-

adhibeatur, quæ adhiberetur, si idem præsens Breve originaliter ostenderetur. CONSTIT. LXXIV.

Datum Romæ apud sanctum Petrum sub anulo piscatoris die septimo Augusti, anno Domini MCCCCLXXXI. pontificatus nostri anno decimo. A. D. 1481.

N O T A.

De his martyribus consulatur VVaddingus tomo I. pag. 241. Raynaldus A. D. 1481. §. 41. & Johannes Bollandus tomo II. Januarii pag. 62.

L X X I V.

I D E M

X Y S T U S . IV

Sanctorum confessorum pontificum canoni adscribit B. BONAVENTURAM, Balneoregiensem in Tuscia Suburbicaria, ordinis Fratrum Minorum, & Episcopum Cardinalem Albanensem, qui obiit die XIV. Julii A. D. 1274.

XYSTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Superna cœlestis patria, civitas Jerusalem, *cujus participatio ejus in idipsum*; ita omnium electorum salvatione lætatur, ut quorum præstantiora sunt merita, copiosiora etiam sumat gaudia præmiorum: quod in excessu mentis suæ positus Isaias Propheta sensisse videtur, cum diceret, *Exsulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus*. Exsultent igitur omnium Angelorum chori, qui de vacuarum sedium habitatione soliciti, conantur de virtute in virtutem ad beatas illas mansiones, unde superbi ruerunt spiritus, [nos] humilitate perducere. Exsultent quoque omnes animæ justorum, qui Christi vestigia sunt secuti; atque omnes, tam veteris, quam novi Testamenti fideles, amici Dei, qui contemptis hujus sæculi vanitatibus, concivium numerositate congaudent. Exsultet cœlum laudibus, resultet terra gaudiis, quoniam Sanctorum editio lætitiam habet plurimorum. Valde enim pietas fidei exigit, ut quod pro salute multorum geritur, communibus ubique gaudiis celebretur. Præcipue vero exsultet Pontificum cœtus beatorum, & sacra Doctorum concio, qui fulgent in cœlo, tamquam stellæ in

CONST. LXXIV. A. D. 1482. Psal. CXXI. 3. Isa. XII. 6.

CONSTIT. LXXIV. A. D. 1482. in perpetuas æternitates: quos inter sanctus Bonaventura, tamquam novum sidus, ex hac lacrymarum valle ad cœlestem, quæ sursum est Jerusalem, vocante eum Domino, migrare emicuit.

Nos autem, qui, disponente Altissimo, ad culmen Apostolatus evecti, Christiani gregis curam gerimus; quem pro debito pastoralis officii, jucundo Sanctorum collegio conformare, ut debemus, intensis desideriis affectamus, Ecclesiæ militanti, pro cujus ædificatione & incremento ipsum Bonaventuram in catalogum Sanctorum referendum duximus, haud incongrue dicere possumus: *Exsulta hodie & lauda habitatio Sion*, id est, Christiana religio: in qua, tamquam in monte Sion, per veram fidem habitat verus Deus; *quoniam magnus in medio tui Sanctus*. Quippe *in medio Ecclesiæ aperuit os ejus, & implevit eum Dominus spiritu sapientiæ & intellectus, & stolam gloriæ induit eum: & coronavit ad portas paradisi*, in qua una cum Angelis gloria & felicitate lætatur. Lætemur itaque & exsultemus, quia cœlestis illa curia ex nobis habet cui sit cura de nobis, qui suis nos protegat meritis, quos informavit exemplis, illuminavit doctrinis & miraculis confirmavit: quem Deus dedit cunctis populis in gloriam & honorem, cujus memoria in benedictione est.

Isa. xii. 6.

Eccli. xv. 5.

Ea namque de divinis rebus scripsit, ut in eo Spiritus sanctus locutus videatur. Ita pie, religiose & sancte vixit, ut scriptis vita congrueret, & quod scribebat doceret exemplo: in quo morum virtus, & signorum claritas ita comperta est, ut congruentibus maximis meritis & miraculis, veræ sanctitatis testimonium a militante Ecclesia debeatur eidem. Nam cum in flore virente juventutis, humanis abjectis illecebris, divino se addixisset servitio, religionem beati Francisci (quæ per ardua tendit) ingressus, tantum sedula lectione, & assidua oratione profecit; ut cum Sapiente merito dicere posset: *Optavi, & datus est sensus*. Illuminatus enim ab eo, qui illuminat omnem sensum, qui lux, via, veritas est & vita, paucorum annorum spacio incredibilem est scientiam consecutus. Nec talentum sibi a Domino creditum sudario alligavit, aut terræ infodit, sed, ut sapientissimus dispensator, in communem utilitatem converrit. In celebri enim Parisiensi gymnasio cathedram rexit, ubi abscondita Scripturarum enucleans, non solum viva voce profuit multis, sed etiam plurima librorum optimorum, tum in sacris literis, tum in majoribus scientiis monumenta reliquit, quæ essent omni tempore posteris profutura.

Sap. vii. 7.

Magnus doctrina, non minor humilitate & vitæ meritis; quem Alexander de Hales, Doctor clarissimus (cui se in disciplinam sanctus Bonaventura tradiderat) tantæ innocentiæ ac columbinæ simplicitatis expertus est esse, ut dicere solitus fuerit; sibi videri, *quod in eo Adam numquam peccasset*. Magnus etiam in ordine Fratrum Minorum; cui unus omnium post beatum Franciscum plurimum profuit. Ad ejus enim gubernacula vocatus, & generalis Minister Domino inspirante creatus, talem se suis præbuit subditis, ut in illo dominicum illud verbum videretur impletum: *qui major est vestrum, sit minister vester*. Nam sapientia & morum integritate major prælationis officium cum tanta exercuit caritate, ut sponte humilis, nunc doctrina, nunc monitionibus, nunc exhortatione fraterna, nunc etiam corporali servitio satageret, ut bonus Christi miles, inferioribus ministrare. Nec solum quæ ab ipso beato Francisco pie & sancte fuerant instituta, diligentissime custodivit, sed multa etiam adinventa, quæ crescente Fratrum nume-

Matth. xxiii. 11.

numero necessaria videbantur, adjecit. Ordinem quoque ipsum in provincias custodiasque divisit. CONSTIT. LXXIV. A. D. 1482.

Magnus etiam dignitate in Romana fuit Ecclesia. Increbrescente enim fama innocentiæ, doctrinæ ac prudentiæ ejus; a felicis recordationis Gregorio Papa X. prædecessore nostro ad Cardinalatus vocatus est honorem; ut ejus opera in maximis difficillimisque rebus (quæ temporibus illis inciderant) uteretur. In quem Gregorius ipse ob ingentia viri merita novo est usus exemplo. Statim enim illi Albanensem commisit Ecclesiam, quæ nonnisi vetustioribus Cardinalibus solet committi. Non fefellit expectationem summi Pontificis, ac sacri Senatus optimus, Deoque amicissimus vir; sed in Concilio Lugdunensi præsidens, omniaque ad Dei laudem dirigens, sedatis discordiis, difficultatibusque sublatis, ipsi Ecclesiæ maximo usui fuit, & ornamento. Quibus rebus aperte cognoscitur, *quod statuit illi Dominus testamentum pacis, & principem fecit eum, ut sit illi sacerdotii dignitas in æternum*. Quem inanis gloria non inflavit, non divitiæ sinistrorsum egerunt; sed in fide lenitateque perseverans, pius in Deum, in pauperes misericors, justus in omnes, ita hoc corruptibile corpus exuit, ut cum Apostolo dicere posset: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ*. Act. vii. 8. 2. Tim. iv. 7.

Qui etsi ex sola perseverantia poterat sanctus credi, juxta illud: *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*; subsecuta sunt tamen post vitam multa maximaque miracula, quæ certum sanctitatis ejus præbent indicium; & nos ad ipsius venerationem inducunt, quem Deus meritis præcedentibus venerandum ostendit. Ipse enim Deus omnipotens, ut suæ virtutis potentiam manifestet, & nostræ salutis causam pandat, fideles electos suos, quos coronat in cœlis, sæpe etiam honorat in mundo, ad eorum memorias signa faciens & prodigia; quo hæretica pravitas confundatur, & fides orthodoxa servetur. Agimus igitur ipsi Deo, quantas possumus gratias, quod nos dignos duxerit, per quos hæc canonizatio celebraretur: quæ licet divinis literarum monumentis extantibus, coruscantibusque miraculis jam pridem potuerit rite fieri; numquam tamen antehac vel a principibus, vel ab aliis tanta diligentia fuit petita. Nostro tempore carissimi in Christo filii nostri Fridericus Romanorum Imperator semper Augustus, Ludovicus Francorum Christianissimus, Ferdinandus Siciliæ, & Matthias Hungariæ, Reges illustres; dilecti quoque filii nobiles viri Alphonsus Calabriæ, Johannes Mocenico Venetiarum, Johannes Galeatius Mediolani, & Johannes Borbon, Duces insignes; præterea civitates, Florentinorum, Senensium, Lugdunensium, Perusinorum, & quæ tale jubar tulit, Balneoregium, tanto studio, tantaque perseverantia petierunt a nobis, ut durum & impium putaremus, eis in re tam pia resistere, quam etiam Dei monitu petere videbantur. Accesserunt assiduæ venerabilis fratris nostri Episcopi Juliani Sabinensis, ipsius ordinis Protectoris, dilectorumque quoque filiorum Francisci Samsonis generalis Ministri, & Petri de Rodolphis Procuratoris dicti ordinis, sacræ Theologiæ professoris preces: qui nomine Generalis eorum capituli, id tamquam justum & debitum, reposcebant. Legeramus studiosissime Sancti hujus divina scripta, quibus (postquam per ætatem aliquid sapere licuit) semper fuimus delectati. Audiveramus quoque ab antiquioribus præfatæ religionis Fratribus, & gravibus viris; quod & ipsi a majoribus natu acceperant, de sanctimonia vitæ ejus. Constantem famam esse sciebamus de multis Apoc. ii. 10.

maxi-

CONSTIT. LXXIV. A. D. 1482.

maximisque miraculis : nec erat præterea apud nos dubium, quin in triumphante Ecclesia triumpharet in cœlo, & venerationem mereretur in terris.

Sed memores, nos eumdem Minorum ordinem ex voto ingressos, in quo divina assistente gratia, in sacris literis & religiosis moribus utcumque profecimus; eademque ministeriatus officia exercuimus, atque inde ad Cardinalatus dignitatem, ita ut per consimiles gradus ad pontificatus culmen sublevatos nos fuisse, disponente Domino, cognoscamus, per quos ipse Bonaventura sanctus ad triumphantis Ecclesiæ immarcescibilem gloriam evectus est; ne ad id videremur potius affectione propria, quam debita devotione moveri, eam adhibuimus diligentiam ac gravitatem, quam rei magnitudo poscebat. Commisimus enim tribus ex venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ut de veritate miraculorum mandarent inquiri. Cumque unus ex eis inchoato processu (ut Deo placuit) ab hac luce migrasset, alium in locum defuncti subrogavimus Cardinalem, quo etiam decedente, alium substituimus. Nec his contenti, cum jam processus ipse pene perfectus esset, & hi, qui delegati erant, fidelissime retulissent; tamen, quia non videbatur in procedendo tanta, quanta requiritur, observata solemnitas, illum reiterari jussimus. Demum cum ex uberiori relatione & fide dignorum testium super hoc receptione compertum fuisset, multa & magna a Deo per ipsum Sanctum miracula fieri, quæ in conspectu multitudinis cernebantur: nos, ne *Spiritui sancto resistere* videremur, qui per os Prophetæ laudare Deum *in Sanctis suis* jubet; in consistorio nostro secreto, hujus rei causa habito, eorumdem venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium vota super hujusmodi canonizatione sumus scrutati. Cumque omnium una eademque fuisset sententia, ut in Sanctorum numerum referri deberet; consistorium publicum deinde habuimus, in quo magna multitudine adstante, in triduum orationes, jejuniaque indiximus; ut Deus omnipotens nobis, quod factu optimum in hac re esset, ostendere dignaretur, nec pateretur Ecclesiam suam militantem errare, quæ se triumphanti conformare studeret. Triduo deinde elapso, omnes, qui in Romana Curia erant, Prælatos jussimus convenire; qui ad unum interrogati, quid faciendum videretur, in eamdem sententiam convenerunt, beatumque Bonaventuram canonizandum censuerunt.

Act. vii. 51. *Psal. cl. 1.*

Nos ergo Dei nutum & voluntatem sequentes, attendentesque justum ac debitum esse, ut quos Deus honorat in cœlis, nos venerationis officio laudemus & glorificemus in terris; cum ipse potius laudetur & glorificetur in illis, qui est laudabilis & gloriosus in sæcula; hunc diem canonizationis ipsius sancti Bonaventuræ in medio basilicæ principis Apostolorum de Urbe, quo maxima omnis generis ordinisque multitudo confluxerat, celebrandum statuimus. Ibi reliquis omnibus legitime peractis, ordinis Minorum Procurator in medio stans, dictum illud beati Johannis Apostoli clara voce proponens, videlicet: *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus sanctus*; probavit etiam, habito super præmissis processu, ipsas beatissimæ Trinitatis Personas testimonium, quod beatus Bonaventura in cœlo sit, præstitisse: Patrem videlicet in miraculorum potentia, Filium in doctrinæ sapientia, & Spiritum sanctum in vitæ ipsius bonitate. Et propterea non solum nominibus omnium, qui hanc ipsam canonizationem fieri supplicarunt; sed etiam ex parte individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti,

1. Jo. v. 7.

ut

ut ipsum beatum Bonaventuram, Sanctum pronunciare dignaremur, instanter, instantius, instantissime requisivit. CONSTIT. LXXIV.

Confidentes igitur, quod in hac canonizatione non permittet nos Deus errare, qui omnia, in ea quomodolibet requisita, etiam superabundanter observari fecimus & observavimus; de eorumdem Fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, omniumque Prælatorum, in Romana Curia existentium, unanimi consensu & maturo consilio, de omnipotentis Dei ac beatorum Petri ac Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, beatæ memoriæ Bonaventuram Balneoregiensem, sacræ Theologiæ professorem, ex gremio sacri ordinis Minorum, & ex officio generalatus in Episcopum Cardinalem assumptum, Sanctum esse, ac aliorum Sanctorum Dei catalogo adscribendum, adjiciendum, & adgregandum fore, ac fideliter firmiterque teneri debere, decernimus, ipsumque Sanctorum confessorum, pontificum & doctorum, quos sancta Dei veneratur Ecclesia, consortio solemniter in præsentiarum adscribimus, aggregamusque per præsentes; statuentes etiam & mandantes venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis filiis dictorum, ac Patriarchalium, Metropolitanarum & Cathedralium Ecclesiarum Capitulis, & quorumvis ordinum, tam mendicantium, quam non mendicantium professoribus, necnon quibuscumque ecclesiasticis personis, ut festum ipsius sancti Bonaventuræ secunda Dominica mensis Julii singulis annis solemniter & devote celebrent; divinum officium, veluti pro uno confessore pontifice & doctore tam publice, quam privatim, prout contigerit, persolventes; dilectis vero filiis Fratribus prædicti Minorum ordinis, quatenus hujusmodi officium sub festo duplici & octava eo modo, quo aliorum dicti ordinis Sanctorum celebrare festa & octavas consueverunt, celebrandi concedimus facultatem. A. D. 1482.

Insuper eadem auctoritate omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui eadem Dominica Ecclesiam, in qua sanctum ejus corpus requiescit, devote visitaverint, annuatim septem annos & totidem quadragenas; his vero, qui aliis temporibus in singulis diebus Dominicis, centum dies; illis autem, qui Ecclesias Fratrum Minorum, ubilibet constitutas, tam ipsa die festi, quam in octava, divinis officiis interfuerint, consimiles indulgentias, & peccatorum remissiones, quæ in singulis aliorum ejusdem ordinis Sanctorum festis, ex indultis Apostolicis generaliter promulgatis, Romani Pontifices concesserunt, de injunctis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus & elargimur.

Considerantes præterea quanta ab hoc ipso sancto Bonaventura ratione scientiæ & sanctitatis vitæ, Episcopalisque & Cardineæ dignitatis sancta Romana Ecclesia susceperit incrementa; quantumque idem Sanctus cum beato Thoma de Aquino, coætaneo, condiscipulo & commagistro suo familiaritatem & spiritualem conjunctionem in hac vita servaverit, ut quos in hoc sæculo fraterna junxit caritas, & eadem in cœlo præmia consecutos credimus, præsens Ecclesia pari veneretur honore prædictum festum inter festa sacri Palatii Apostolici adsumentes, adnumerantesque; eamdem indulgentiam in festo prædicto in Ecclesia Sanctorum Apostolorum de Urbe, quæ in festo sancti Thomæ de Aquino in Ecclesia beatæ Mariæ Virginis de Urbe (Minerva vulgariter nuncupata) habetur, concedimus, pariterque decernimus, Fratres Minores in alma universitate Parisiensi eisdem privilegiis posse ac debere uti & gaudere ob ipsius sancti Bonaventuræ merita, quibus

ex Apostolicis indultis Fratres Prædicatores in eadem universitate, intuitu & gratia ejusdem sancti Thomæ, potiri,& gaudere consueverunt & gaudent, aut potiri & gaudere quomodolibet poterunt in futurum.

Quocirca omnes & singulos in dignitate constitutos requirimus & monemus; quatenus universis clericis & populis suarum civitatum, diœcesium & parochiarum præsentes nostras literas solemniter publicantes, eosdem hortentur, ut Deum ipsum, a quo bona cuncta procedunt, humiliter deprecentur, ut ipsius sancti Doctoris & Confessoris Bonaventuræ meritis & precibus exoratus, militantem Ecclesiam, Apostolicam fidem, & cunctos Christifideles, a paganorum & aliorum infidelium & hæreticorum tueatur incursibus, & a periculis cunctis semper protegat ac defendat, & illam, quam nobis mundus dare non potest pacem, hostium omnium sublata formidine, firma cum tranquillitate concedat, utque post hujus vitæ militiam, depositumque pastoralis officii ministerium, una cum grege nobis credito, ad sempiterna tandem gaudia pervenire mereamur.

Demum quia difficile foret, literas originales præsentes, ad uniuscumque notitiam deferri, volumus ac decernimus, quod earum transsumpto sub sigillo generalis Ministri ordinis antedicti, & manibus duorum notariorum publicorum debite subscriptis fides adhibeatur indubia in omnibus & per omnia, & illis ubique stetur, acsi originales literæ hujusmodi essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, adscriptionis, adgregationis, statuti, mandati, concessionis, relaxationis, largitionis, adsumptionis, adnumerationis, monitionis ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo octogesimo secundo, octavo Kalendas Maji, pontificatus nostri anno undecimo.

N O T A.

De sancto Bonaventura fuse agunt Bollandiani tomo III. Julii pag. 830. unde has literas sumsimus. Vide etiam Raynaldum A. D. 1257. §. 52. A.D. 1265. §. 74. 75. A.D. 1274. §. 28. 29. A. D. 1482. §. 46.50 51.

INNO-

CONSTIT. LXXV. A. D. 1485.

LXXV.

INNOCENTIUS . VIII

Sanctorum confessorum canoni adscribit Beatum Leopoldum, Austriæ in Norico Ripensi, alias Pannonia superiori, Marchionem IV. cognomento *Pium*, qui obiit die XVI. Decembris A. D. 1136.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

SAcrosanctam matrem Ecclesiam astitisse *a dextris Dei Reginam in vestitu deaurato, circumdatam varietate*, non ab re per Prophetam traditur. *Regina* equidem, quod illi Regi Domino, *per quem Reges regnant, & Principes justitiam faciunt*, desponsata sit. Unica ejus columba, luna perfecta in æternum, Arcturus, per gyrum nocturna spatia perenni lumine illustrans, Lucifer, qui nescit occasum, Aurora hic in crepusculo caligantis sæculi coruscans, & in diem lucidum in regno cœlorum sese diffundens. *Regina*, quod illi serviat, cui servire, regnare est, illi fidem habeat; illi se totam committat. *Regina*, quod Christifideles sub umbra alarum suarum ex terreno carcere ad regna cœlorum perducat, ubere de cœlo pleno lactet atque inebriet, ex multis ærumnis nos eripiens regni cœlestis cum Christo Domino participes efficiat. *In vestitu* (inquit) *deaurato*: vestimentum Ecclesiæ, sanctam fidelium vitam esse profitemur. Nam sicut tota Ecclesia vestimentum est Christi Redemptoris nostri, ita fideles quoque ejusdem Ecclesiæ vestimentum esse arbitramur. *Vestimentum* scilicet non habens maculam per peccatum, neque rugam per duplicitatem; sed per justitiam mundum, per simplicitatem cordis tersum. *Vestimentum* innocentiæ, quam homo a Deo plasmatus accepit, male a serpente persuasus perdidit, ad quam recuperandam pœnitentia & Dei misericordia induimur vestimentum deauratum, splendore sapientiæ aureo perlucens. Clara est enim sapientia, quæ numquam marcescit, facile videtur ab iis, qui eam diligunt, & invenitur ab iis, qui eam quærunt. Doctrix est disciplinæ, Dei electrix operum illius, qua nihil locupletius: quæ operatur omnia, artifex omnium: quæ apud turbas claritatem & honorem apud seniores præstat: *vestimentum* deauratum perfectione auri, id est justitiæ, qua nihil humano generi utilius; dilectione disciplinæ, ex qua custodia legum emanat. Legum autem custodia, consummatio est incorruptionis. At vero incorruptio facit nos esse Deo proximos, per quem beatitudo æternæ vitæ a nobis comparatur.

Const. LXXV. A. D. 1485. Psal. XLIV. 10. Prov. VIII. 15.

Circumdata Ecclesia dicitur *varietate* gratiarum, administrationum & officiorum, juxta verbum Apostoli: *divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus* eas conferens; *divisiones administrationum sunt, idem* au- I. Cor. XII. 4. 5. 6.

CONSTIT. LXXV. A. D. 1485.

autem Dominus; *& divisiones operationum sunt*, *idem vero Deus*, *qui operatur omnia in omnibus*. *Circumdata varietate* potestatis, ordinis, status, & variarum Ecclesiarum decore, quæ, veluti adolescentulæ, hanc, de qua est sermo, catholicam Ecclesiam, quasi matrem, observant: non vetustatæ per culpam, sed novellæ per gratiam: non senio steriles, sed ad spiritualem congruæ fœcunditatem, & nova semper prole pullulantes. Nam ab justo Abel, unde Ecclesiæ exordia trahimus, in hanc usque diem, quot sanctos orbis terrarum habuit, tot quasi palmites protulit, ex quibus varii indies surculi in hac vinea nostra Sabaoth, quam licet immeriti, præstante Domino, sortiti sumus excolendam, feruntur. *Circumdata varietate*, quod alia triumphantis, alia militantis Ecclesiæ species existat. De triumphante, Domini sponsione repromittitur: ego ero eis, quidquid ab hominibus juste desiderari potest, ero illis honor & gloria, salus & vita, virtus & copia, pax & omne bonum. Militans autem Ecclesia fundæ non inepte assimilatur. Nam sicut funda in gyrum versata, lapides exeunt, quibus adversarii feriuntur, & Golias prosternitur; ita ex sancta Ecclesia, dum per varias procellas & tempestates fluctuantis hujus sæculi per tribulationum circuitum rotatur, fortes viri prodeunt, quibus, quasi lapidibus, iniquorum corda tunduntur, & de hoste humani generis nequissimo a Christi tironibus triumphatur. Hanc ipsam Ecclesiam Deus omnipotens mira quadam dispositione & potestate fundavit, pretioso unigeniti Filii sui Domini nostri Jesu Christi sanguine dotatam esse voluit, multiplici spiritus sancti gratia ornavit. Apostolorum simplicitate & fide roboravit quos ignaros delegit, ut populos non tam sermo illorum, quam causa ad credendum adduceret. Martyrum tormentis, cruciatibus, constantia & trophæis stabilivit. Repressa paulisper, quinimo confusa infidelitatis sævitia, & inimico homine superseminante zizania, crescente multiplicataque hæreticorum pravitate, Doctorum cœlesti doctrina illuminavit, & demum Confessorum, Virginum, aliorumque Sanctorum intrepida confessione, solerti cura, exemplisque, imitatione dignissimis, adversus Satanæ insidias circumdedit.

Inter alia autem saluberrima sanctitatis exempla divina misericordia sidus quoddam mundo fulgere dedit, beatum Leopoldum, Austriæ Principem, *Pium* Marchionem cognomento appellatum, innocentiæ, sapientiæ & justitiæ vestimentis, quibus vestiri Ecclesiam diximus, decorum, bonitate, mansuetudine atque clementia conspicuum, simplicitate, continentia ac munificentia præclarum: cujus integritas, vitæ sanctimonia, humilitas, pietas, fides adeo apud Christifideles invaluerunt, ut una omnium Germanorum voce pro *Sancto* hactenus celebratus fuerit: cujus liberalitatem, sanctæque religionis cultum, nonnulla monasteria, & quidem celeberrima ab eo cum amplissimis censibus constructa, alia etiam magno sumptu illustrata, abunde testantur. Hic Princeps optimus sacerdotes & viros religiosos admodum coluit, summosque Pontifices tanta veneratione prosecutus fuit, ut ab Innocentio II. Romanorum Pontifice, prædecessore nostro, *peculiaris sancti Petri filius* appellaretur, & Apostolica commendatione, atque ea plenaria, quam vulgo dicunt, absolutione dignus, ab eodem Innocentio etiam mortuus judicatus fuerit. Hic vir Dei in summis opibus educatus, in magna peccandi licentia constitutus, conjugalibus curis implicitus, principatus regimine impeditus, sedulo tamen pietatis & misericordiæ munera subibat, lassos roborans, vacillantes confirmans, oppres-

oppressos sublevans, inopes fovens, inter curas domus, inter conjugales anxietates, inter affectus pignorum, inter multiplices principatus sollicitudines, inter studia tot laborum immaculatum sese ab hoc sæculo custodivit, & temporalia tractando æterna disposuit. Quadraginta annis principatum Austriæ regens, & quod majus est, illis præcipue temporibus, quibus propter Henricorum patris & filii mutuas concertationes, & postea propter Henrici IV. cum Lothario acerrimas contentiones in Germania bellis, incendiis, & agrorum vastationibus tumultuatum est, summa cum justitia, humilitate & tranquillitate cuncta administravit, & aliis cæde & sanguine madentibus, creditam sibi Austriæ provinciam in diutina pace continuit: quibus ex meritis æternæ retributionis & pacis præmia a Deo optimo, maximoque, qui centuplicato fœnore merita hominum pensat, est consecutus. CONSTIT. LXXV. A. D. 1485.

Prætendant nunc hujus sæculi amatores ad peccata excusanda, conjugales, familiares, civiles, aut regalis solii molestias, sæculi illecebras & tentationes. Leopoldi exemplo divina providentia eos circumscripsit, excusationes omnes circumvenit, aditum humanæ tergiversationis conclusit, & quasi aranearum telas, commenta humanæ fragilitatis disrupit. A Deo creati & redempti Deum debitis honoribus non colimus, & quod dolentes ex intimis referimus, illum non tantum negligimus, sed blasphemamus sæpe numero. Adhibita sunt præcepta divinæ & humanæ legis, præceptis obtemperare tergiversamur. Addita sunt cœlestis præmia gloriæ, indicta pœnarum diversa genera, censura correctionis inventa; ab illis faciem, quasi rebelles, avertimus. Sanctorum varia exempla ante oculos nobis proposita, ipsa quoque imitari contumaciter recusamus. Imbecillitatem nostram, sæculi sollicitudines, cum de salute nostra agitur, causamur. Leopoldi, nobilis Principis, conjugati, ac multorum filiorum ac subditorum cura irretiti clarissimo exemplo admonemur, ut omni excusatione semota per hæc temporalia ita caute ambulemus, ita sancte nos exerceamus, ut æterna non amittamus: allecti spe momentaneæ hujus prosperitatis, perpetuitate gloriæ cœlestis non fraudemur, sed mundi molestias, illecebras aut dignitates contemnendo, ad cœlestem patriam totis viribus contendamus.

Hujus sancti Leopoldi sanctimoniam Deus omnipotens innumerabilibus miraculis ad ejus invocationem editis comprobavit, miraculis profecto, quæ tum in facti substantia, tum in eo, quod factum fuit, tum in modo faciendi & ordine vim & potestatem naturæ excesserunt. Quis enim non miretur, cum audiat per Dei æterni misericordiam implorato Leopoldi auxilio, paralyticos, arteticos, febricitantes, podagra laborantes pristinæ valetudini illico restitutos? Quis non magnalia Dei in hoc Sancto agnoscat, cum videat intercessionibus ejus claudos recte ambulasse, apostematibus mortiferis infectos, liberatos; in carceribus constitutum, pedicis manicisque vinctum per foramen, unde hominis impossibilis exitus erat, eductum evasisse, in variis vitæ periculis positos, illæsos servatos esse? Quis non tota mente obstupescat, & Deo optimo, maximoque præconia manifesta dicat, cum liquido deprehendat meritis ac precibus hujus Sancti viri mortuos suscitatos, mutos loquendi facultatem adeptos, cœcos illuminatos, surdis auditum restitutum esse? Maxima sunt hæc sanctitatis & divinæ approbationis signa, humanam expectationem ac spem excedentia, & tamen clarissimis documentis comprobata sunt. Quinimo ab anno Christi mil-

CONSTIT. LXXV. A. D. 1485. millesimo centesimo & tricesimo sexto, quo Leopoldus vita functus ex terris ad cœlestem Jerusalem transivit, in nostra usque tempora, & præsentem diem magis atque magis manifestata, mira de illo mentibus hominum, in Austria præcipue, & per omnem Danubii ripam devotio cœlitus infunditur. Incredibile dictu, quanta cum veneratione corpus ejus, quod in Monasterio beatæ semper Virginis & Matris Dei Mariæ ab eo condito, in loco, quod Novi Claustri burgum appellatur, Pataviensis diœcesis, sepultum est, a Christifidelibus visitetur, quibus votis celebretur ejus memoria. Memoratu difficile esset, quot, & quantis tabellis & imaginibus illi dicatis exornetur, quanta luminariorum copia perlustretur. Procumbit supplex apud tumulum languentium & rogantium turba, opem Leopoldi implorans, nec expectatione irritata discedit. Hujus veneratione, & pro multorum populorum salute Rudolphus Austriæ Dux impulsus est, ut Innocentio VI. huic sanctæ Sedi ea tempestate præsidenti supplicaret, ut Leopoldum Sanctorum catalogo adscribere dignaretur: qui re perspecta quam sapientissime de vita & miraculis, ac fama ejusdem Leopoldi, ex more institutoque majorum, cum consilio sacri Senatus, inquisitionem tunc Archiepiscopo Pragensi, & aliis collegis delegavit. Verum cum ea de re agi cœptum esset, morte Innocentii, surgentibusque bellorum inter Australes & Pannonios diversis turbinibus, immensisque procellis in Ecclesia Dei exortis, usque ad tempora Pauli II. prædecessoris nostri inquisitio intermissa est.

Carissimo autem in Christo filio Friderico Romanorum Imperatore Augusto, Prælatis & Principibus Germaniæ apud eundem Paulum multis precibus tam Sancti viri canonizationem absolvi petentibus, tribus sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus de Fratrum suorum consilio demandatum est a Pontifice præfato, ut solemnem inquisitionem ea in re adhiberent, & processus consuetos, tum per se, tum per subdelegatos facerent: quod magna ex parte confectum erat, cum evocato ad Dominum Paulo sanctæ memoriæ, Xystus IV. prædecessor noster in hac sancta Sede divina providentia constitutus est. Iterandas ergo preces, & vehementius agendum apud Xystum Imperator, Prælati ac Principes duxerunt, ut tam Sanctum opus canonizationis cœptæ perficeret. Is, ut certiori fide quæ de miraculis & vita Leopoldi asserebantur, perciperet, venerabili fratri nostro Marco Episcopo Prænestino, tunc Tituli sancti Marci Presbytero Cardinali, & in Germania Legato, ut præmissa percunctaretur injunxit: qui locupletissimam de illis omnibus per publica acta & legitimos processus eidem attulit. Dehinc processibus & actis publicis magna cum diligentia per venerabiles Rodericum Portuensem Episcopum, & Marcum prædictum Prænestinensem, illo tempore Episcopum assumptum, ac Franciscum sancti Eustachii Diaconum Cardinalem, commissarios, discussis; privata primum relatione eidem Xysto facta, postmodum in sacro Senatu, referente prædicto venerabili fratre Roderico Episcopo Portuensi, dilucide re examinata, & ex illorum sententia canonizatione conclusa, sicut Domino placuit, Xysto vita functo, nobis, qui eidem in onere & honore per divinam misericordiam, licet indigni, successimus, reservatum est, ut supremam manum tam sanctæ approbationi apponeremus. Consilio itaque habito, rursus venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, publica concione omnia, prout ex ordine gesta erant, Leopoldi vitam, miracula & reliqua merita, per advocatum consi-

consistorialem proponi curavimus. Demum vocatis omnibus, qui in Romana curia degunt Prælatis, in frequenti eorum consessu, assistentibus nobis eisdem venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, singulorum vota Prælatorum scrutati fuimus. Quibus (Spiritus sancti gratia cooperante) manibus, pedibusque, ut ajunt, in eam sententiam devenientibus, quod Leopoldus, merito Sanctus a nobis canonizandus esset; hunc in locum & publicum suggestum hac ipsa die conscendere decrevimus, ut opitulante Domino, votis precibusque fidelium adjuvantibus, ipsum Leopoldum Sanctum definiremus, & pro Sancto venerari debere ab universis & singulis Christianis mandaremus, sicque hodie sermone per nos habito, re divina peracta, & reliquis solemnitatibus adhibitis, ad hanc sanctissimam canonizationem procedendum duximus. Cum autem verbo sapientiæ Dominus affirmet homini, qui eum laudaverit, & dilexerit Deum, qui fecit illum, quod in medio populi sui exaltabitur, in plenitudine sancta admirabitur, in multitudine electorum habebit laudem, & inter benedictos benedicetur; mirumque in modum Leopoldus in medio populorum exaltatus sit, plenitudine cœlestis gratiæ admirabilis refulgeat; restat, ut nostra approbatione inter electos & Sanctos Dei laudetur, inter benedictos benedicatur. Quod illi abunde impartiemur, si eum inter Sanctos Ecclesiæ adnumerandum, pro Sancto venerandum, ac publicis & solemnibus supplicationibus, votisque in missarum celebrationibus aliisque divinis officiis invocandum, Apostolica auctoritate judicaverimus. CONSTIT. LXXV. A. D. 1485.

Ad laudem igitur æterni Dei, individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti, ad fidei catholicæ robur & ornamentum, ad religionis Christianæ cultum augendum, auctoritate Domini nostri Jesu Christi, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum, ac nostra, de venerabilium Fratrum nostrorum consilio. statuimus, definimus & pronunciamus, sanctum Leopoldum Austriæ Marchionem Sanctorum catalogo adscribendum, & publica veneratione pro Sancto observandum, sicut & nos illum impræsentiarum manifesta voce, Sanctorum catalogo annectimus, ac minorum Confessorum numero adjungimus, publice Sanctum definimus, profitemur & veneramur, statuentes festum ejusdem die decimo septimo Kalendas Decembris debere celebrari, & ipso festo ejus sepulcrum, quod in prædicto monasterio existit, visitantibus, & pro manutentione dicti monasterii manus porrigentibus adjutrices, septem annos & totidem quadragenas indulgentiæ in forma Ecclesiæ misericorditer perpetuis temporibus concedimus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri statuti, definitionis, pronunciationis, annexionis, adjunctionis, professionis, venerationis & concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo octogesimo quarto, septimo idus Januarii, pontificatus nostri anno primo.

N O T A.

Has literas damus ex nuper editis Hieronymi Pezii scriptoribus Rerum Austriacarum tomo 1. pag. 674. ubi Acta omnia Leopoldinæ Canonizationis excusa reperiuntur. Vide etiam Surium die XVI. Decembris, Lambecium in Bibliotheca Cæsarea tomo II. pag. 631. 916. & Raynaldum A. D. 1485. §. 54. 55.

LEO X.

CONSTIT. LXXVI.
A. D. 1519.

L X X V I.

L E O . X

Sanctorum confessorum canoni adscribit B. Franciscum de Paula, opido Calabriæ, ordinis Minimorum institutorem, qui obiit die II. Aprilis A. D. 1507.

L E O E P I S C O P U S

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Const. LXXVI. A. D. 1519.

EXcelsus Dominus militantem Ecclesiam, pretiosorum lapidum vivorum, ipsi summo angulari lapidi Christo Jesu unitorum, ornatissima varietate decoratam, structura mirabili fundare disposuit.

Hinc processere beati Patriarchæ, qui fide præclari, Sanctorum etiam Angelorum susceptores effecti, facie ad faciem videre Deum meruerunt. Hos sequuti sunt sancti Prophetæ, quibus ostendit Deus secreta sua, ut ventura, quasi præsentia, Spiritu sancto illuminati, agnoscere, atque enunciare potuerint.

Postquam autem venit plenitudo temporis, & nos in assumpta sibi humanitate oriens ex alto, visitare, nostræque salutis mysteria (juxta quod prædixerant Prophetæ) adimplere dignatus est, constituti fuere beati Apostoli, divinæ legis promulgatores & prædicatores, qui per orbem universum genus humanum, quod sub diabolicæ potestatis jugo tenebatur, ad salutem excitantes, Dei verbum in omnibus terræ finibus prædicarunt.

Hos subsequuti sunt Martyres splendidi, qui fidei loricam induti, & inconcussæ stabilitatis baltheo succincti stolas suas in sanguine innocentis agni lavantes, candidato exercitu Christum Jesum imitati, supernæ civitatis Hierusalem, hoc est triumphantis Ecclesiæ, cum gloriosa victoria palmas manibus gestantes, se dicto vivo lapidi Christo adjunxerunt, sempiternam sui memoriam & exemplum venerabile militanti Ecclesiæ relinquentes.

Progressi sunt & doctores lucidi, qui suis doctrinis & exemplis catholicam & orthodoxam fidem defensantes, falsisque prophetis, ac iniquis doctoribus, fidem ipsam subvertere satagentibus, se opponentes dictam Ecclesiam militantem multipliciter illustrarunt, quibus eadem Ecclesia conjuncta progreditur, *quasi aurora consurgens, pulcra, ut luna,* Cant. VI. 9. *electa, ut sol, terribilis, ut castrorum acies ordinata.*

Sequuntur postea sancti Confessores, qui virtutum gemmis coruscantes, Domino rationem de talentis creditis reposcenti (utpote fideles, & boni servi) multiplicatum de suis laboribus fructum attulerunt, & in arcem cœlestem reposuerunt, omniaque mundi blandimenta (ut

(ut venenum aspidum) fugientes, latibula in terris petierunt antris abditi, rudi victu, & scaturientis aquæ levi potu carnem macerantes, tegmine hircino amicti, junceo vel stramineo cubili fessa membra somno foventes, nudis pedibus Dominum quæsierunt, æternamque patriam invenerunt.

Adsunt & virgines nitidæ, mundo corpore, sincero corde, sanctaque mente cum oleo in lampadibus suis sponso (qui est præ filiis hominum speciosus) obviam venientes. Devotæ tandem continentesque viduæ, & aliæ quamplurimæ sexus utriusque personæ, piis ac sanctis operibus semper intentæ, cum plenis etiam manipulis eidem cœlesti sponso se repræsentant, cum Angelis gloriam in altissimis Deo, & in terra pacem hominibus bonæ voluntatis mirifice depromentes. Hæc omnia unus atque idem spiritus admirando plurimum operatur mysterio, & sicut Altissimus ab initio vineam suam talibus piis cultoribus (juxta sanctam promissionem suam) visitavit, firmavit & auxit, sic semper ad illam suæ protectionis auxilium multipliciter impertitur.

Novissime vero diebus nostris cœlestis ille agricola vineam suam, more solito, visitans, virum fortem ad hujusmodi vineæ culturam adduxit, gloriosum scilicet confessorem beatum Franciscum de Paula, superno cœtui merito sociandum, immo verius sociatum, qui inter ceteros Christi athletas suis meritis & exemplis ipsam sanctam Ecclesiam (divina cooperante gratia) multipliciter decoravit, præsentis temporis caligines suæ lampadis fulgore mirabiliter illustravit; ipse enim adversus mundum, carnem & dæmonem fortiter dimicavit, ac in odorem suavitatis Altissimi currens, copiosam utriusque sexus fidelium multitudinem salubriter post se traxit, ac velut effusam super faciem terræ religiosam professionis suæ generationem reliquit, ut ad illuminationem gentium celebris sui memoria, tamquam rutilum sidus, in Ecclesiæ firmamento servaretur.

De cujus quidem origine, vita, moribus & fama, necnon mirabilibus, quæ in præmium sanctitatis ejus Deus mundo multipliciter ostendere dignatus est, ne de tam celebri viro etiam posteritas ipsa remaneat ignara, pauca ex multis duximus recensenda. Constat siquidem, in Regno Neapolitano inter Brutios & Lucanos Paulæ oppidum situm esse, quod itinere unius diei a Consentia, illius provinciæ metropoli, distat. Inde originem traxit Jacobus Martolilla. Illi proximum est Castrum Folscaudi, ubi nata est Vienna, quondam ambo in fide Christi baptizati & confirmati, ac, ut veri catholici, educati, qui invicem, secundum ritum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, matrimonium contrahentes, & ut fideles decet conjuges, mutuam caritatem, vitæque honestatem servantes, diu cohabitarunt. Ex hoc matrimonio beatus Franciscus de Paula procreatur.

Qui sacri baptismatis fonte lavatus, & chrismatis sacramento confirmatus, ab eisdemque parentibus sub Dei timore & amore educatus, insigne specimen sanctitatis futuræ præseferens, solitudinem & religionem diligere, ac orationibus & jejuniis assidue vacare cœpit: quæ cum ejus parentes animadvertissent, ipsum, annum circiter decimum tertium agentem, juxta votum per eos emissum domui sancti Francisci civitatis sancti Marci obtulerunt. In qua puer in sortem Domini electus, anno per eum exacto; nullaque professione emissa, vocatis parentibus, eos, ut se ad Ecclesiam sancti Francisci de Assisio, & sanctæ Mariæ de Angelis devotionis causa ducere vellent, enixe rogavit; qui pio

CONSTIT. LXXVI. A. D. 1519.

ejus desiderio annuentes, sese itineris comites præbuerunt: quibus Ecclesiis devote visitatis, in patriam reversus idem beatus, sancto Spiritu inspirante, ad Ecclesiam construendam animum addixit, ipséque primus fundamenta effodere cœpit: quo inter vicinos divulgato, undique ad opus juvandum concurritur, alii operi incumbebant, nonnulli calcem, lapides, cœmenta, & alia id genus futuro ædificio necessaria deportabant. Fertur etiam, tunc Fratrem quendam, sancti Francisci habitu indutum ex improviso beatum Franciscum de Paula increpasse, quod tam angustam ædem facere incœpisset, eamdemque demoliri sibi mandasse, ac aliam majorem designasse, beatoque Francisco de Paula asserenti, sibi vires ad tam ingens opus perficiendum non sufficere, divinitus respondisse, Deum omnipotentem ei nullo pacto defuturum, e vestigioque diruptis muris evanuisse; unde non immerito plerique illum beatum Franciscum fuisse existimarunt. Postridie vero nobilis quidam Consentinus supervenit, qui eidem beato pro ædificanda Ecclesia magnum auri atque argenti pondus obtulit, unde juxta situs designationem, Ecclesiam notabili forma, non parvo sumptu construere cœpit.

Numquam a laboribus cessabat, nisi cum orationi divinisque rebus intendebat, qui & si vigiliis, continuisque jejuniis maximis esset attritus, lapides tamen, calcem & ligna, aliaque ad fabricam necessaria propriis etiam humeris deferre non desinebat.

Erat adeo in loquendo humanus atque affabilis, ut nullus unquam ad eum accesserit, qui mellifluis ejus verbis delectatus, & incredibili quadam sermonis dulcedine captus, & quasi divino spiritu repletus ab eo non recesserit.

Humilitatem ejus, etiam instituti per eum ordinis cognomentum ostendit, quod, ut is omnium minimus esse volebat, ita Minimorum dici, censuit & instituit. Ejusdem etiam ordinis institutor, & generalis corrector existens, omnium se infimum (quoad poterat) exhibebat, & ad omnia etiam servilia opera, ut & ceteris humilitatis præberet exemplum, descendere non dedignabatur; quippe discipulis suis discumbentibus ministrabat, sæpeque Ecclesiam & altaria verrebat & mundabat, ac paramenta, & alia ad divinum cultum necessaria componebat, aliorumque Fratrum, etiam novitiorum, indumenta propriis manibus abluebat: & cum juvenis adhuc esset, Calabriamque incoleret, numquam, nisi nudis pedibus, etiam per glacies, nives, montes & acuta saxa, vepres, spinasque incedebat, nullamque ex eo, etiam gravissimo sæpe pondere pressus, læsionem in pedibus patiebatur.

Ipsum sæpius ignem nudis pedibus conculcasse, ac ignitos, candentesque lapides manibus portasse, liquido constat. Admirabilis erat vitæ ejus austeritas, quæ propterea admirabilior censenda est, quia in pueritia, adolescentia, juventute, senecta & decrepita ejus ætate inter labores, vigilias, jejunia, abstinentias, innumerasque corporis macerationes eumdem pene vivendi modum servavit.

Horum & plurimorum aliorum sanctorum operum ratione habita, adeo sancti Spiritus gratia hominem complexa est, ut piis ejus meritis & precibus in Christi nomine dæmones a corporibus humanis sæpius ejecti, pluresque infirmi diversis morborum generibus oppressi, & jam a medicis destituti, ac morti propinqui, pristinæ sanitati restituti fuerint. Idemque beatus aliis compluribus, qui memoria & sensibus capti, seu intelligentia debilitati erant, sanitatem præstiterit, ac multis claudis incessum, surdis auditum, mutis loquelam, cœcisque lumen resti-

restituerit, & leprosos mundauerit, nonnullosque mortuos, vel pro mortuis habitos, ad vitam, pristinamque lucem reduxerit. CONSTIT. LXXVI. A. D. 1519.

Quorum quidem miraculorum fama cum jam per totum fere orbem vagaretur, & ad aures felicis recordationis Pauli II. prædecessoris nostri pervenisset, cubicularium quendam suum ad bonæ memoriæ Pyrrhum Archiepiscopum Consentinensem misit, mandavitque, ut ipse super miraculis hujusmodi se diligenter informaret, ac deinde ipsum de veritate certiorem efficeret. Qui quidem Archiepiscopus Pontificis mandato parere desiderans, ac neminem habens, qui talia melius, quam ipsemet cubicularius explorare fideliusque referre posset, eidem suasit, ut is cum socio, quem ei adjunxit, ad dictum beatum virum se conferret, ac de illius vita, miraculis & fama hujusmodi plenam informationem caperet.

Cubicularius, Archiepiscopi fretus consilio, hominem adiit, & cum inter salutandum, dicti beati viri manum osculari vellet, ille omnino renuit, eumque rogavit, ut sibi potius manum deosculandam porrigeret, asserens id multo justius & convenientius fore, eo quod ipse cubicularius triginta tres annos jam presbyter esset: quod cubicularius memoria repetens, ubi id verum esse cognovit, miratus est hominis spiritum, & cum eo ad colloquium in cameram concessit, ubi cum primus sermo de tam ardua, difficilique vita fuisset, ut eam nulli, nisi robusto ac valido tolerabilem fore cubicularius asseveraret, beatus Pater audito illius verbo, igni appropinquans, ardentesque prunas absque læsione manibus arripiens, dixit: qui perfecto corde Domino serviunt, omnia creata illis obtemperant. Exterritus ille eo miraculo, veniam petiit, cumque ejus pedes humiliter osculari vellet, ipseque vir beatus id recusasset, ejus tunc vestem manu apprehensam, devote osculans & ab eo recedens, ad Pontificem rediit, eique miracula, quæ viderat, enarravit.

Olim etiam vir nobilis Jacobus de Tarsia Baro terræ Bellimontis Consentinensis diœcesis, cum gravissimo, & pene insanabili apostemate longo tempore in crure laborasset, insignesque medici & chirurgi in eo nihil proficerent; quin ulcus illud quotidie ingravesceret, omnibusque remediis adhibitis, jam in desperationem salutis res adducta esset; tandem dictus Jacobus fama sanctitatis & miraculorum beati viri, qui tunc Paulæ degebat, adductus, ad eum non sine magno labore accessit, illique plagam detexit, & se devotissime commendavit. Primum siquidem ipsi Beato, & omnibus, qui adstabant, ulcus grave & miserabile, ac pene insanabile visum est. Illum tamen Beatus admonuit, ut in Deo firmam fidem, & certam spem haberet, quia sanitatis gratiam consequeretur. Ac statim unum ex suis Fratribus misit, qui aliqua folia herbæ, quæ ungula caballina dicitur, & inibi nascitur, colligeret, & cum ipsis foliis certos pulveres, quos in cella sua ipse beatus retinebat, sibi afferret. Dum Frater ille mandata exequitur, Beatus vir ad propinquam Crucifixi imaginem conversus oravit, ut Baroni, in suæ divinitatis gratia confidenti, misericordiam suam aperiret. Nec multo post, foliis ac pulveribus hujusmodi sibi, ut jusserat, apportatis, facto signo Crucis, aliquantulum de dictis pulveribus ulceri imposuit, illudque tribus ex foliis dictis cooperuit, & omnia circumligavit, in Domino spem reponens, quod sanitatem recuperaret. Illi ergo benedicens, jussit, ut illico suam repeteret domum, ad quartumdecimum ferme lapidem inde distantem: qui cum aliquandiu equitasset, ad uxorem suam

CONSTIT. LXXVI. A. D. 1519.

Johannam, quæ illum semper in eo itinere comitata fuerat, conversus, mihi videtur, inquit, quod sim sanus, quia acerbum dolorem & pessimum fœtorem amplius non sentio. Et cum jam certum monticulum superasset, Jacobus avide cupiens intelligere, an posset ambulare, ex equo descendens, propriis pedibus ambulare cœpit, & calce terram percutiens, nec aliquid doloris sentiens, se liberum & sanum intellexit. Deo igitur, & beato Francisco de Paula gratias agentes conjuges, voti compotes ad propria rediere.

Iisdem ferme diebus in civitate Consentinensi fuit quidam Marcellus de Cardella, pedibus & manibus contractus, ac totus leprosus, adeo ut jam vocem quasi omnem amisisset, ejusque loquela vix audiretur, qui cum per consanguineos suos ad Paulæ monasterium adductus, & Beato viro præsentatus fuisset, ille misericordia motus, parum secreto oravit, mox vero rediens, eum manu sublevavit, & ab omni membrorum contractu & lepra incolumem reddidit. Guidonem quoque Lipantum nobilem Consentinum gravissima infectum lepra in domo Paterni, quam vir Beatus tunc ædificabat, ad se venientem, sanitati restituit.

Cum idem Beatus vir fabricam domus juxta Paulæ oppidum incœpisset, adductus est ei quidam a nativitate mutus, quem cum parentes ejus juxta Ecclesiam posuissent, dixit eis vir Beatus, ut alte secum ter Jesum acclamarent, & ita aperiretur illi sensus. Beato viro inchoante, dictisque parentibus prosequentibus, mutus similiter alta voce dixit: *Jesus*, & deinde liber atque integer usque ad suum obitum in loquela permansit.

Rursus Julia Antonii Catalani, in dicto oppido Paulæ habitantis, filia, ab ortu cœca, & nihil prorsus videns, cum a parentibus ad Beatum virum, qui forte tunc in horto domus erat, adducta fuisset, idem Beatus vir herbam quamdam evulsit, eamque signo Crucis facto, super ipsius puellæ oculos apposuit, quæ statim videre cœpit, ac sensu visus tamdiu, quamdiu postea vixit, fruita est.

In fabrica dictæ domus Paterni cum duo laborantes, terram effodiendo, obruti fuissent, itaut jam pro mortuis haberentur, ad succurrendum invocatus vir Beatus, a duabus partibus terram effodi fecit: quo facto, dicti laborantes vivi & illæsi, sua (ut creditur gratia) sunt reperti.

Dum quidam Antonius architectus ad dictæ domus Paterni fabricam accessisset, & Beatus vir, ut pro cibo illi ministrando nonnullæ fabæ coquerentur, cuidam fratri juniori, inibi existenti, mandasset, frater illi ollam cum dictis fabis & aqua, frigidis in coquina cineribus superposuit, oblitusque ignem, quo coquina carebat, aliunde afferre discessit; sed cum vir Beatus dictas fabas jam coctas esse credens, una cum hospite in coquina, nullusque ibi ignis, adesset, dictus Antonius subrisit de dicti Beati præcepto, & ejus ferculo, quod nondum coqui cœpisset: cui vir Beatus ferculum ipsum paratum esse respondit, tetigitque manu ollam, quæ illico fervere visa est, statimque fabæ coctæ fuere, ita ut idem Antonius ipse prandium sumere potuerit, qua de re dictus Antonius, & nonnulli alii, tunc præsentes, maxima sunt admiratione affecti.

Idem etiam Beatus vir die quadam more solito missam audire cupiens, Ecclesiam ingressus est, cumque tunc Ecclesiæ lampas accensa non esset, & aliqui ex his, qui ibi missæ audiendæ causa aderant, ignem foras quæsitum ivissent, illumque jam afferrent, vir Beatus chor-

phordam lampadis accepit, ut eam deduceret, illa vero in medio descensu absque aliquo igne miraculose accensa effulsit, ex quo circumstantes, candelas pro missa tunc celebranda necessarias, devotissime accenderunt.

Cum in terra Montisalti dictæ Consentinæ diœcesis quidam Franciscus ipsius terræ incola, febre adeo vexaretur, ut de ejus salute nullam medici spem promitterent, laboraretque in extremis, ac omnibus Ecclesiæ sacramentis devote susceptis, & candela benedicta, more solito accensa, in ejusque manibus posita a circumstantibus jam pro mortuo haberetur, tunc Johanna mater ejus ad beatum Franciscum de Paula specialem gerens devotionis affectum, illum lacrymans deprecata est, ut filium suum sanare ac vitæ restituere dignaretur, ut illius ope tribus suis, ex dicto ejus filio nepotibus providere posset. Præterea si voti compos fieret, & statim hujus sæculi vanitatibus omnino renunciaturam, & in habitu Tertiæ Regulæ ejusdem Beati Deo perpetuo famulaturam devote vovit ac promisit: quo voto emisso, statim ejus filius quasi a morte resurgens, circumstantes aspicere, seque melius habere incœpit, nec multis postea diebus, pristinæ fuit saluti restitutus, & per triginta fere annos idem supervixit.

Cum in dicto oppido Paterni idem Beatus vir moram traheret, quidam oculi albuginem patiens ad eum accessit, humiliterque rogavit, ut sibi opem afferret: cujus precibus motus vir Beatus, bombycem sacro latice aspersam super virginem calcem, quæ forte pro Ecclesiæ fabrica ibi aderat, convolvit, & ea oculum, macula hujusmodi infectum abstersit, signoque Crucis desuper facto, ab omni albugine & macula statim liberavit.

Cum quidam dicti oppidi venatores hiemis tempore in montibus, nivibus repletis hominem, nullum viventis signum præseferentem invenissent, illum sepeliendum ad locum detulerunt, ubi tunc Beatus vir morabatur: qui in illum respiciens per caritatem ait: vivit homo iste, & ad eum conversus, surge, inquit, & ambula: ad cujus verba homo in sepulcrum mittendus, illico surrexit, ac pedetentim ambulare cœpit, moxque hospitii domum ingressus, ac cibo & potu refectus, pristinæque valetudini restitutus, ad propria salvus & incolumis remeavit.

Præterea in dicto oppido Paulæ, dum sui ordinis domus ædificaretur, & calx in fornace coqueretur, accidit, quod vel propter nimium ignem, vel aliam causam fornax ipsa ruinam minaretur. Tunc illius magistri nullum penitus remedium adhibere scientes, ad Beatum virum pro auxilio recurrerunt: qui illis per caritatem inquit: ad collationem seu prandium eatis, mihique curam fornacis relinquatis: quibus descendentibus, ipse statim signo Crucis facto, intrepide dictam fornacem ardentem intravit, ac illam solus reparavit, idemque absque læsione aliqua incolumis exivit.

Julius Bartuchius etiam de Paula, juvenum multitudine adjutus, post Beati viri obitum, e Cusentio castro Paulam versus, eximiæ magnitudinis bombardam transportari curans, additis etiam ad laborem viginti boum jugis, apud quemdam declivem locum, non longe a Paula distantem, Lamachiam, nuncupatum, funem maximum cujusdam navis onerariæ, quo bombarda ipsa alligata erat, cuidam arbori (ut paulatim laberetur) involvit: quam nec Julius ipse, neque tot socii propter impetum velocem, quo ex magnæ molis lapsu ferebatur, retinere vale-

CONSTIT. LXXVI. A. D. 1519.

valerent, ibi dum idem Julius ultra quam ejus vires ferebant, nititur, juxta arborem, cui circumligatus erat funis, prostratus cecidit, pedesque suos intra funis orbes involvit. Unde cum nullo pacto (nisi munere divino) quin ejus crura frangerentur, evadere posset, arborem amplectens summa cum devotione clamavit: o beate Francisce de Paula opem fer mihi misero! His dictis, currus, cui bombarda ipsa imposita erat, in loco præcipiti statim restitit, apparuitque eidem Julio quidam frater ordinis beati Francisci de Paula, qui tunc funem ipsum manibus retinuit. Idem vero Julius tanto periculo ereptus, omnesque, qui illuc, quasi ad spectaculum, convenerant, miraculum acclamantes, omnipotenti Deo beatoque Francisco de Paula immensas illico gratias egerunt, ipseque Julius ante alios omnes nudis pedibus ad ejusdem Beati viri monasterium profectus, imaginem suam ceream, fune pedibus implicito, pro devotione in tanti miraculi memoriam obtulit.

Cum a quodam fratre Antonio, ordinis Minorum professore, viro doctissimo, integerrimæque vitæ, idem Beatus vir etiam in publicis prædicationibus carperetur, quod videlicet tam impudens esset, ut simplex laicus, & literarum penitus ignarus, quibusdam herbis ægrotis salutem promitteret, accidit, ut idem frater Antonius ab aliis dicti ordinis Minorum Fratribus ad eumdem Beatum virum missus fuerit, quatenus eum de præmissis redargueret: qui cum ad eum venisset, & magnis illum contumeliis affecisset, increpassetque ejus ignaviam & crassitudinem, vir Dei constantissimus, patientissimusque, tot conviciis & injuriis nullatenus fractus, ac nec commotus quidem fuit, sed foco appropinquans ardentes titiones nudis manibus accepit, eosque stricte compressit, ac manifeste ostendit, in Dei virtute omnia fieri posse. At ille prudentissime prospiciens hominis simplicitatem & fidem, omniaque ab eo divina gratia & ardentissimo fidei spiritu fieri, ejus pedibus advolutus, illos arcte complectens, oscularique satagens, veniam ab ipso humillime postulavit. Neque inde surrexit, donec ab eodem beato Patre benediceretur: quo factum est, ut qui antea in illum publice maledicta plurima congesserat, proprium confessus errorem, Beati viri sanctitatem dignis verisque postea laudibus merito efferret.

Quæ omnia cum mirabilem quamdam, & raro auditam viri sanctitatem arguerent, eorumque celebris fama jam ad claræ memoriæ Ludovicum, XI. hujus nominis Francorum Regem Christianissimum, perlata esset, Rex viri Beati sanctitate motus, ac ipsum coram videre cupiens, a piæ memoriæ Xysto Papa IV. etiam prædecessore nostro, impetravit, ut eidem Beato viro in virtute sanctæ obedientiæ mandaret, ut ex Calabria in Franciam se conferret, dictumque Ludovicum Regem visitaret: quibus jussis Dei famulus obediens, in Franciam ivit, ubi cum præfatus Rex singulari devotione suscipiens, seque ab eo benedici postulans, illi, tamquam viro Dei, magnum honorem & reverentiam exhibuit. Cognita deinde viri sanctitate, ei, ejusque Fratribus sedem prope civitatem Turonensem, & regium Palatium assignavit, amplamque & magnificam domum cum Ecclesia, quæ in hanc usque diem extat, pro ipsius beati Francisci de Paula, suorumque Fratrum usu & habitatione construi fecit.

Tantæ insuper continentiæ fuit idem Beatus vir, ut non carne, sed solo spiritu compactus esse videretur. Prius enim, quam ab hac luce discederet, ad omnipotentis Dei laudem & gloriam, suæque Religionis propagationem, divina (ut pie creditur) inspiratione instructus, tres Regu-

Regulas, Fratrum scilicet, ac Sororum, & utriusque sexus fidelium, Tertiariorum nuncupatorum, instituit: & ut humilitatis amator erat, illamque a suis etiam coli desiderabat, Fratres sui ordinis Minimos, & sorores Minimas vocari debere ordinavit, injunxitque illis, ut decem mandata divina, & Ecclesiæ præcepta salutaria vigilanter observantes, Romano Pontifici pro tempore existenti, fideliter obedirent, ac sub obedientiæ, castitatis & paupertatis, quadragesimalisque vitæ sacris votis perseveranter vivere profiterentur, nonnullis ad Regularum Fratrum & Sororum hujusmodi tam circa personarum ipsarum directionem & informationem, quam divini cultus augmentum, debitam observationem, & institutionem, opportunis adjectis capitulis. CONSTIT. LXXVI. A. D. 1519.

Ipsas vero Fratrum ac Sororum cum decem, dictorum autem utriusque sexus Tertiariorum Regulas cum septem capitulis, per eum pie institutas, recolendæ memoriæ Julius Papa II. similiter prædecessor noster, eodem Beato viro tunc in humanis agente, matura præhabita deliberatione, tam religioni consonas, postquam idem Xystus prædecessor noster, ac sanctæ commemorationis Innocentius VIII. & Alexander VI. Romani Pontifices etiam prædecessores nostri eidem Beato viro, ejusque ordini, ac ejus personis & domibus complura privilegia concesserant, per suas primo, & deinde nos per alias nostras literas approbavimus & confirmavimus, diversisque privilegiis, gratiis & indultis, ordinem ipsum multipliciter communivimus, prout in ipsorum prædecessorum, & nostris inde confectis literis plenius continetur.

Cumque vitæ suæ finem jam proximum divina inspiratione prospiceret, idem Beatus vir pridie, quam decederet, qui fuit dies Cœnæ Domini, pluribus e Fratribus suis, qui ex variis provinciis & regnis tunc ad eum venerant, astantibus in missa conventuali, & post pœnitentiæ sacramentum susceptum cum profundissima humilitate, uberrimaque lacrymarum effusione pectus suum percutiendo sacrosanctum Eucharistiæ viaticum e manibus unius ex sui ordinis presbyteris magna cum devotione suscepit. Postea Domino nostro Jesu Christo, beatæque Mariæ Virgini, & Sanctis omnibus, devote peractis gratiarum actionibus, missaque hujusmodi celebrata, ad cellam suam propriis pedibus (licet præ senectute debilis, & infirmus) baculo, quem more solito gestabat, innixus rediit. Postero autem die cum idem Beatus fidelisque Dei servus tempus instare videret, quo sibi ex hac lacrymarum valle migrandum erat, dictos Fratres suos ad se convocari jussit, eosque ad fraternam pacem, mutuamque caritatem dulcissimis verbis, ac salutaribus monitis caritative exhortatus est, illisque benedictione more solito impertita, cum jam nonagesimum primum, vel circa, annum feliciter implevisset, anno a partu Virgineo millesimo quingentesimo septimo, Aprilis vero die secunda, quæ tunc fuit Parasceves, Veneris sancta nuncupata, circam horam, qua pro nobis Christus passus est, signo sanctæ Crucis devote signatus, omnibusque sacramentis ecclesiasticis debite communitus, perlecta coram eo Dominica Passione, junctis devote manibus, erectisque in cœlum oculis, sanctæ Crucis triumphum pie amplectens, reverenterque osculans, ac sæpius, *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*, aliasque pias orationes devotissime repetens, dimissa hujus carnis sarcina, quasi vivens, absque aliquo doloris, aut mortis notabili signo, migravit ad Christum.

Cum-

CONSTIT. LXXVI. A. D. 1519.

Cumque tunc per undecim dies ejusdem Beati corpus insepultum remanserit, illucque maxima virorum & mulierum, ac religiosarum personarum multitudo accesserit, ut Sanctum virum, quem viventem summa fuerant veneratione prosequuti, etiam defunctum viderent, & illius apud Deum suffragia mererentur, mirum omnibus fuit, quod ejus caro per tot dies incorrupta permanserit, nec ullum prorsus fœtorem emiserit; quin potius odor quidam, suaviter fragans, ab ea manaverit. Post ipsius etiam obitum, multis ejus suffragia devote implorantibus, omnipotens Deus complures gratias elargiri, magnaque miracula palam operari dignatus est.

Propter quæ carissimus in Christo filius noster Franciscus, hujus nominis primus Francorum Rex Christianissimus, carissimaque in Christo filia Claudia Regina ejus consors (quæ alias coram dicti ordinis tunc Generali, ac aliis nobilibus personis emisso voto, quod si gratiam pro masculo assequeretur, in beati Patris honorem, Francisci nomen ei imponeret, fulgentissimum puerum in lucem edidit, illique juxta dictum suum votum Francisci nomen imponi fecit) necnon dilecta etiam in Christo filia nobis mulier Aloysia de Sabaudia Andegavensis & Engolismensis Ducissa, Cenomanensisque Comitissa, ejusdem Francisci Regis genitrix, nobis per venerabilem fratrem nostrum Dionysium Episcopum Macloviensem generalem, ac dilectos filios Jacobum Lucam decanum Ecclesiæ Aurelianensis, & nobilem virum Antonium Raphin alias de Poton, Dominum temporalem loci de Podio Calvario Agennensis diœcesis, pro nonnullis particularibus ipsius Christianissimi Regis negociis, nuncios & oratores ad nos destinatos humiliter supplicari fecerunt, ut præmissis diligenter inquisitis & exploratis, ad ejusdem viri canonizationem procedere dignaremur.

Quorum quidem precibus licet libenter annuere vellemus, summopereque gauderemus hujusmodi canonizationem nostris temporibus divino quodam mysterio contigisse, ac nobis æquum videretur, ut idem beatus Franciscus de Paula, quem jam Deus in cœlesti gloria Sanctorum choro dignum fecisse, pluribus ac manifestis indiciis & miraculis ostenderat, in terris etiam sibi debito Sanctorum honore non defraudaretur: ac super eo maxime nobis instaret venerabilis frater noster Bernardinus Episcopus Sabinensis, Cardinalis sanctæ Crucis nuncupatus, in dicti ordinis protectorem ab eodem Beato viro, nondum tunc ab humanis egresso, assumptus, cumulatissimæque preces nobis, ac venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, per dicti ordinis tunc zelosum, totius Minimorum ordinis nomine, super hoc sæpius porrectæ fuissent, non statim rem tanti ponderis, ac momenti faciendam, sed juxta veterem, ac laudabilem consuetudinem cunctanter, matureque considerandam duximus. Post complures igitur commissiones ab aulæ palatii nostri advocato consistoriali, & auditoribus causarum ejusdem palatii super hoc debite factas, tandem tribus etiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ex tribus illorum ordinibus, videlicet venerabili fratri Nicolao Episcopo Albanensi de Flisco, & dilectis filiis nostris Dominico Tituli sancti Bartholomæi in Insula presbytero de Jacobatis, ac Johanni sanctorum Cosmæ & Damiani (nostro secundum carnem nepoti) diacono de Salviatis, respective nuncupatis, Cardinalibus, de fratrum nostrorum consilio & assensu commisimus, ut ipsi, visis & examinatis processibus editis super ejusdem Beati viri vita, moribus, fama & miraculis ante & post ipsius obitum, ejus inter-

intercessionibus a Deo factis, aliisque cunctis ad Sanctorum canonizationem hujusmodi necessariis, se super omnibus ac singulis diligenter informarent, & per eos comperta in nostro secreto consistorio, ut moris est, fideliter referrent. Cumque ipsi Cardinales, visis ac diligenter examinatis diversis processibus, in partibus Calabriæ & Franciæ, de Sedis Apostolicæ commissione habitis, & ad Curiam nostram transmissis, testiumque fide dignorum depositionibus, pro tantæ rei dignitate debite ponderatis, de supradictis miraculis ac vitæ sanctimonia & aliis a jure requisitis fidelem nobis relationem in pluribus etiam secretis consistoriis jam fecissent, nosque ipsorum & omnium aliorum Cardinalium vota pro facienda dicta canonizatione, convenientia & conformia invenissemus;

Et pro ulteriori executione dilectus filius Angelus de Cæsis utriusque juris doctor, & dictæ aulæ nostræ consistorialis advocatus, in publico consistorio omnia de ipsius Beati viri vita, moribus & fama, ac miraculis copiose recensuisset, nobisque humiliter supplicasset, ut ad ejusdem Beati canonizationem, matura deliberatione præhabita, procedere dignaremur; nos de relatis coram nobis in primis humiliter Deo gratias agentes, rogavimus omnes in eodem publico consistorio tunc astantes, ut suis orationibus & jejuniis Ecclesiam Dei juvarent, ac, ne eam Altissimus modo aliquo in hujusmodi canonizationis officio errare permitteret, instanter orarent.

Demum post aliquot dies, convocatis de novo in aula nostra consistoriali in palatio Apostolico universis & singulis, qui tunc aderant in nostra Romana Curia, Ecclesiarum Prælatis, Patriarchis videlicet, Archiepiscopis ac Episcopis, in præsentia eorumdem fratrum nostrorum præfatæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium eosdem processus super ipsius Beati vita, moribus, fama & miraculis editos per eumdem Angelum breviter summarieque repeti fecimus, quæ cum ex serie per Cardinales, ac alios, quibus id munus per nos injunctum fuerat, enarrata & exposita fuissent, omnesque astantes Prælati, quid sibi super hujusmodi negocio videretur, interrogati, unanimi consensu nullo penitus discrepante, respondissent, sibi videri, quod idem Beatus vir inter Sanctos merito adscriberetur & connumeraretur;

Nos iterum humiles omnipotenti Deo gratias agentes, quod ad Beatum servum suum debitis honoribus prosequendum, corda nostra illuminare dignatus esset, ipsius canonizationis diem Dominicam, in *Albis* nuncupatam, qua in Ecclesia cantatur, *Quasi modo geniti infantes*, quæ tunc occurrebat prima die Maji anni Domini millesimi quingentesimi decimi noni, in qua etiam tunc beatorum Apostolorum Philippi & Jacobi festum contingebat, deputavimus, ac in basilica principis Apostolorum de Urbe amplum suggestum ligneum de more parari & exornari jussimus, super quo quidem hodie astante populo, ac universo clero, de vita, miraculis & fama ejusdem beati Francisci de Paula humili, devotioneque pleno sermone per nos, ut moris est, habito, deindeque Litania & Hymno, *Veni creator Spiritus*, per omnia devote decantatis; necnon a procuratoribus causæ ipsius canonizationis, & a Christianissimi Francorum Regis oratoribus hujusmodi, ejusdemque ordinis Minimorum, tunc vicegenerali correctore a nobis magna cum instantia petito pronunciari, adscribi inter Sanctos eumdem beatum Franciscum de Paula, cum jam omnia consummata essent, omnesque consuetas Ecclesiæ coeremonias super ea re rite servavissemus, Deum præ

CONSTIT. LXXVI.

A. D. 1519.

oculis habentes, ad canonizationem ejusdem Beati sub his verbis procedendum duximus & processimus: ad honorem omnipotentis Dei Patris & Filii & Spiritus sancti, ad exaltationem fidei catholicæ, Christianæque religionis augmentum, ac ordinis Minimorum consolationem & incrementum, auctoritate Domini nostri Jesu Christi, beatorumque Petri & Pauli Apostolorum ejus, ac nostra, de fratrum nostrorum speciali consilio & assensu decernimus & definimus, bonæ memoriæ Franciscum de Paula ejusdem ordinis Minimorum institutorem, in cœlesti Hierusalem inter beatorum choros jam receptum, æternaque gloria condonatum fuisse, ac Sanctorum Confessorum catalogo adscribendum fore, ipsumque hujusmodi catalogo in præsentiarum adscribimus, & eum, tamquam Sanctum, publice privatimque colendum esse declaramus atque mandamus;

Statuentes, ejus festum die secunda mensis Aprilis ab universali Ecclesia annuatim celebrandum fore, & ab eo suffragia a Christifidelibus implorari & expectari posse, omnesque ac singulos honores illi merito præstandos & exhibendos esse, qui ceteris etiam Sanctis Confessoribus in hujusmodi catalogo descriptis, convenire noscuntur. Quibus debite peractis, inchoatoque per nos, ac decantato, & ad finem usque a cantoribus prosequuto Hymno, *Te Deum laudamus*; in illius etiam fine Cardinali Diacono in cantu dicente: *Ora pro nobis beate Francisce de Paula*, a choroque responso, *ut digni efficiamur promissionibus Christi*, nos illico propriam orationem de eodem Sancto alta voce decantavimus, dicentes,

O R A T I O.

Servitutis nostræ tibi, Domine, jura solventes, quæsumus, ut beati Francisci de Paula Confessoris tui patrocinio suffragante, in nobis tua dona multiplices, & ab omnibus tuearis adversis. Per Christum Dominum nostrum.

Deinde vero a dicto choro responso, *Amen*, solemnem illic missam nos ipsi celebravimus de dicta tunc currente Dominica in Albis, collectas singulas sub una conclusione terminantes, additis etiam prædictæ ceterisque specialibus ejusdem sancti Francisci de Paula collectis immediate sequentibus, pro secreta videlicet;

S E C R E T A.

Hostias, Domine, tuorum suscipe populorum, quas tibi in beati Francisci de Paula festivitate dicamus, ut nobis conferant tuæ propositionis auxilium.

Cum sua conclusione, videlicet, *Per Dominum nostrum &c.*

Deinde vero post communionem subjunximus, dicentes:

POSTCOMMUNIO.

Cælesti, Domine, sacramento consolati, te supplices deprecamur, ut intercedente beato Francisco de Paula, ab omni nos mentis & corporis labe custodias, & per ipsum tuæ sentiamus indulgentiæ largitatem.

Cum simili conclusione, & ita missam ipsam ad finem usque cum solitis cœremoniis juxta ordinarium Apostolicum illic debite terminavimus, indulgentiamque plenariam omnibus officio hujusmodi tunc

assi-

assistentibus devote, concessimus; ac etiam in loco sepulturæ ejusdem sancti Francisci de Paula, in depositionis suæ die, videlicet secunda Aprilis, hujusmodi perpetuo duraturam quadraginta annorum, totidemque quadragenarum indulgentiam annuatim condonavimus ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, qui in Sanctis suis mirabilis & gloriosus vivit & regnat benedictus in sæcula sæculorum. CONSTIT. LXXVI. A. D. 1519.

Ceterum quia difficile foret præsentes originales literas ad omnium notitiam deferri, volumus & decernimus, quod earumdem transumptis manu notarii publici subscriptis sub sigillo venerabilis fratris nostris Paridis, moderni, & pro tempore existentis Episcopis Pisaurensis, ac cœremoniarum magistri, vel alicujus Prælati alterius ecclesiastici, fides adhibeatur indubia in omnibus ac per omnia, & illis ubique stetur, ac si originales literæ hujusmodi essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum, processus, voluntatis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum millesimo quingentesimo decimo nono, Kalendis Maji, pontificatus nostri anno septimo.

Ja. Sadoletus.

H. de Busseyo.

NOTA.

Gesta sancti Francisci de Paula fusissime prosequuntur Bollandiani tomo 1. Aprilis pag. 103. Bullam damus ex Surio die 2I. Aprilis, ubi exactior, quam apud Cherubinum, habetur. Leo X. A. D. 1521. Sanctorum confessorum canoni adscripsit etiam beatum Casimirum, Casimiri Poloniæ Regis filium. Sed canonizationis diploma reperiri non potuit. Literæ tamen Clementis VIII. quibus sancti Casimiri festum sub ritu duplici per totum Regnum Poloniæ & Ducatum Lituaniæ celebrari jubetur, prostant in Martio Bollandiano to. 1. die IV. quo Dei servus migravit ad Dominum.

CONSTIT. LXXVII. A. D. 1523.

LXXVII.
HADRIANUS. VI

Sanctorum confessorum pontificum canoni adscribit Beatum Bennonem, Misnensem in Saxonia Episcopum, & Slavorum Apostolum, qui obiit die XVI. Junii A. D. 1106.

HADRIANUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
Ad perpetuam rei memoriam.

Const. LXXVII. A. D. 1523.

Excelsus Dominus militantem Ecclesiam, pretiosorum lapidum vivorum, ipsi summo angulari lapidi Christo Jesu unitorum, ornatissima varietate decoratam, structura mirabili fundare disposuit.

Hinc processerunt beati Patriarchæ, qui fide præclari, sanctorum Angelorum susceptores effecti, facie ad faciem videre Deum meruerunt. Hos sequuti sunt sancti Prophetæ, quibus ostendit Deus secreta sua, ut ventura, quasi præsentia, Spiritu sancto illuminante, agnoscere, atque enunciare potuerint.

Postquam autem venit plenitudo temporis, & oriens ex alto in assumpta sibi humanitate nos visitare, nostræque salutis mysteria (juxta quod prædixerant Prophetæ) adimplere dignatus est, constituti fuerunt beati Apostoli, divinæ legis promulgatores & prædicatores, qui per orbem universum genus humanum, quod sub diabolicæ potestatis jugo tenebatur, ad salutem excitantes, Dei verbum in omnibus terræ finibus prædicarunt.

Hos sequuti sunt Martyres splendidi, qui fidei loricam induti, & inconcussæ stabilitatis baltheo succincti, stolas suas in sanguine innocentis agni lavantes, & candidato exercitu Christum Jesum imitati, supernæ civitatis Hierusalem, hoc est triumphantis Ecclesiæ, cum gloriosa victoria palmas manibus gestantes, se dicto vivo lapidi Christo adjunxerunt, sempiternam sui memoriam & exemplum venerabile militanti Ecclesiæ relinquentes.

Progressi sunt & Doctores lucidi, qui suis doctrinis & exemplis catholicam & orthodoxam fidem defensantes, falsisque prophetis ac iniquis doctoribus, fidem ipsam subvertere satagentibus, se opponentes, dictam Ecclesiam militantem multipliciter illustrarunt, quibus eadem Ecclesia conjuncta progreditur, *quasi aurora consurgens, pulcra, ut luna, electa, ut sol, terribilis, ut castrorum acies ordinata.* Cant. VI. 9.

Sequuntur postea sancti Confessores, qui virtutum gemmis coruscantes, Domino rationem de talentis creditis reposcenti (utpote fideles & boni servi) multiplicatum de suis laboribus fructum attulerunt, & in arcam cœlestem reposuerunt, omniaque mundi blandimenta (ut

(ut venenum aspidum) fugientes, latibula in terris petierunt, antris abditi, rudi victu, & scaturientis aquæ levi potu carnem macerantes, tegmine hircino amicti, junceo vel stramineo cubili fessa membra somno foventes, nudis pedibus Dominum quæsierunt, æternamque patriam invenerunt.

Adsunt & virgines nitidæ, mundo corpore, sincero corde, sanctaque mente cum oleo in lampadibus suis sponso (qui est præ filiis hominum speciosus) obviam venientes. Devotæ tandem continentesque viduæ, & aliæ quamplurimæ sexus utriusque personæ, piis ac sanctis operibus semper intentæ, cum plenis etiam manipulis eidem cœlesti sponso se repræsentant, cum Angelis gloriam in altissimis Deo, & in terra pacem hominibus bonæ voluntatis mirifice depromentes. Hæc omnia unus atque idem spiritus admirando plurimum operatur mysterio. Et sicut Altissimus ab initio vineam suam talibus piis cultoribus (juxta sanctam promissionem suam) visitavit, firmavit & auxit, sic semper ad illam suæ protectionis auxilium multipliciter impertitur, & eandem vineam suam, more solito visitans, virum fortem ad hujusmodi vineæ culturam adduxit, gloriosum scilicet confessorem beatum Bennonem, superno cœtui merito sociandum, immo verius sociatum, qui inter ceteros Christi athletas suis meritis & exemplis ipsam sanctam Ecclesiam (divina cooperante gratia) multipliciter decoravit, præsentisque temporis caliginem suæ lampadis fulgore mirabiliter illustravit. Ipse enim adversus mundum, carnem & dæmonem fortiter dimicavit, ac in odorem suavitatis Altissimi currens, copiosam utriusque sexus fidelium multitudinem salubriter post se traxit, ac velut effusam super faciem terræ religiosam professionis suæ generationem reliquit, ut ad illuminationem gentium celebris sui memoria, tamquam rutilum sidus, in Ecclesiæ firmamento servaretur.

De cujus quidem origine, vita, moribus & fama, necnon mirabilibus, quæ in præmium sanctitatis ejus Deus mundo multipliciter ostendere dignatus est, ne de tam celebri viro etiam posteritas maneat ignara, pauca ex multis duximus recensenda. Siquidem Fridericus Bultenburgensis, vir nobili loco natus pater fuit beati Bennonis, quem ex Bezela, ejus pia uxore, susceperat. Cumque in beato Bennone ab ineunte ætate bona indoles eluceret, ne illa æqualium studiis, malis moribus, ac depravatis opinionibus (ut illa ætas assolet) corrumperetur, magnopere sibi providendum existimavit, & eum, ut primum ex infantia excessit, divo Bernvvardo Episcopo Hildeseimensi commendavit & tradidit. Qui cum negocium sibi commissum attenderet, ut puer ad virtutem recte informaretur, illum primum ad amorem Dei optimi, maximique induxit; deinde vero cum vir prudens intelligeret, utile esse, si literæ cum virtute conjungerentur, beatum Bennonem a Bigario, bono sane viro & docto, instruendum curavit; sub quo magnos ille progressus fecit. Quamobrem ineunte jam adolescentia, cum ad bene beateque vivendum satis instructus esset, monasticam vitæ rationem suscepit. Monachus itaque cum esset, rejectis voluptatibus, omnem vitæ cursum in virtute confecit. Quod cum Fratres, cum quibus vivebat, probassent, tantumque in eo virtutis esse cognovissent, quantum ecclesiasticis honoribus erat mandandum, defuncto eorum Abbate, cunctis fere suffragiis Abbatiam illi detulerunt; sed quia res in contentionem inciderat, cum essent, sed non ita multi, qui Sigeberto religioso viro suffragabantur, beatus Benno,

ut

CONSTIT. LXXVII. A. D. 1523.

ut erat ab omni ambitione alienus, honorem recusavit, & pro Sigeberto summo studio egit, rogavitque, ne se ab ea vivendi ratione, qua in tranquillitate esset, distraherent. Sed quo ille vehementius rogabat, eo magis Monachorum studia incendebantur. Urgentes igitur & instantes, beatum Bennonem vel invitum ad dignitatem rapiunt, quam ipse tertio post mense deposuit, seque ad pristinam vitam, & bene quidem institutam, retulit, cœpitque eum claræ memoriæ Henricus III. Imperator diligere primum: qui cum videret sanctissimum hominem ad rempublicam bene gerendam natum esse, tantum virum in cœnobii angulis ætatem consummare passus non est. Sed cum a felicis recordationis Leone Papa IX. prædecessore nostro assensum obtinuisset, illum, magnopere repugnantem, e monasterio eduxit, ac præposituræ Ecclesiæ Goslariensis Hildesceimensis diœcesis præfecit. In ea vero cum usque ad ingravescentem ætatem integre, casteque conversaretur, canonici Ecclesiæ Misniæ fama ejus inducti, venerandum senem, qui tunc quinquaginta sex annos natus erat, Ecclesiæ suæ præesse voluerunt;

In quo munere cum omnia præclare, tum hoc præclarissime egit, quod VVandalos de religione Christiana male sentientes, ex pernicioso errore eripuerit, eoque traduxerit, ut una cum catholica Ecclesia pari studio fidem Christianam tuerentur. Quod factum & mirabile est, & plane divinum: illis namque temporibus piæ memoriæ Gregorius Papa VII. etiam prædecessor noster, & similis memoriæ Henricus IV. Imperator magnas inter se inimicitias gerebant, & ita quidem, ut alter alterum de eo, in quo locatus erat, dignitatis gradu dejectum studeret, qua de causa uterque suos in concilium vocabat.

Paruerunt Imperatori non solum principes, sed etiam universi & Germani & Galliarum Episcopi. Solus beatus Benno decreti Imperatoris auditor non fuit; quippe qui præclarum fore existimabat, si Ecclesiæ dignitatem, quoad ejus fieri posset, tueretur: atque ut suæ erga Ecclesiam devotionis, documentum daret, Imperatorem, Marchionemque Misnensem hostes religionis judicatos excommunicavit, qui etiam Marchioni ingressum templi Misnensis prohibuit, seque ad concilium pontificis contulit. Ad hanc magnitudinem animi quid addi potest?

Sed antequam profectionem susciperet beatus Benno, in Albim, magnum & celebre flumen, profluentem, Ecclesiæ suæ Misnensis claves projecit, ut iis, qui se Imperatoris causæ adjunxissent, eamque ob rem excommunicati essent, ingressus Ecclesiæ non pateret. Ex quo facile concipi potest, quantas ille inimicitias pro Ecclesia catholica susceperit, quantoque se obtulerit periculo. Nam cum Imperator se suosque injuria affectos existimaret, ac suas & communes injurias prosequi intenderet, beatum Bennonem a concilio reversum, ut suum expleret animum, in vincula conjecit. Sed Deus omnipotens, qui bonos scelerate oppressos, erigit, divinum hominem respexit. Fuit igitur beatus Benno non ita multo post & liberatus, & in pristinum statum restitutus.

Cum autem eo tempore claves Ecclesiæ Misnensis, de quibus præfati sumus, desiderarentur, in dicto Albi flumine capitur piscis, in cujus visceribus claves amissæ reperiuntur, magnum sane, & haud obscurum divinitatis specimen.

Nunc

Nunc vero de iis, quibus Ecclesiam suam exornavit sanctissimus homo: & primo quidem cum videret egregium cantum, rebus sacris magno ornamento esse, optimam quidem ille canendi rationem instituit, quæ hodie in templo Misnensi magno cum decore viget. Ecclesiam præterea bonis multis atque facultatibus locupletiorem fecit. Quid? quod in loco, in quem secedere solebat, si quando a ceteris curis ad contemplationem Dei optimi maximi se convertere vellet, Ecclesiam collegiatam extruxit, instituitque. CONSTIT. LXXVII. A. D. 1523.

Sed quid pluribus de propenso beati Bennonis in rem ecclesiasticam studio? Albim flumen prædictum siccis pedibus transivit: cumque aliquando ita, ut facere solebat, agricolas inviseret, videretque homines de labore fessos vehementer sitire, commiseratione adductus aquam in vinum convertit. Idemque beatus Benno alio quodam tempore, cum in valle proxima civitati Misnensi concionem ad populum haberet, animadvertit, multos, ut fit, tempore æstivo, siti pœne exanimes, ut illis subveniret, terram percussit, e qua subito uberrimus & perennis fons emanavit, qui adhuc hodiernis diebus *Fons sacer* appellatur. Campana vero ab ipso divo Bennone consecrata, omnem vim cœli ab agris finitimis avertit. Tum ager ille, per quem iter facere solebat vir divinus, omnes, qui in ea vicinia sunt, agros ubertate facile superat. Est præterea pagus quidam, Neumbergk nuncupatus, a Misna longe distans. Aliquando autem divinitus accidit, ut uno eodemque tempore beatus Benno, & illic rem sacram faceret, & Misnæ rebus sacris interesse videretur. Marchio quidem Misnensis ad rem avidior, cum per summum scelus in possessionem bonorum Ecclesiæ Misnensis irruisset, beatus Benno hominem recte facturum affirmavit, si ea, quæ ipsi Ecclesiæ Misnensi eripuisset, restitueret; sin minus, Deum aliquando pro tanta improbitate pœnas ab eo expetiturum. Quibus verbis homo furens concitatus, sanctissimum virum alapa percussit. Tunc beatus Benno, divino spiritu afflatus, hanc tantam injuriam, inquit, hoc eodem tempore sequentis anni Deus omnipotens ulciscetur: quem Marchio ille protervus atque superbus irrisit, ac paulo post beatus Benno ægrotare cœpit; & breve futurum sperans, ut ex hac vita ad superos, quorum consuetudo dulcis est, atque æterna, migraret, paulo antequam moreretur, canonicos suos adhortatus est, ut eam caritatem, quam nos docuit Christus, studiose complecterentur. Deinde Eucharistiam, cibum illum divinum, magna cum pietate suscepit: & cum orationes ad Deum optimum, maximumque habuisset, e vita excessit, & id quidem quadragesimo sexto, pontificatus sui anno post Christum natum MCVI. Hactenus de iis, quæ in vita non humano consilio, sed divinitus gessit divinus homo.

Ad ea vero, quæ post mortem illius summa cum admiratione acciderunt, nonnulla recitanda censuimus. Ac primum Marchio, de quo paulo ante fati sumus, cum tempus illud evenisset, quo Sanctus vir ipsum Marchionem pœnas daturum prædixerat, in hanc vocem prorupit: *Benno superiori tempore nescio quid periculi nobis hodierno die eventurum minabatur. Mortuus est ille. Non igitur est, quod nobis timeamus*. Vix ille hæc verba finierat, subito consternitur, & auxilium eorum, qui aderant, implorans; miserandum in modum, ac magno cum dolore & gemitu moritur. Hinc facile concipi potest, divinam potestatem, divino homini communicatam esse. Accedit huc alterum exemplum, priori haud dissimile. VVillhelmus alius Marchio antedictam Misnensem Ecclesiam injuriose tractabat, cumque Præpositus ejus-

CONSTIT. LXXVII. A.D. 1523.

ejusdem Ecclesiæ hominem magnis precibus a malo instituto abducere vellet, ipse non solum recte monentibus parere noluit, sed etiam ipsam Ecclesiam multo magis, quam antea, vexavit; tum dictus Præpositus, cum aliunde auxilium petere non posset, ad divum Bennonem confugit, ab eoque precatus est, Ecclesiam, ut servaret: quo factum est, ut beatus Benno Marchionem per quietem ter admonuerit, ne quid gravius adversus Ecclesiam moliretur: quod cum ille, ut inane somnium contemneret, quarto deinceps vehementer objurgatus, alterum oculum amisit, periculo graviori proposito, nisi ab improbo instituto desisteret. VVillhelmus Marchio partim metu, partim pœnitentia ductus, Ecclesiæ restituit omnia, illiusque facultates, quantum potuit, auxit: qui etiam divum Bennonem & plurimi fecit, & maxime coluit. Illud vero prætereundum non est, duos esse pagos, in quorum altero, Marchionem dum fugeret, se abdidit: in altero vero VVandalos a summa impietate ad fidem Christianam convertit: in quibus vestigia pedum ejus adhuc integra concernuntur. Tum tugurium illud, in quo apud VVandalos fuit, etsi nulla stabiliori structura firmetur, tectumque habeat stramineum, vetustate confectum, illud tamen nec unquam vitium fecit, nec igni est consumptum, cum tamen sæpenumero vicinæ ædes incendio flagrarent. Habitus quoque episcopalis, quo corpus suum terræ commendatum exstitit, una cum mitra episcopali ultra ducentos annos sub terra latuit, & absque aliqua alteratione ex sepulcro effossus, hodie integer cernitur & ostenditur.

Possent hic quamplurima alia miracula afferri. Multos enim divini Bennonis meritis e mortuis excitatos constat, multos variis morbis curatos: denique qui votum fecerit, neminem illius beneficium non sensisse. Propter quæ carissimus in Christo filius noster Carolus Romanorum & Hispaniarum Rex catholicus in Imperatorem electus, & dilecti filii nostri, Albertus sancti Petri ad Vincula presbyter, & Matthæus, sancti Angeli diaconus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, ac venerabiles fratres nostri, Richardus Trevirensis, & Hermannus Coloniensis Archiepiscopi, per eorum patentes literas, necnon dilecti filii nobiles viri Ferdinandus Archidux Austriæ, ac Georgius & Henricus fratres germani Duces Saxoniæ, Laudgravii Thuringiæ, & Marchiones Misniæ per venerabilem fratrem nostrum Johannem Episcopum Misnensem, nuncium & oratorem ad nos ab eis destinatum, & dilectum filium VVillhelmum de Enkenvvort, electum Dertusensem, datarium & prælatum nostrum domesticum, eorum apud nos, & Sedem Apostolicam, etiam oratorem & negociorum gestorem, humiliter supplicari fecerunt, ut præmissis diligenter inquisitis & exploratis, ad Beati viri canonizationem procedere dignaremur.

Quorum quidem precibus licet libenter annuere vellemus, summopereque gauderemus, hujusmodi canonizationem nostris temporibus divino quodam mysterio contigisse, ac nobis justum videretur, ut idem beatus Benno, quem jam Deus in cœlesti gloria Sanctorum choro dignum fuisse, plurimis & manifestis indiciis & miraculis ostenderat, in terris etiam sibi debito Sanctorum honore non defraudaretur; non statim rem tanti ponderis ac momenti faciendam, sed juxta veterem & laudabilem consuetudinem cunctanter, matureque considerandam duximus.

Post triplicem igitur inquisitionem ex recolendæ memoriæ Alexandri VI. primo: & deinde Julii II. & successive Leonis X. prædecessorum

etiam

etiam nostrorum commissionibus super hoc debite factam, tandem idem Leo X. tribus etiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus ex tribus illorum ordinibus, videlicet venerabilibus fratribus nostris Bernardino Ostiensi sanctæ Crucis in Hierusalem, & Antonio Albanensi, Episcopis, tunc Tituli sancti Vitalis presbytero, ac Johanni sanctorum Cosmæ & Damiani diacono, Cardinalibus, de fratrum suorum, de quorum numero, licet absentes, tunc eramus, consilio & assensu commisit, ut ipsi, visis & examinatis processibus editis super ejusdem Beati viri vita, moribus, fama & miraculis ante & post ipsius decessum, ejus intercessionibus a Deo factis, aliisque cunctis ad Sanctorum canonizationem hujusmodi necessariis, se super omnibus ac singulis diligenter informarent, & per eos comperta, in suo secreto consistorio, ut moris erat, fideliter referrent. Cumque ipsi Cardinales, visis & examinatis diversis processibus, in partibus Germaniæ de Sedis prædicta commissione habitis, & ad Curiam nostram transmissis, testiumque fide dignorum depositionibus, pro tantæ rei dignitate debite ponderatis, de supradictis miraculis ac vitæ sanctimonia, & aliis a jure requisitis fidelem nobis relationem in pluribus etiam secretis consistoriis fecissent, nosque ipsorum & omnium Cardinalium vota, pro celebranda dicta canonizatione, convenientia & conformia invenissemus;

CONSTIT. LXXVII. A. D. 1523.

Et pro celebriori executione dilectus filius Johannes Baptista de Senis utriusque juris doctor, & aulæ nostræ consistorialis advocatus in publico consistorio omnia de ipsius Beati viri vita, moribus, fama, & miraculis copiose percensuisset, nobisque humiliter supplicasset, ut ad ejusdem Beati viri canonizationem, matura deliberatione præhabita, procedere dignaremur; nos de relatis coram nobis, in primis maximas omnipotenti Deo gratias agentes, rogavimus omnes, in eodem publico consistorio tunc astantes, ut suis orationibus & jejuniis Ecclesiam Dei juvarent, ac, ne eam Altissimus modo aliquo in hujusmodi canonizationis officio errare permitteret, instanter orarent.

Demum post aliquot dies convocatis denuo in aula nostra consistoriali in palatio Apostolico universis & singulis, qui tunc aderant in Romana nostra Curia Ecclesiarum Prælatis, Patriarchis videlicet, Archiepiscopis, & Episcopis, in præsentia eorumdem fratrum nostrorum dictæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium eosdem processus, super ejusdem Beati vita, moribus, fama & miraculis editos, per eumdem Johannem Baptistam breviter, summarieque repeti fecimus, quæ cum ex serie per Cardinales, ac aliquos, quibus id munus per nos injunctum fuerat, enarrata & exposita fuissent, omnesque astantes Prælati, quid sibi super hujusmodi canonizationis negocio videretur, interrogati, unanimi consensu, nullo penitus discrepante, respondissent, sibi videri, quod idem Beatus vir inter Sanctos merito adscriberetur & connumeraretur, nos iterum humiles ipsi omnipotenti Deo, quod ad Beatum servum suum debitis honoribus prosequendum, corda nostra illuminare dignatus esset, gratias agentes, ad ipsius canonizationem diem Dominicam primam post Pentecosten, quæ tunc occurrebat ultima die mensis Maji anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo tertio, deputavimus, ac in basilica principis Apostolorum de Urbe amplum suggestum ligneum de more parari & exornari jussimus, super quo quidem hodie, astante universo clero & populo, de vita, miraculis & fama ejusdem beati Bennonis humili, devotioneque pleno, ut moris est, sermone habito, deindeque Litania & Hymno, *Veni creator Spiritus*, per omnia devote decantatis;

CONSTIT. LXXVII. A. D. 1523.

necnon a procuratoribus causæ ipsius canonizationis, & ab ejusdem Caroli in Imperatorem electi apud Sedem prædictam constituto oratore, a nobis magna cum instantia petito pronunciari, adscribi inter Sanctos eumdem beatum Bennonem, cum jam omnia consummata essent, omnesque Ecclesiæ cæremonias consuetas super ea re rite servavissemus, Deum præ oculis habentes, ad canonizationem ejusdem Beati sub his verbis procedendum duximus & processimus;

Ad laudem & honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, & exaltationem fidei catholicæ, & Christianæ religionis augmentum, auctoritate Domini nostri Jesu Christi, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, & nostra, de fratrum nostrorum consilio decernimus & definimus, bonæ memoriæ Bennonem, olim Episcopum Misnensem, Sanctum esse, & in Sanctorum catalogo adcribendum, ipsumque in eodem Sanctorum Confessorum catalogo describimus;.

Statuentes, ut ab universali Ecclesia quolibet anno festum ipsius & officium, sicut pro uno Confessore pontifice, die sexta decima mensis Junii, hoc est die depositionis suæ, devote & solemniter celebretur, & insuper eadem auctoritate omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui annis singulis ad sepulcrum ejusdem sancti Bennonis eadem die accesserint, septem annos & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus. Quibus debite peractis, inchoatoque per nos, ac decantato, usque ad finem a cantoribus nostris Hymno, *Te Deum laudamus*; in illius etiam fine Cardinali Diacono in cantu dicente: *Ora pro nobis beate Benno*, a choroque responso, *ut digni efficiamur promissionibus Christi*, nos illico propriam orationem de eodem Sancto alta voce decantavimus, dicentes,

ORATIO.

Deus, qui nos beati Bennonis pontificis confessione gloriosa circumdas & protegis, da nobis ex ejus imitatione proficere & intercessione gaudere. Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.

Deinde vero a dicto choro responso, *Amen*, solemnem illico missam nos ipsi celebravimus de dicta tunc currente Dominica prima post Pentecosten, collectas singulas sub una conclusione terminantes, additis etiam prædicta, cæterisque specialibus ejusdem sancti Bennonis collectis immediate sequentibus, pro secreta videlicet;

SECRETA.

Sanctus tuus, quæsumus Domine, Benno confessor & pontifex, nos ubique lætificet, ut dum ejus recolimus merita gloriosa, apud te semper patrocinia sentiamus.

Cum sua conclusione, *Per Christum &c.*

Deinde vero post communionem subjunximus, dicentes:

POSTCOMMUNIO.

Quæsumus, Domine, salutaribus repleti mysteriis, ut sancti Bennonis confessoris & pontificis, cujus solemnia celebramus, etiam intercessione adjuvemur.

cum

Cum simili conclusione : & ita missam ipsam ad finem usque cum solitis cæremoniis juxta ordinarium Apostolicum illico debite terminavimus, indulgentiamque plenariam omnibus officio hujusmodi tunc astantibus devote, elargiti sumus, præsentes literas in præmissorum testimonium concedentes ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, qui in Sanctis suis mirabilis est & gloriosus vivit & regnat benedictus in sæcula sæculorum. CONSTIT. LXXVII. A. D. 1523.

Ceterum quia difficile foret, easdem præsentes literas ad omnium notitiam deferri, volumus & decernimus, quod earumdem transumptis manu notarii publici subscriptis sigilloque alicujus Prælati ecclesiastici munitis, fides adhibeatur indubia in omnibus & per omnia, & illis ubique stetur, ac si originales literæ hujusmodi essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum decreti, definitionis, descriptionis; statuti, relaxationis, concessionis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vigesimo tertio, pridie Kalendas Junii, pontificatus nostri anno primo.

A. de Castello.

Visa VV. de Enkenvvort.

T. Hezius.

Registrata apud me T. Hezium. A tergo signatur: Bullæ Apostolicæ.

NOTA:

Hanc bullam de sancto Bennone post initium ex Cherubino sumtum, damus ex Matthæi Raderi Bavaria sancta tomo III. pag. 185. edit. II. ubi correctior habetur. Præter ipsum Raderum, de illo copiose agunt socii Bollandiani tomo III. Junii pag. 146.

CONSTIT. LXXVIII. A. D. 1523.

LXXVIII.

CLEMENS . VII

Beatum Antoninum, Florentiæ in Tuſcia Archiepiſcopum, ordinis Fratrum Prædicatorum, per Hadrianum VI. Pont. Max. Sanctorum confeſſorum pontificum canoni adſcriptum fuiſſe promulgat. Obiit Antoninus die II. Maji A. D. 1459.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Const. LXXVIII. A. D. 1523.

Rationi congruit & convenit æquitati, ut ea, quæ de Romani Pontificis gratia proceſſerunt, licet ejus ſuperveniente obitu literæ Apoſtolicæ ſuper illis confectæ non fuerint, ſuum debitum conſequantur effectum.

Dudum ſiquidem felicis recordationis Hadrianus Papa VI. prædeceſſor noſter pie præmeditans, ſingulos, præſertim aqua regenerationis renatos populos, Propheta docente, *miſericordias Domini in æternum cantare* decere, magnaque profecto & mirabilia eſſe opera miſericordiæ, quibus Salvator noſter Jeſus Chriſtus in ſalutem generis humani miſerationis hujus, largiſſime ſeſe effundere dignatus fuerat, quæ, ſi ab initio creati hominis recenſenda forent, nullæ humanæ linguæ ad id ſufficere poterant, quia inenarrabile illud erat, quod cum Deus ipſe hominem creaſſet ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, illi, ut felicitatis æternæ particeps fieri, & in cœleſti patria illa conſortiis Angelorum adſcribi poſſet, benigne conceſſerat, ſi datæ ſibi divinitus legis non contempſiſſet imperium. Neque tamen ipſum, legis hujuſmodi tranſgreſſorem factum, paſſa erat divina clementia penitus interire; quinimmo congruentes exhibere medicinas dignata extiterat, quibus a lege Domini aberrans in certam ſalutis ſemitam perduceretur, Angelos deſtinando, qui ei divinam patefacerent voluntatem, ipſumque juſta ſuaderent, & ad implendum divina mandata opportune adjuvarent; (Pſal. LXXXVIII.)

Mittendo etiam Patriarchas, gratiæ ſuæ ſpiritu repletos, qui exemplo ſui totum humanum genus inſtruerent ad ſalutem; necnon Prophetas, qui Spiritu ſancto illuminati, omnibus non præſentia ſolum beneficia commemorarent, ſed futura etiam prædicerent.

Illud vero erat maximum, & cui nullum aliud miſerationis opus comparari poterat, quod ipſe Dei Filius in perſona ſua naturam noſtræ mortalitatis aſſumere, ac ea myſteria, quæ de paſſione & morte ſua per ſanctorum Prophetarum ora, prædicata & annunciata fuerant adim-

adimplere, ac per passionem & mortem suam hujusmodi, nos a perpetua morte liberare dignatus fuerat. CONSTIT. LXXVIII. A. D. 1523.

Cumque prædecessor ipse tot gratiis & beneficiis invitatus ac provocatus, nihil studiosius curare ac efficere, quam ejus voluntati ac mandatis parere atque obedire, deberet, ipsique in illis, qui sibi propter vitæ integritatem ac sanctimoniam dilecti fuerant, & per quos diversa & magna miracula ostendebat, sanctissimum nomen suum glorificari, ipsosque catalogo Sanctorum adscribi, & ab universali Ecclesia claris honorum ac laudum præconiis honorari mandaret; sicut etiam ipsa sancta mater Christi Salvatoris nostri hujusmodi sponsa prædecessorem ipsum docebat, ut fidelium animas superna ac cœlesti beatitudine fruentes debita reverentia prosequeretur, quos, dum in humanis adhuc agerent, ipsi Deo acceptos, post autem ab hoc sæculo migrationem, in Beatorum numero collocatos & aggregatos esse intelligebat, dum fidelibus aliquo calamitatis genere oppressis, ac eorum suffragia implorantibus, divina omnipotentia in eorumdem cœlestis beatitudinis testimonium miraculose subvenire dignabatur, superna quoque patria illa Jerusalem ita omnium electorum salutatione lætabatur, ut quorum præstantiora erant merita, pro illorum uberioribus præmiis copiosiora etiam gaudia percipiebat, quod in excessu mentis suæ positus Isaias Propheta sensisse videbatur, cum diceret: *Exulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus.* Isa. XII. 6.

Prædecessor igitur ipse dicendum putavit; *Exultent omnes Angelorum chori*, qui de evacuatarum sedium repletione soliciti, humiles corde, ac bonis & sanctis operibus præcellentes, per virtutum gradus in beatas illas mansiones, unde superbi corruerant spiritus, perducere gaudent. Exultent quoque animæ justorum, qui Christi vestigia sequuti, vitæ hujus stipendiis emeriti, ac mundi illecebris omnibus superatis, cœlesti regno tandem perfrui meruerunt, & etiam nunc numerosiore cœlestium civium populo lætantur. Exultet universum cœlum laudibus, resultet terra gaudiis, cum Sanctorum editio lætitiam habeat plurimorum. Siquidem fidei zelus exigebat, ac justitiæ pietas postulabat, ut quod pro salute plurimorum gerebatur, communibus ubique gaudiis & plausibus celebraretur. Præcipue vero prædecessor ipse etiam putavit exultare debere pontificum beatorum cœtum, & sacram illam Doctorum concionem, inter quos sanctus Antoninus postquam ex hac lacrymarum valle ad cœlestem illam, quæ sursum est, Jerusalem (vocante ipsum Domino) migraverat, tamquam novum sidus gloriose micabat & fulgebat. Cumque ejusdem Antonini Archiepiscopi Florentini, ex civitate Florentia oriundi, ordinis Prædicatorum, vitæ excellentia, casti mores, fructuosa prædicatio, ac sanctissimorum operum perpetua coruscatio toti fere orbi nota esset, & ab omnibus prædicaretur, nos, tunc in minoribus constituti, & Tituli sancti Laurentii in Damaso, tunc sanctæ Mariæ in Domnica diaconus, qui ex concessione Apostolica Ecclesiæ Florentinæ præesse dignoscebamur, & dilectus filius noster, tunc ipsius prædecessoris, Thomas Tituli sancti Xysti, tunc ordinis Prædicatorum generalis Magister, presbyteri Cardinales, ac tunc Priores libertatis, & vexillifer justitiæ populi Florentini, necnon Archidiaconus, & dilecti filii, capitulum Ecclesiæ Florentinæ, considerantes ipsius Antonini Archiepiscopi vitæ sanctimoniam, quotue, & quibus miraculis tam in vita, quam post mortem claruerat, & in dies clarebat, desiderantesque, ipsum juxta morem

& ri-

CONSTIT. LXXVIII. A. D. 1523. & ritum S. R. E. canonizationis dignitate præfulgere, ac Sanctorum numero & catalogo aggregari, piæ memoriæ Leoni Papæ X. secundum carnem fratri patrueli, etiam prædecessori nostro in, dicta Ecclesia Florentina tunc existenti, missa pontificali & aliis peractis solemniis, humiliter supplicarunt, ut gloriosæ memoriæ dicti Antonini Archiepiscopi canonizationi intendere dignaretur.

Idem Leo prædecessor eorum pio desiderio annuere volens, dilectis filiis magistris Jacobo Simonetæ, & Guillelmo Cassadoro, nostris, tunc ipsius Leoni prædecessoris, capellanis, & causarum palatii Apostolici auditoribus commiserat, ut ipsi, & quilibet eorum de sanctitate vitæ, ceterisque virtutibus & miraculis ejusdem Antonini Archiepiscopi se diligenter informarent, & habita super his informatione matura, ipsi Leoni prædecessori in consistorio suo secreto fideliter referrent, ut de fratrum suorum consilio ad omnipotentis Dei laudem efficere posset quæ sanctorum Patrum dogmata, & Sanctorum canonum institutiones, necnon justitia & Christiana caritas postularet atque requireret. Cumque auditores præfati ad inquisitionem præmissorum procedentes, articulis & interrogatoriis datis, ac citatione legitima præcedente, sexaginta duos testes coram eis productos recepissent, eosque, prævio juramento, examinassent, idem Leo prædecessor ex dicta civitate Florentiæ ad almam Urbem & Romanam curiam redire proposuisset, dilectos filios Johannem Mariam Abbatem monasterii Vallis Umbrosæ Fesulanæ diœcesis, & Antonium Sacramorum canonicum dictæ Ecclesiæ Florentinæ, ac Leonardum de Guasconibus, tunc Vicarium Episcopi Fesulani in spiritualibus generalem, dictorum auditorum loco in causa canonizationis hujusmodi subrogaverat, eisque commiserat & mandaverat, ut ipsi, vel duo, aut unus eorum ad ulteriorem præmissorum inquisitionem procederent, ac testes reciperent, eorumque attestationes ac depositiones, & omnia alia acta in scriptis fideliter redacta, sub eorum sigillo clausa, ad ipsum Leonem prædecessorem remitterent;

Ipsique subrogati in causa inquisitionis hujusmodi ad ulteriora procedentes, quadraginta octo testibus coram eis productis, juratis & examinatis, ac processu desuper formato & absoluto, illum sub eorum sigillis clausum ad eumdem Leonem prædecessorem remiserunt, & successive nonnullis aliis testibus tam per præfatum vicarium, quam nonnullos alios notarios ad procuratoris fidelis civitatis Florentiæ instantiam examinatis, & eorum attestationibus etiam sub sigillo clausis, ad eosdem auditores remissis, & de eorum mandato per notarium causæ in registro insertis, præfatus Jacobus præsente eodem Guillelmo die nona mensis Decembris anni millesimi quingentesimi sextidecimi, omnia & singula in hujusmodi canonizationis causa, tam coram eis, quam dictis subrogatis & notariis acta deducta, producta & probata, plene, fideliter & diligenter eidem Leoni prædecessori, & S. R. E. Cardinalibus in consistorio suo secreto retulerat.

Qua relatione facta, idem Leo prædecessor eam volens adhibere diligentiam & gravitatem, quam rei magnitudo postulabat, processus in ipsius canonizationis negocio factos venerabili fratri nostro, tunc suo, Bernardino Ostiensi, tunc Sabinensi Episcopo, & tunc in humanis agentibus bonæ memoriæ Leonardo Tituli sancti Petri ad Vincula presbytero, & Bernardo sanctæ Mariæ in Porticu diacono, Cardinalibus, per eos denuo diligenter examinandos in dicto consistorio secreto,

vivæ

vivæ vocis oraculo commiserat; cumque idem Leo prædecessor præfatum Bernardum Cardinalem ad cariſſimum in Chriſto filium noſtrum, tunc ſuum, Franciſcum Francorum Regem Chriſtianiſſimum, Legatum a latere ſuo deſtinaſſet, in ejus locum dilectum filium noſtrum, tunc ſuum, Innocentium ſanctæ Mariæ in Domnica diaconum Cardinalem ſubrogaverat:

Ipſique Bernardinus ac Leonardus & Innocentius Cardinales in cauſa canonizationis hujuſmodi rite procedentes, ac dicto proceſſu una cum Auditoribus & Abbate præfatis, necnon dilecto filio Melchiore Baldaſtino juris utriuſque doctore, noſtræ, tunc ipſius Leonis prædeceſſoris, aulæ conſiſtorialis advocato, iteratis vicibus diligenter examinato, & cauſa hujuſmodi mature diſcuſſa, primo per Bernardinum Epiſcopum die decima tertia Junii anni milleſimi quingenteſimi decimi noni, in uno, multis & magnis in vita, deinde in alio conſiſtorio, ſecretis per Leonardum Cardinalem præfatum poſt mortem ipſius Antonini Archiepiſcopi, miraculis fideliter relatis, eodem Innocentio Cardinale præſente, & relationem per ipſos factam comprobante; & ſi ex eorumdem Cardinalium relationibus de vitæ ſanctimonia & humilitate, aliiſque virtutibus & miraculis ejuſdem Antonini Archiepiſcopi pleniſſime conſtaret, quamplurimis, tamen fide dignis teſtibus ſe offerentibus, ac ſuper eiſdem miraculis deponere volentibus;

Idem Leo prædeceſſor die vigeſima quinta menſis Januarii anni milleſimi quingenteſimi vigeſimi eiſdem Jacobo & Guillelmo auditoribus, etiam commiſerat & mandaverat, ut per ſe, vel alium, ſeu alios, tam in dicta Urbe, quam extra eam, & ad partes ad aliorum teſtium receptionem, & illorum examinationem procederent, & deinde in dicto conſiſtorio ſecreto referrent: ipſique Jacobus & Guillelmus auditores, dilectos filios venerabilium fratrum noſtrorum, tunc ipſius Leonis prædeceſſoris, Archiepiſcopi, Senenſis & Piſtorienſis, ac ejuſdem Feſulani Epiſcoporum vicarios in ſpiritualibus generales, ac præfatum Antonium Sacramorum canonicum, juxta tenorem commiſſionis eis factæ ſubdelegaverant, eiſque, & eorum cuilibet mandaverant, ut ſuper miraculis in vita, & poſt mortem per ipſum Antoninum Archiepiſcopum factis, teſtes reciperent, & prævio juramento diligenter examinarent, eorumque dicta & atteſtationes in ſcriptis redigerent, & cuncta ſub eorum ſigillis clauſa ad eos remitterent. Cujus commiſſionis vigore dilectus filius Ludovicus de Adimaris præfati Epiſcopi Feſulani vicarius in ſpiritualibus generalis, in cauſa canonizationis hujuſmodi rite procedens, ſuper eiſdem miraculis, centum quinquaginta & uno teſtibus, coram eo adhibito fideli procuratore hujuſmodi, deductis, juratis, & fideliter examinatis, eorumque dictis in ſcripta redactis, proceſſum abſolutum, & ſuo ſigillo clauſum ad eoſdem Jacobum & Guillelmum auditores, per proprium nuncium remiſerat;

Ipſoque proceſſu per eoſdem auditores recepto & aperto, ac diligenter examinato, & facta per eos ſuper illum in ſecreto conſiſtorio fideli relatione, idem Leo prædeceſſor ipſius ultimi proceſſus examen commiſerat eiſdem Bernardino Epiſcopo, & Innocentio Cardinali, ac dilecto filio noſtro, tunc ipſius Leonis prædeceſſoris, Achilli Tituli ſanctæ Mariæ Tranſtiberim presbytero Cardinali, quem ipſe Leo prædeceſſor loco ejuſdem Leonardi Cardinalis vita functi in hujuſmodi cauſa ſubrogaverat, ipſique omnibus proceſſibus per eoſdem Bernardinum & Achillem ac Innocentium Cardinales de novo diligenter examinatis,

facta

CONSTIT. LXXVIII. A. D. 1523.

facta per eos plena, & fideli relatione, ac scrutatis eorumdem Cardinalium votis, in eamdem sententiam convenerunt, & Antoninum Archiepiscopum ipsum canonizandum censuerunt. Deinde alio tempore, videlicet die quartadecima mensis Decembris anni millesimi quingentesimi vigesimi, scrutatis votis omnium & singulorum Cardinalium, qui numero triginta septem tunc in secreto consistorio aderant, una & eadem omnium sententia fuerat, ipsum videlicet Antoninum Archiepiscopum canonizandum fore.

Quibus peractis, idem Leo prædecessor in vigilia Pentecostes anni millesimi quingentesimi vigesimi primi, publicum consistorium pro sexta feria post festum ipsius Pentecostes indixerat, & teneri mandaverat, in quo idem Melchior publicam orationem de vita, sanctitate, moribus ac virtutibus ipsius Antonini Archiepiscopi, necnon miraculis, in vita & post mortem factis, & in processibus hujusmodi contentis atque probatis, ut ea in secretis consistoriis relata Prælatis curiæ ac curialibus omnibus innotescerent, habiturus erat.

Sed cum ante dictam sextam feriam febre correptus fuisset, consistorium illud præfata sexta feria teneri non potuerat. Deinde impedimentis, ac postremo obitu ejusdem Leonis prædecessoris, supervenientibus, in canonizationis hujusmodi negocio ulterius processum non fuerat;

Idem Hadrianus prædecessor, qui post ipsius Leonis prædecessoris obitum, divina favente clementia, ad summi Apostolatus apicem assumptus fuerat, cum ad dictam Urbem, Domino concedente, pervenisset, & a nobis, tunc in minoribus constitutis, ut præfertur, ac Thoma sancti Xysti præfato, & venerabili fratre nostro, tunc ipsius Hadriani prædecessoris, Nicolao Episcopo Cardinali de Flisco dicti ordinis Prædicatorum protectore, ac eisdem Prioribus libertatis, & vexillifero justitiæ populi Florentini requisitus fuisset, ut ad ulteriorem ejusdem canonizationis expeditionem procedere dignaretur; etsi omnino ipse Hadrianus prædecessor id facere intenderet, peste tamen in dicta Urbe tunc ultra modum sæviente, idipsum aliquantulum differre coactus fuerat.

Postmodum vero cum pestis ipsa per Dei misericordiam cessasset, ipse Hadrianus prædecessor Christiani gregis universalem curam gerens, pro debito pastoralis officii militantem Ecclesiam cœlesti ac triumphanti sponso illius conformare, & pro ejus ædificationis implemento omnibus diligenter examinatis, ac mature discussis, ipsum beatum Antoninum in catalogo Sanctorum referendum esse duxit.

De cujus quidem Antonini Archiepiscopi origine, vita, moribus & fama, omissis in præsentiarum miraculis præ multitudine illorum, quæ libello quodam impresso, ex ipso canonizationis processu per causæ procuratorem fideliter excepta, & per ipsum fideliter revisa atque collata continentur, aliqua ex multis ipse Hadrianus prædecessor duxit recensenda.

Antoninus igitur ipse beatus in civitate Florentiæ, quæ inter cunctas Italiæ civitates, cum multis aliis virtutibus & dotibus, urbes insignes & præclaras facientibus, tum maxime pietate ac religione semper floruerat, e Nicolao & Thomasia, sub timore Domini pie & caste viventibus, tanquam ex bona arbore bonum fructum faciente, ortus, & ab eis bene & pudice educatus, cum primum per ætatem Deum sibi cognoscere licuerat, eligens ei soli servire, ac mundi pompis omnibus renun-

renunciare velle, sese ipsi Deo in totum dicaverat, ac in oratorio horti sancti Michaelis dictæ civitatis ante imaginem Crucifixi humiles ac devotas preces porrexerat, ut virginitatem, quam illi voverat, usque ad ultimum vitæ spiritum, illius dono & gratia conservare posset. Imitaturus enim Christum ipsum, quem de Virgine natum, virginitatem perpetuo conservasse constat, & secreta Dei contemplaturus, nullum gratius donum petere atque impetrare potuisset. Virginitatem namque servanti, tantum dabatur propius arcana & cœlestia contemplari, ac divinarum rerum veritatem cognoscere, quantum ea virtus secretior erat, & a terrenis sordibus, omnique corporis contagione & fœditate longius abest. Deus, qui scrutator est cordium, sinceram pueri mentem, purumque animum introspiciens, humilem ac sanctam ejus orationem exaudiverat, eumque inter illos commendandum elegerat, quos in Apocalypsi præviderat Johannes *sequentes Agnum quocunque iret*, cantantes canticum novum ante thronum Dei: quod soli modulantur *qui cum mulieribus non sunt coinquinati*, & labem carnis, atque immunditiam omnem execrati, amiciuntur stolis albis, & corona immortalis gloriæ decorantur.

CONSTIT. LXXVIII. A.D. 1523.

Apoc. xiv. 4.

Puer igitur ipse a Deo electus, crebris jejuniis, continua ad Deum præmeditatione, frequentibus circa orationem & studia vigiliis, etiam illum modicum ætatis calorem extinguebat.

Cumque tertium decimum attigisset annum, ut humanis illecebris posthabitis atque contemptis, soli Deo, ejusque mandatis servire, ac penitus vacare posset, Religionem sancti Dominici, quæ per ardua tendit, ingredi statuerat, & die quadam devotionis fervore accensus ad domum ejusdem sancti Dominici de Fesulis dicti ordinis pergens, a Priore dictæ domus habitum, per fratres dicti ordinis gestari solitum, sibi exhiberi magna cum humilitate petierat. Prior ipse, quem pueri tenerior ætas & religionis austeritas ad habitum illum ipsi negandum, ejus vero fervor ac devotio ad exhibendum inducebat, secum ipse cogitando, quonam modo præmaturum pueri desiderium differre posset, eum interrogaverat, quibus studiis vacaret: qui cum respondisset, se Decretorum lectioni operam dare, tunc Prior modum invenisse ratus, quo interponerentur anni, donec maturior illi ætas accederet, dixerat, non solere canonistis habitum dicti ordinis exhiberi, nisi toto Decretorum libro memoriæ commendato.

Quibus verbis fide adhibita, innocens, simplexque, ut columba, puer a Priore discedens, & domum paternam repetens, Decretorum lectioni totis viribus incumbere ac vacare cœperat, adeoque sedula lectione ac assidua oratione profecerat, ut cum Sapiente merito dicere posset: *optavi, & datus est mihi sensus*. Illuminatus enim ab eo, qui illuminat omnem sensum, & qui lux, via & veritas est, ejusdem anni spatio Decretum integrum memoriæ mandaverat, quod propter sui magnitudinem tam brevi temporis spatio a quoquam vix legi posset. Sap. vii. 7.

Quo peracto, lætus & alacer, quasi ad victoriæ suæ palmam accipiendam properans, Fesulas redierat, ac Priori asserens, se integrum Decretorum librum mandasse memoriæ, dictum habitum, iis, qui librum hujusmodi memoriæ mandassent, dari solitum, magna instantia postulaverat. Prior secum considerans, quam essent mirabilia opera Dei, accitis fratribus ipsius domus, factoque memoriæ periculo, illis rei miraculo stupentibus, ac inter se dicentibus: *quis putas puer iste erit?* De illorum Luc. i. 66.

CONSTIT. LXXVIII. A. D. 1523.

unanimi consensu eidem Antonino, ipsum genibus flexis humiliter petenti, cum benedictione Domini exhibuerat.

In quo per quadraginta quatuor annos tanta humilitate, ac vitæ sanctimonia perseveraverat, talentum sibi a Domino creditum non sudario alligans, aut terræ infodiens, sed, ut providus dispensator, in communem utilitatem convertens, ut qui ejus innocentiam & puritatem noverant, dicere soliti fuerint, sibi videri, quod in eo Adam non peccasset, adeoque ipsius religionis servator fuerat, ut omnium fratrum oculos in se, tanquam lucidissimum exemplar, ac rectissimam normam, converteret; ipsique fratres eum, tunc ætate juvenem, aliorum regimini præposuerant, invitumque coegerant, ut domorum dicti ordinis Italiæ gubernacula susciperet, ac officium generalis Vicariatus Congregationis Tusciæ regularis observantiæ exerceret. In quo ita se laudabiliter gesserat, ac tantam animi & corporis humilitatem ostenderat, non solum doctrina, paternisque monitionibus (ut officium illud prælationis exigebat) subditos regens atque instruens; sed corporali etiam servitio & proprio servili ministerio utens, ut verus Christi miles, ejusque sanctorum operum imitator ab omnibus judicaretur, & in eo Dominicum istud verbum videretur impletum: *Qui major est vestrum: sit ipse minister vester*. (Matth. xxiii. 11.) Nonnullas dicti ordinis domos, in quibus regularis observantia relaxata fuerat, visitando, eas ad veram & sanctam regularem observantiam reduxerat.

Et ut se omnibus exemplar præberet, ultra continuos animi & corporis labores, ac præter assiduas in orationibus, studiisque vigilias, a carnium esu, quasi semper abstinuerat. Cilicium nunquam dimiserat, ac ferreo super nudam carnem cingulo cinctus, nudam terram seu ligneas tabulas pro lecto habuerat, donec ad senectutis annos pervenerat. Tunc enim strato ex paleis uti cœperat, jejuniis, aliisque corporis macerationibus supra tenues corpusculi vires continue pœnitentiam agens. Horas fere omnes diei ac noctis ad arcana Dei contemplanda, ac verbum ejus evangelizandum & ea scribendum, quæ ad communem utilitatem, & Christianam religionem pertinent, sedulo ac jugiter impendebat, nec solum viva voce prædicando tunc viventibus, sed & posteris plurima librorum optimorum, tum in sacris literis, tum in naturalibus, tum maxime in moralibus scientiis monumenta utilissima relinquendo, prodesse studuerat.

Quarum tam grandium, atque adeo insignium virtutum fama permotus piæ memoriæ Eugenius Papa IV. etiam prædecessor noster, Ecclesiæ Florentinæ, tunc pastore carenti de persona ejus præter omnem spem providerat, ipsumque illi præfecerat in Archiepiscopum & Pastorem. Quod cum sibi nunciatum fuisset, haud quaquam hujusmodi nuncio lætatus fuerat, sed, ut omni humilitate plenus, tale onus humeris suis impar judicaverat, ac statim cogitare cœperat, quo pacto posset illo absolvi ac liberari. Suis igitur, & amicorum literis eidem Pontifici supplicare non destiterat, ut se in minoribus inter confratres suos relinquere, ac dictæ Ecclesiæ de persona alterius, qui tantæ dignitati magis idoneus esset futurus, providere dignaretur. Cogitaverat autem Sardiniam petere, ac ibi tantisper dilitescere, donec alius eidem Ecclesiæ præficeretur. Sed, ut dici consuevit, *homo cogitat & proponit, Deus autem disponit*; nam quanto magis reluctabatur, ne Archiepiscopalis dignitatis onus sibi imponeretur, tanto magis operabatur Deus, ne alius, quam ipse, Archiepiscopus crearetur. Siquidem ipsi Ecclesiæ & civitati Flo-

Florentinæ pariter consulere volens, tum ipsum Eugenium Papam, tum etiam Cosmum Medicem, qui tunc temporis in ipsa civitate ingenio, opibus & auctoritate ceteris præstabat, ac inter egregias animi dotes atque virtutes, religionem in primis colebat, inspiraverat, ut hominem partim precum blanditiis, partim censurarum timore compellerent ad consentiendum provisioni de se factæ: qui cum illam Dei voluntatem esse agnosceret, ne illi contumacius velle resistere videretur, obedientiæ jugo collum submiserat, ac Pontificis mandatis, & Cosmi precibus (ut par erat) paruerat & obtemperaverat: ac non solum ipsi Ecclesiæ, sed etiam universæ civitati Florentiæ, illiusque populo & gregi sibi commisso ita utiliter præfuerat, ut inde omnes intelligerent, ipsum divino potius, quam humano consilio ipsi Ecclesiæ pro illius populi salute in Archiepiscopum præfectum fuisse.

Nam secum ipse reputans, ad hujusmodi dignitates vocatos non luxui, ac deliciis deditos esse oportere, sed omnibus & præsertim subditis, frugalitatis ac virtutis exemplar esse debere, nihil prorsus de illo tenui ac simplici victu, quo per quadraginta quatuor annos in Religione usus fuerat, immutaverat, ipsamque paupertatem, quam veluti sponsam carissimam, semper dilexerat, constantissime retinuerat, etiam semper aliquid de necessariis usibus suis detrahens, ut largior erga pauperes ac liberalior esse posset. Octo familiaribus, inter quos unus erat religiosus, utens, qui pro Archiepiscopatus negociis vix sufficere poterant, caritatis & misericordiæ operibus semper intentus. Nam ut hospitale, quod pauperum verecundorum dicitur in dicta civitate, in eoque confraternitas pro illius regimine institueretur, præfato Cosmo viro pientissimo plurimum adjuvante, auctor fuerat. Solent enim ipsius confraternitatis confratres egestate oppressis, seu mendicare erubescentibus uberes, copiosasque eleemosynas elargiri. Et ut ipse beatus Antoninus omnia misericordiæ opera præstaret, infirmos, ac etiam peste laborantes visitabat, illisque non solum de spiritualibus, sed etiam de temporalibus cibis & medicinis opportunis providebat, illisque interdum sibi paratos cibos, cum aliter prandere non possent, inaudita caritate largiebatur, nudos etiam propria quandoque tunica, cum jam omnia erogasset, vestiebat. Cumque omnes mensæ suæ Archiepiscopalis fructus, reditus, atque proventus in pauperum alimoniam, virginum dotes, atque hospitalium sustentationem, aliosque pios usus erogasset, ac pro temporum angustiis esset pauperum copia, & nihil aliud superesset, unde pauperibus ipsis & indigentibus subveniri posset, a præfato Eugenio & recolendæ memoriæ Nicolao V. ac Calisto III. & Pio II. Romanis Pontificibus similiter prædecessoribus nostris, quibus ob vitæ sanctitatem carus erat, non parvas pecuniarum summas in hujusmodi pios usus convertendas recipiebat, easque pauperibus ipsis distribuebat. Denique nullum caritatis & misericordiæ genus erga carceratos, viduas & pupillos omittebat, memor scilicet verbi Pauli Apostoli, dicentis: *Et, si habuero omnem fidem, itaut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum.* In administranda justitia nullus judicum eo tempore illi comparari potuerat, itaut præfatus Nicolaus prædecessor appellationes, quas a suis sententiis ad Sedem Apostolicam deferri contingeret, nulli alteri committi, sed ad eum ipsum examinandas remitti mandabat, ratus, hominem ab omni odio, amicitia, prece, pretio, aliisque omnibus, quæ judicantium animos in sententiis dictandis perturbare ac pervertere solent, penitus alienum esse. Causas omnes (1. Cor. XIII. 2.)

CONSTIT. LXXVIII. A. D. 1523.

ad eum delatas concordia componere, aut celeri sententia definire studebat. Cujus judicio fere omnes propterea acquiescebant, quia id ab ore sanctissimi viri, Deo sic inspirante, procedere existimarent. In corrigendis vitiis, emendandisque delictis ingenti utebatur severitate, ita tamen, ut in eo misericordia cum justitia conjuncta esse videretur. Fidei, & ecclesiasticæ libertatis defensorem se præbebat acerrimum, nec ullius minas formidabat. Cumque olim cives quidam Florentini insolentiores, illi, voluntatibus ipsorum se opponenti, minati fuissent, ita responderat, ut ostenderet, nihil sibi ex bonis terrestribus adimi posse, quo valde tristaretur, & se Ecclesia sua spoliatum libenter ad Religionem & Fratres suos rediturum fore, qui læti, ac libentes eum variis curarum oneribus levatum exciperent. Clerum reformaverat, ac populum correxerat, pravosque civitatis mores emendaverat, ludos omnes prohibitos atque damnatos sustulerat, superfluos mulierum ornatus restrinxerat, ac fere omnium cordibus devotionem spiritualem infixerat, quandoque fræno, quandoque vero calcaribus pro animarum & temporum qualitate utens, ut semotis seditionibus, sub Dei timore & caritatis zelo viverent, & in sancta Religione persisterent.

Quibus animi virtutibus in dicto ordine quadraginta quatuor, in Archiepiscopatu vero tredecim annos continue, absque non solum culpa, sed etiam culpæ suspicione usus, cum annum septuagesimum ageret, quod sæpius prædixerat, susceptis de more summa cum devotione Ecclesiæ sacramentis, bonis omnibus (si qua tunc illi remanserant) inter pauperes Christi distributis, cum lacrymis, imagine Crucifixi amplexa, ac sæpius iis repetitis verbis: *Servire Deo regnare est*, ac *sancta & immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam nescio*; hilari atque læto animo coram suis caris religiosis Fratribus orantibus & flentibus, sexto nonas Maji anni millesimi quadringentesimi quinquagesimi noni, ita immaculatam animam reddiderat Creatori, ut cum Apostolo dicere posset: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ*. (2. Tim. IV. 7.)

Postridie præfatus Pius prædecessor, cum viri sanctitatem jampridem cognitam haberet, Florentiam ingressus, omnibus Christifidelibus ejus corpus, antequam sepulcro conderetur, visitantibus, indulgentiam septem annorum & totidem quadragenarum concesserat: quo tanta non solum ipsius civitatis, sed etiam circumvicinorum locorum multitudo confluxerat, ut ejus corpus per octo dies sepulcro tradi non potuisset, omnibus id videre atque osculari volentibus, multisque infirmis ejus intercessione sanitatem a Deo implorantibus, eamque miraculose consecutis: qui licet ex sanctis operibus suis beatus & sanctus ab omnibus ejus vitam intuentibus, aut famam integerrimam audientibus certissime crederetur, eam tamen opinionem auxerat manifesta & oculata visio Dominica cuidam Tuccio monacho monasterii Cistelli, Florentino, Cisterciensis ordinis, in civitate ipsa Florentia & Constantio de Fabriano, tam sanctitate vitæ claro, quam scientia & doctrina, in dicto Prædicatorum ordine professori, in civitate Asculana oblata. Quorum uterque eadem noctis hora, qua dictus beatus Antoninus ad Dominum transivit, ejus animam ab Angelis in cœlum visibiliter portari viderat. Eamdemque opinionem, fidemque postea confirmabat magna & innumera miraculorum multitudo, quæ omnipotens Deus ipsius beati Antonini, inter cœlestes beatorum choros recepti, meritis, tam, dum in hac misera luce vixerat, quam vita functus, post mortem

ipsam

ipsam mundo manifestaverat. Siquidem ejus invocato nomine dæmoniaci a malis spiritibus liberati, diversorum morborum generibus oppressi, & a medicis omnino destituti ac mortui, & pro mortuis utique habiti, revixerant, ac pristinæ sanitati restituti, ac leprosi mundati fuerant. Præterea claudi incessum, surdi auditum, muti loquelam, contracti motum liberum, cœci lumen recuperaverant: ejusque sanctitatis non modicæ ipsi Hadriano prædecessori, & toti populo testimonium perhibere poterant verba, quibus, vivente adhuc ipso beato Antistite Antonino, idem Nicolaus prædecessor in canonizatione sancti Bernardini de Senis, per eum facta, usus fuerat; asserendo, non minus ad Dei laudem Antoninum vivum, quam Bernardinum mortuum inter Sanctos referendum putare.

CONSTIT. LXXVIII. A. D. 1523.

Quibus & aliis multis, quæ per eumdem Hadrianum prædecessorem recenseri poterant, jure ac merito prædecessor ipse Hadrianus ad ipsius beati Antonini venerationem inducebatur. Egitque omnipotenti Deo quantas potuit gratias, quod prædecessorem Hadrianum ipsum dignum reddiderat, per quem canonizatio ipsa celebraretur. Cumque præter magna & multiplicia hujus beati Antonini merita & mirabilia signa, per divinam potentiam ad ejus intercessionem mortalibus ostensa, quæ in libellum, ut præfertur, a diligenti, & fideli procuratore causæ ex processu & testium dictis, redacta & impressa, adeo multa essent, & probatissima & vera, ut per se Hadrianum prædecessorem hujusmodi ad canonizationem eamdem faciendam facile persuadere possent, sciretque ipse Hadrianus prædecessor, nihil umquam fere ab omnibus Regibus & Principibus Christianis, etiam a claræ memoriæ Maximiliano in Imperatorem electo, tunc in humanis agente, majore instantia a præfato Leone, & ab eodem Hadriano prædecessoribus postulatum, ac prope flagitatum fuisse; durum, & quodammodo impium ipse Hadrianus prædecessor arbitratus fuerat, eos tam pio ac devoto desiderio suo diutius frustrari. Ne igitur ipse Hadrianus prædecessor tam præfatis Principibus pie supplicantibus, ac Spiritui sancto, resistere videretur, qui per os Prophetæ, *laudare Dominum in Sanctis suis* jubet, consistorium publicum habuerat, in quo cum pro ulteriori executione præfatus Melchior advocatus omnia de ipsius Beati viri vita, moribus & miraculis copiose percensuisset, ipsique Hadriano prædecessori pro eorumdem Regum, Ducum, Principum, ac plurimorum Prælatorum, Episcoporum, Capitulorum ac Religionum humiliter supplicasset, ut ad ejusdem canonizationem, matura deliberatione præhabita, procedere dignaretur; idem Hadrianus prædecessor de relatis coram eo, in primis humiliter Deo gratias agens, magna multitudine astante, in triduum orationes, jejuniaque indixit, ut Deus omnipotens ipsi Hadriano prædecessori, quod factu optimum in hac re foret, ostendere dignaretur, nec pateretur, militantem Ecclesiam suam errare, qui se triumphanti conformare consueverat.

Psal. cl. 1.

Triduo deinde elapso, omnes, qui in Romana Curia, erant, Prælatos jussit in suo secreto consistorio convenire, qui processibus super ipsius beati Antonini vita, moribus, fama & miraculis editis, per ipsum Melchiorem advocatum breviter repetitis, ad unum interrogati, quid super hujusmodi negocio faciendum censerent, in eamdem sententiam convenerunt, beatum videlicet Antoninum canonizandum esse.

Ipse ergo Hadrianus prædecessor Dei nutum & voluntatem sequens, attendensque justum, ac debitum esse, ut quos Deus honorat in cœlis, vene-

CONSTIT. LXXVIII. A. D. 1523. venerationis officio laudarentur & glorificarentur in terris, cum ipse potius laudetur & glorificetur in illis, qui est laudabilis & gloriosus in sæcula; diem illum canonizationis ipsius beati Antonini in medio basilicæ principis Apostolorum de Urbe, quo maxima omnis generis, ordinisque multitudo confluxerat, celebrandæ statuerat, ibi astante populo, & universo clero, de vita, fama & miraculis ejusdem Antonini, humili, devotioneque pleno sermone per eumdem Hadrianum prædecessorem, ut moris, est habito; deinde Litania & Hymno, *Veni creator Spiritus*, devote cantatis, ac reliquis omnibus legitime peractis, prædictus ordinis Prædicatorum in causa procurator in medio stans, dictumque illud beati Johannis Apostoli, clara voce proponens, videlicet: 1. Jo. v. 8. *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus sanctus*; probaverat, ipsas beatæ Trinitatis personas testimonium perhibere, quod beatus Antoninus in cœlis esset; *Patrem* videlicet in miraculorum potentia, *Filium* in doctrinæ sapientia, & *Spiritum sanctum* in vitæ ipsius bonitate; & propterea non solum nominibus omnium, qui antedictam canonizationem fieri supplicaverant, sed etiam ex parte ipsius sanctæ ac summæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti, quatenus ipse Hadrianus prædecessor eumdem beatum Antoninum Sanctum pronunciare dignaretur, postulaverat. Eapropter Hadrianus prædecessor hujusmodi, considerans, quod in eadem canonizatione non permissurus esset Deus, ipsum errare, qui omnia in ea, quomodolibet requisita, observata fuisse cognoverat, & observari fecerat, prout observaverat, sub data videlicet pridie Kalendas Junii, pontificatus sui anno primo, de eorumdem fratrum suorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, omniumque Prælatorum, in Romana curia existentium, unanimi consensu & maturo consilio de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisus, beatæ memoriæ Antoninum Florentinum, sacræ Theologiæ professorem ex gremio sacri ordinis Prædicatorum, & ex officio Vicariatus generalis Congregationis Tusciæ, regularis observantiæ hujusmodi, in Archiepiscopum Florentinum assumptum, Sanctum esse, & aliorum Sanctorum Dei catalogo adscribendum & aggregandum fore, ac fideliter firmiterque teneri debere decrevit, ipsumque Sanctorum Confessorum & Doctorum, quos sancta Dei venerabatur Ecclesia, consortio solemniter adscripsit, aggregavitque, ac eum, tamquam Sanctum, publice, privatimque colendum esse declaravit ac voluit.

Statuitque & mandavit universis venerabilibus fratribus nostris, tunc suis, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis filiis dictorum, ac Patriarchalium, Metropolitanarum & Cathedralium Ecclesiarum Capitulis, & quorumvis ordinum, tam mendicantium, quam non mendicantium professoribus, necnon quibuscumque ecclesiasticis personis, ut festum ipsius sancti Antonini secunda die mensis Maji, qua die nexu carnis soluta ejus anima pretiosa cœlos ascenderat, singulis annis solemniter & devote celebrarent divinum officium, veluti pro uno Confessore Pontifice & Doctore tam publice, quam privatim, prout contingeret persolvendum. Dilectis vero filiis, fratribus dicti ordinis Prædicatorum hujusmodi officium sub duplici festo, & majori, cum octavis, eo modo, quo aliorum dicti ordinis Prædicatorum Sanctorum celebrare festa, tam in die, quam in octavis consueverant, etiam in vacantiis feriarum hebdomadalium in provincia, juxta consuetudinem ordinis præfati, celebrandi concessit facultatem.

Quibus

Quibus debite peractis, inchoatoque per eumdem Hadrianum prædecessorem, & decantato, ac ad finem, usque a cantoribus prosecuto Hymno, *Te Deum laudamus*: in illius etiam fine Cardinali Diacono in cantu dicente: *Ora pro nobis, beate Antonine*, a choroque responso, *ut digni efficiamur promissionibus Christi*, ipse Hadrianus prædecessor illico propriam orationem de eodem Sancto alta voce decantavit, quæ talis est, videlicet, CONSTIT. LXXVIII. A. D. 1523.

ORATIO.

Gregem tuum, quæsumus, Pastor æterne, custodi, & quos beati præsulis Antonini a te virginitatis & pietatis speciali prærogativa dotati, doctrina salutis illustras, ejusdem etiam semper tuere præsidiis, Per Dominum nostrum Jesum Christum &c.

Deinde vero a dicto choro responso, *Amen*, solemnem illico missam idem Hadrianus prædecessor celebravit de dicta tunc currente Dominica Trinitatis, collectas singulas sub una conclusione terminans, additis etiam prædicta, ceterisque specialibus ejusdem sancti Antonini collectis immediate sequentibus;

SECRETA.

Munera, quæ in salutiferæ passionis Filii tui memoriam sacrificantes offerimus, quæsumus, ut beato Antonino confessore tuo atque pontifice assistente nobis, ad salutem pervenire concedas. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum &c.

Deinde vero post communionem subjunxit, dicens;

POSTCOMMUNIO.

Quæsumus, Domine Deus noster, ut cælesti & admirabili sacramento salutis nostræ refecti, beati Antistitis Antonini confessoris tui auxiliis semper adjuti, & abstrahamur a noxiis, & ad salutaria dirigamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum &c.

Cum simili conclusione: & ita missam ipsam ad finem usque cum solitis cæremoniis juxta ordinarium Apostolicum illico debite terminavit, indulgentiamque plenariam omnibus officio hujusmodi tunc astantibus devote concessit. Quam etiam plenariam indulgentiam similiter omnibus & singulis fidelibus in die, qua contingeret translatio fieri sacri corporis ejusdem beatissimi Antonini de loco, ubi humiliter tunc jacebat in terra in Ecclesia sancti Marci Florentiæ ordinis Prædicatorum, ad eminentiorem & honorabiliorem locum per fratres dictæ Ecclesiæ, in eadem sancti Marci Ecclesia ad honorem & laudem Dei, & ipsius Sancti, convenientibus, & manus adjutrices porrigentibus, tam pro se ipsis viventibus, quam pro defunctis & absentibus, seu infirmis, aut corporaliter accedere impeditis, mittentibus pro ea consequenda ad dictam Ecclesiam eleemosynam, a primis vesperis translationis ipsius, & deinde per totam octavam ejusdem, pro una vice tantummodo duraturam; volens, ut ad effectum prædictæ indulgentiæ consequendæ, tam Prior domus ipsius Ecclesiæ sancti Marci, quam alii duodecim Fratres, per eumdem ibidem confessorem deputandi, possent absolvere omnes confitentes ab omnibus casibus & censuris, a quibus de jure Episcopi & dioe-

CONSTIT. LXXVIII. A. D. 1523.

& diœcesani poterant, & vota similiter commutare. Ac etiam in loco sepulturæ ejusdem sancti Antonini in depositionis suæ die, videlicet secunda Maji hujusmodi, perpetuo duraturam quadraginta annorum & totidem quadragenarum indulgentiam annuatim condonavit.

Ne autem de canonizatione, decreto, adscriptione, aggregatione, declaratione, voluntate, statuto, mandato, concessionibus & condonatione prædictis pro eo, quod super illis ipsius Hadriani prædecessoris literæ, ejus superveniente obitu, confectæ non fuerint, valeat quomodolibet hæsitari, volumus & præfata Apostolica auctoritate decernimus, quod canonizatio, quam tam communitatis dictæ civitatis Florentiæ, quam nostri, qui ejdem Ecclesiæ Florentinæ præeramus, impensis, summo desiderio, ac diligentia fieri procuravimus, ac decretum, adscriptio, aggregatio, declaratio, voluntas, statutum, mandatum, concessiones & condonatio prædictæ, perinde a dicta die pridie Kalendas Junii suum debitum sortiantur effectum, ac si super illis ipsius Hadriani prædecessoris literæ sub ejusdem diei data confectæ fuissent, prout superius enarratur; quodque præsentes literæ ad probandum plene canonizationem, decretum, adscriptionem, aggregationem, declarationem, voluntatem, statutum, mandatum, concessiones & condonationem Hadriani prædecessoris hujusmodi ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Nos etiam omnes & singulos in dignitate constitutos, in virtute sanctæ obedientiæ requirimus & monemus, quatenus universis clericis & populis suarum civitatum & diœcesium & parochialium, præsentes nostras literas solemniter publicantes, eosdem hortentur, ut Deus ipse, a quo bona cuncta procedunt, ipsius sancti doctoris & confessoris Antonini meritis & precibus exoratus, militantem Ecclesiam, Apostolicam fidem, & cunctos Christifideles a paganorum, & aliorum infidelium & hæreticorum tueatur incursibus, & a periculis semper protegat atque defendat, ac illam, quam nobis mundus dare non potest pacem, hostium omnium sublata formidine, firma cum tranquillitate concedat; utque post hujus vitæ militiam, depositumque pastoralis officii ministerium, una cum grege nobis credito, ad sempiterna tandem gaudia pervenire mereamur.

Demum, quia difficile foret, præsentes originales literas ad cujuscumque notitiam deferri, volumus ac decernimus, quod earum transumptis, manu publici notarii, inde rogati, subscriptis, & sigillo alicujus personæ ecclesiasticæ in dignitate constitutæ munitis, ea prorsus ubilibet fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis, constitutionis, requisitionis & monitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vicesimo tertio, sexto Kalendas Decembris, pontificatus nostri anno primo.

N O T A,

De sancto Antonino, alias *Antonio*, Archiepiscopo Florentino fuse agitur tomo 1. Maji Bollandiani pag. 319.

LXXIX.

XYSTUS . V

Sanctorum confessorum canoni adscribit B. Didacum a Sancto Nicolao ex Hispania Bætica, ordinis Fratrum Minorum observantium, qui obiit die XII. Novembris A. D. 1463.

XYSTUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Constit. LXXIX. A. D. 1588.

REX Regum ante omnia sæcula Christus Dominus, qui propter perditi salutem hominis forma servi accepta, in plenitudine temporis factus est homo, Ecclesiam suam unice dilectam, suoque pretioso sanguine acquisitam, supra beatissimum Apostolorum principem Petrum, cui petræ firmitatem dedit, in se ipso, summo angulari lapide, a Christianæ fidei primordiis ædificavit, & usque ad sæculi consummationem per omnes temporum ætates mirabiliter semper ædificat. Divinum vero admirabilis hujus ædificationis artificium nec inflata mundi sapientia capit, nec terrena & carnalis prudentia ullo modo assequitur; Diaboli autem astutia & superbia contremiscit. Nimirum quemadmodum ex pauperibus & contemptis plerumque hominibus, humili & obscuro loco natis, nullis artibus, nulla eloquentia instructis, nullo denique humanæ potentiæ præsidio communitis, tanquam ex abjectis & reprobatis lapidibus tanta fiat moles, tam pulchra, tam ornata, tam fortis, tam stabilis, in tantam demum consurgat altitudinem, ut ipsæ inferorum portæ ejus robur ac firmamentum perhorrescant. Sed viæ Dei non sunt viæ hominum, nec cogitationes ejus sicut cogitationes eorum. Itaque non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat fortia; & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non sunt, ut ea, quæ sunt destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus. Sic omnipotens Deus per scandalum Crucis, & per stultitiam prædicationis salvos fecit credentes; sic ab ipsis nascentis Ecclesiæ initiis per sapientem Apostolorum infantiam, & per fortissimam Martyrum infirmitatem, Græcorum sapientiam infatuavit, & gentium potentiam dejecit atque prostravit: sic denique per succedentes ætates brachio fortitudinis suæ deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles Sanctos suos.

Hinc superiori sæculo, & patrum nostrorum memoriæ valde propinquo, ex humili familia Fratrum Minorum sancti Patris Francisci humilem beatum Didacum, in Hispania natum, non doctrina præcellentem, sed quales primi illi nostri magistri & principes fuerunt, sine literis huma-

CONSTIT. LXXIX. A. D. 1588.

humano studio comparatis, sed idiotam, & in sancta religionis professione laicum, delegit, in quo ostenderet abundantes divitias gratiæ suæ; cujus admirabili vitæ sanctitate & exemplo multos ad viam salutis perduceret, & senescentem, ac pene decrepitum mundum magis, magisque coargueret, quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.

Itaque Pater misericordiarum Deus, qui facit mirabilia magna solus, hunc servum suum parvulum & demissum, cœlestibus donis suis adeo ornavit, tantoque Spiritus sancti igne incendit, manumque suam ad sanitates & signa & prodigia, beati Didaci meritis, cum in ejus vita, tum post mortem efficienda tam mirifice extendit, ut is non solum apud suos in florentissimis Hispaniæ Regnis notus & clarus esset, sed apud exteros etiam ejus nomen magna cum gloria pervulgaretur. Justus enim & misericors Deus servos suos fideles, quos ante mundi constitutionem elegit & prædestinavit ad vitam, non solum in cœlo semper coronat, sed sæpe etiam in terra, ubi fortiter & legitime certaverunt, multo gloriæ splendore cumulat atque illustrat. Nimirum, ut præclaras illas suas promissiones persolvat: *dabo vos*, inquit, *nominatos, & in gloriam & in laudem in cunctis populis terræ*; ut se ipse in Sanctis suis mirabilem demonstret, & potentiam suam signis & virtutibus declaret, ut propositis Sanctorum gloriosis laboribus & meritis, qui homines fuerunt nobis similes, circumdati infirmitate, segnitiem & tarditatem nostram in via virtutis excitet, & frigescentem caritatem accendat; ut hæreticorum pravitatem coerceat, perversitatem confundat, dum ad sacras eorum reliquias divina virtute ægroti curantur, Dæmones pelluntur, ut mortuos, qui in Domino sunt mortui, beatos esse, & multo felicius vivere omnes intelligant. Postremo ut amici Dei multo maxime honorentur, & qui Sancti sunt apud Deum, Sancti etiam ab hominibus habeantur; ad quorum nos opem confugientes, eosque pie invocantes, eorum suffragiis adjuti cœlestem misericordiam facilius impetremus. Merito igitur beatum Didacum laudamus, quem Deus multis & illustribus ostendit miraculis prædicandum; de cujus beati Viri vita & rebus gestis, purissimæ fidei integritate, morum excellenti sanctitate, signorum admirabilitate pauca quædam libenter pro nostro pastorali officio, populo Dei proponimus, ut laudetur Deus in Sancto suo, & fidelium devotio tanquam salutari quodam & perjucundo cibo nutriatur, omnesque Deo gratias agant, publico nostro & hujus sanctæ Apostolicæ Sedis testimonio, quæ a Spiritu sancto gubernatur & regitur, beati Didaci sanctitatem optimo jure declaratam esse & promulgatam.

Sophon. III. 20.

Natus est beatus Didacus in Hispania in provincia Bætica, & in oppido, cui nomen est, sanctus Nicolaus de Portu, quod est in diœcesi Hispalensi: & is quidem, ut fœcundus ager, cœlestis gratiæ imbre irrigatus uberes fructus cito protulit.

Nam adolescens ex medio Babylonis fugiens, hoc est, ex laqueis & periculis sæculi, pœnitentis habitu indutus in propinquam solitariam Ecclesiam una cum pio quodam sacerdote spiritualis vitæ duce, & socio secessit; ubi novus Christi miles in hujus fallacis mundi contemptione, & omnium humanarum rerum despicientia, in cœlestium contemplatione, in corpore domando, & spiritui subjiciendo se assidue exercens, magna cum suorum oppidanorum ædificatione præclarum tirocinium posuit.

Post

Post aliquot vero annos, ut se arctioribus vinculis Christo adstringeret, & a mundi tempestatibus quam longissime discederet, & sub suavi obedientiæ jugo, Deo securius & fructuosius serviret, in portum Seraphicæ sancti Francisci religionis confugit, eamque prope Cordubam in conventu de Arrizafa, ut vocant, quem Fratres Minores, qui nunc de observantia nominantur, incolunt, verbis expressis est professus. Hic jam athleta Christi amplissimum virtutum stadium ingressus, tanquam obliviscens quæ retro erant, & ad ea quæ sunt priora se extendens, cœpit omni contentione corporis & spiritus persequi, divina gratia suffragante, bravium supernæ vocationis. Summa cura & diligentia in Regulæ observatione versabatur, quam in omni vita sancte adeo inviolateque servavit, ut ipse in cunctis religiosis functionibus & officiis vivens, quædam & expressa regula esse videretur.

In primis vero, qnia sapientissimus architectus Spiritus sanctus, sublime regularis perfectionis ædificium in eo extruebat, altissimum humilitatis fundamentum jecit, & ut prudens ille ædificator in Evangelio laudatus, fodit in altum, & ædificavit domum supra petram: nihil sibi tribuens, nulli se anteponens, quo plura a Deo accipiebat, eo dimissius se gerens. Itaque nullæ tentationum procellæ, nulli superbiæ, & inanis gloriæ venti, nullæ Diaboli machinationes domum illam tam egregie fundatam movere, aut labefactare potuerunt. Superiorum & Prælatorum mandata & jussa, tanta obedientia, tantaque alacritate exequatur, acsi Deum in eis loquentem audivisset. Sanctam paupertatem, Domini sui sponsam carissimam, quam diligentissime custodiebat, omnia arbitratus, ut stercora, ut Christum lucrifaceret. Cumque Satanæ astutias non ignoraret, sed optime intelligeret, infensissimum humani generis adversarium, tanquam leonem rabidum & rugientem dies noctesque circuire, ut Christi oviculas dilaceret ac devoret, nunquam otio aut torpori se dabat, sed stabat succinctus lumbos suos in veritate, indutus loricam justitiæ, galea salutis assumpta, & scuto fidei arrepto, in quo omnia posset ignita nequissimi hostis tela extinguere.

Corpus igitur, & carnem suam, illecebram peccati, labore, jejuniis fere continuis & flagellis castigabat, & in servitutem redigebat; præcipue vero ad excelsam illam arcem confugiebat, qua nulla fortior, nulla munitior, hoc est ad sanctæ orationis præsidium; cujus alis in cœlum frequenter sublatus, terrenorum oblitus, suavissimo Dei colloquio fruebatur.

In ea igitur schola divinitus eruditus vir, alioqui plane rudis, & literarum minime sciens, admirandum in modum de rebus divinis loquebatur, sensusque mirificos proferebat, itaut viri eruditissimi, qui in sacræ Theologiæ studiis ætatem contriverant, summopere obstupescerent; illudque memoriæ traditum est, & gravi testimonio comprobatum, doctos & pios viros cum abstrusas & perdifficiles quæstiones, ad res divinas, animarumque salutem pertinentes cum eo familiariter communicarent, id ab homine, literarum experte, cumulate didicisse, quod in celeberrimis Academiis a magnis Doctoribus addiscere nequiverant.

Ille præterea orationis fructus erat uberrimus, quod jam in benedictionibus dulcedinis præventus, & calicem illum præclarum, qui cor inebriat, delibans, ardentis caritatis igne erga Deum & proximos toto pectore æstuabat. Quare bonorum omnium auctorem Deum

CONSTIT. LXXIX. A. D. 1588.

& beatissimam Dei Genitricem semper Virginem humani generis advocatam, quam summa devotione semper coluit, non pro se solo, sed pro omnibus hominibus, & præsertim pro peccatorum emendatione continenter, vehementissimeque orabat.

Pauperes vero Jesu Christi tanto affectu diligebat, tantaque erga eos misericordia commovebatur, ut omni studio (quantum ei licebat) eorum inopiam & calamitates sublevare sedulo procuraret. Quod si interdum præstare non posset, vim lacrymarum profundebat, eosque verbis amantissimis consolabatur.

Ægrotos fratres omnibus caritatis officiis prosequebatur, assidere ad lectum, cibum ministrare, vigilare totas noctes, perferre omnes molestias tanta patientia, tanta humilitate, ut quorumdam purulentas plagas, non solum medicamentis curare, sed lingua quoque eas lambere & abstergere non abhorreret; quo in genere eximia servi Dei caritas Romæ aliquando in cœnobio fratrum suorum, quod est ad Aram cœli, insigniter eluxit. Nam anno quinquagesimo superioris sæculi, cum piæ memoriæ Nicolaus Papa V. prædecessor noster sacrum Jubileum de more celebraret, Romam venit beatus Didacus, ut salutarem indulgentiam consequeretur, & beatorum Apostolorum sepulcra, ceterorumque sanctorum Martyrum illustres memorias religiose veneraretur; magna erat annonæ inopia, gravibus & periculosis morbis Urbs laborabat, cum beatus Didacus ægrotis curandis, quorum ingens erat numerus, a Guardiano seu cœnobii Præfecto, qui jam ejus sanctitatem degustaverat, est præpositus; cujus officii munus tam fideliter, feliciterque administravit, ut in publicis angustiis omnia apud pauperes Christi abundarent, omnesque in servo Dei, & copiosum caritatis spiritum, & singularem illius apud Deum gratiam agnoscerent.

Nec sane mirandum est, virum Dei membris Christi, fratribus suis, in quibus Christus ipse ægrotabat, tanto caritatis studio inservisse, tam impigre ministrasse, qui eo jam perfectionis progressus erat, ut caritatem illam, qua nemo majorem habet, sponso animæ suæ præstare & persolvere concupisceret, & pro Christi nomine & confessione vitam & sanguinem profundere desideraret. Ea nimirum est perfecti amoris vis & natura, ut non facile conquiescat, sed majora semper & maxima appetat & moliatur, semperque actuosus & operosus sit. Itaque cum aliquando ad Insulas Canarias missus esset, ut Guardiani officio in illo Fratrum Minorum conventu fungeretur, servus Christi, cui vivere Christus erat, & mori lucrum, cœpit martyrii desiderio vehementer flagrare. Erat in eo non solum columbæ simplicitas, sed & serpentis prudentia; quare multa cum vigilantia & regularis disciplinæ observantia vir Dei in sua custodia excubabat in omni sanctitate & justitia forma factus pusilli gregis sui, & fidelium Insulanorum, quibus bonus odor Christi erat ad vitam, itaut frequentes eum adirent, ex ejusque spiritalibus colloquiis miram caperent consolationem & voluptatem.

Magnam vero exercendæ caritatis segetem in Insulis illis nactus, simulque consequendi martyrii spe incitatus, multos ex Canariensibus infideles, & impuris adhuc idolorum superstitionibus addictos, verbo, exemplo, orationibus ad Christi fidem perduxit: quo in munere dum strenue versaretur, multa illi pericula in ea Canaria, quæ magna appellatur, diaboli invidia conflavit: sæpe in capitis & vitæ discrimen venit, ut sese jam martyrii palma potiturum speraret; sed Deo aliter,

aliter, diſponente, non martyrio animus & voluntas, ſed voluntati martyrium defuit; at certe gloria non defuit, cum præclare a beato martyre Cypriano ſcriptum ſit ad coronam Dei promerendam ipſius teſtimonium ſolum ſufficere, qui judicaturus eſt, qui arcana rerum ſcrutatur, & cordis intuetur occulta. Ergo & purpuream de paſſione coronam aliquo modo accepit, & multas de bonis operibus candidas reportavit, reſervatus a Deo, ut multos Chriſto lucrifaceret. CONSTIT. LXXIX. A. D. 1588.

Jam enim in univerſa Hiſpania clariſſimum erat beati Didaci nomen, magnamque apud omnes & venerationem & admirationem habebat, & tanquam Angelum quendam in terris agentem ſic eum homines intuebantur; nihil illo lenius, nihil manſuetius; lac & mel ſub lingua ejus, & cor ejus mundum, & ſimplex chriſtiana dulcedine redundabat: omnia in bonam partem accipere, de nemine male judicare, nullum adverſus aliquem verbum acerbius immittere. Si quem vero contra legem Dei, & regularem diſciplinam peccantem animadverteret, zelo Dei incenſus, libere objurgabat, nulla tamen in re gloriam ſuam, ſed Dei honorem, & fraternam utilitatem quærebat. Signis etiam & miraculis viventem ſervum ſuum illuſtravit Deus, ejuſque excellentem fidem rebus mirabilibus efficiendis multipliciter patefecit. Elucebat in eo ſingularis gratia curationum, itaut undique ad eum ejus rei cauſa quamplurimi confluerent; ille vero fide, quæ per Dei dilectionem mirifica operatur, in Domino roboratus, cum digitum in lampadem, quæ ante ſacram beatiſſimæ Virginis imaginem collucebat, demiſiſſet, ex ejus oleo ægrotos ſigno Crucis obſignatos perungebat, multorumque varios languores & morbos ejuſdem Crucis virtute, in qua ſola gloriabatur, mirabiliter ſanabat. Accidit aliquando, ut e cœnobio, in quo erat, ad oppidum ſancti Lucæ de Barameda, proficiſceretur, fratre uno comite; cumque nullis cibariis acceptis, jam ſumendi cibi tempus adveniſſet, & ex itinere defeſſi eſſent, nec in proximo vico quidquam, quo ex aliena miſericordia reficerentur, Deo ita diſponente, reperire potuiſſent, ad comitem ſereno vultu converſus beatus Didacus: *eja*, inquit, *frater*, *in Domino confidamus*, *ipſe nos paſcet*. Cum iter ſtrenue proſequerentur, ecce in perampla planitie candidam mappam inter herbas prope viam poſitam vident, propiuſque accedentes, album panem, piſces recentes coctos, & vini vaſculum inveniunt. Inſiſtunt ſervi Dei, & in latiſſimo campo, unde in omnes partes liber erat proſpectus, omnia oculis perluſtrantes circumſpiciunt, ſi quis forte eo in loco prandium reliquiſſet. Denique id, quod erat, rati, ad menſam ſibi a Deo in deſerto paratam veri Iſraelitæ accumbunt, ac cibo, potione ſiti, fameque depulſa, quod ſuperfuit, ibidem liquerunt, Deo Patri miſericordiarum gratias agentes, qui ſervis ſuis in eo ſperantibus eſcam dederat in tempore opportuno. Quid? Illud, quod Hiſpali geſtum eſt, quam magnæ fidei eſt argumentum? Nam cum ſeptennis puer, qui a matre vapulare ſolitus erat, in furno, in quem, ejus iracundiam fugiens, ſe abdiderat, obdormiſſet, & furno ab ignara matre ſuccenſo, experge, factus clamaret, vir Dei exanimatam matrem, ejulatu omnia complentem, nec quo ſe verteret, ſcientem, ad majorem Eccleſiam ire, ibique matrem miſericordiarum devote orare juſſit, ipſa te, inquit, o mulier adjuvabit; cum illa, quaſi Dei nuncium audiviſſet, pergeret, ipſe ad furnum accedens, puerum ex maximo periculo extractum paulo poſt ad idem templum adduxit, matrique ſuæ ſalvum & incolumem reddidit.

Cete-

CONSTIT. LXXIX. A. D. 1588.

Ceterum cum justus Judex Deus athletam suum tot victoriis illustrem, carne, mundo, diabolo per Dei gratiam devicto, corona justitiæ, quæ illi ab omni æternitate reposita erat, coronare decrevisset, servumque multiplicatis talentis industrium, & in pauca fidelem supra multa constituere, & in gaudium vellet Domini sui introducere, beatus Didacus in senectute bona, plenus dierum, & operum bonorum, in conventu Complutensi, in quo annos complures est commoratus, in supremum morbum incidit, in quo incredibilis patientiæ exemplum præbuit. Quadam autem nocte extra se raptus, sensu omni, & vitali motu amisso, itaut a medico, & qui adstabant, fratribus mortuus plane crederetur, tandem soluta ecstasi, ter, aut quater hæc verba locutus est: O *quales flores habet Paradisus*. In profundæ vero humilitatis statione, usque ad extremum vitæ spiritum servanda, ita firmus manebat, ita nusquam de suo loco decedebat, ut cum fratres singuli ab eo peterent, ut pro ipsis oraret, ipse contra, se eorum orationibus vehementer commendabat, ut ipsis pro eo Deum orantibus, bonorum operum fructus, quem illi in sanctæ Religionis observantia cumulaverant, sibi quoque a Deo communicaretur, atque ita misericordiam impetraret.

Postremo cum se jam moriturum intelligeret, comitis illius & adjutricis fidelissimæ, quæ illum in hujus vitæ peregrinatione nunquam deserverat, hoc est sanctæ paupertatis, supremo vitæ die non oblitus, sed in ejus intimo sinu, quam maxime fieri posset, spiritum emittere cupiens, convocatis Fratribus, eos obnixe rogavit, ut sibi vestem obsoletam & laceram, habitumque omnium vilissimum, in quo moreretur, concederent: quo impetrato, multis profusis lacrymis ab his, qui adstabant, offensionum atque erratorum veniam postulavit: quibus copiose collacrymantibus, ipse, Cruce lignea, quam ad caput habebat, arrepta, eamque amplexus & osculatus, utroque brachio in altum fortiter sublato (cum tamen alterum gravi apostemate tumens, ac debilitatum antea movere non potuisset) oculisque in vitale lignum defixis, verba illa ex sacro Hymno magno affectu, magnoque pietatis spiritu pronunciavit: *Dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera, quæ sola fuisti digna portare Regem cælorum & Dominum*: quæ cum dixisset, in ipso salutiferæ Crucis complexu, quam unice dilexerat, quam in corde & corpore semper gestaverat, in qua Christo confixus, & mundo crucifixus fuerat, animam efflavit, & in Domino obdormivit pridie idus Novembris, anno Domini millesimi quadringentesimi sexagesimi tertii.

Ad ejus corpus (beati Didaci morte audita) magni undique concursus facti, illud devote omnes contingere, amictus particulas præscindere, capillos devotionis causa evellere, demum Christiano ritu corpus honorifice humatum est. Hic jam statim Deus mortui servi sui, cui in vita cooperatus fuerat, eximiam sanctitatem signis sequentibus comprobavit. Nam corpus, quod jam quatriduo humi sepultum fuerat, iterum non absque miraculi interventu effossum, non solum integrum, incorruptumque apparuit, sed cum per multos menses, ut pio studio satisfieret & civium & aliorum, qui ex diversis partibus accurrebant, insepultum jacuisset, non computruit, nullum tetrum odorem emisit: imo vero corpus illud, quod vivens Spiritus sancti templum fuerat, odorem suavissimum afflabat, quo omnes mirifice recreabantur: qui quidem, & in hodiernum usque diem ex ejus sepulcro suaviter,

& ju-

& jucunde ſpirans, a pleriſque ſæpe ſentitur. Illud quoque in Beati viri mortuo corpore mirum acceſſit, quod ejus membra & artus, vitali calore deſtituti, non obriguerunt, nec duri, aut rigidi ſunt effecti, ut cadaverum ſolent, ſed molles erant & flexibiles quocunque vertentur. Quo circa laudanda eſt pietas & magnificentia claræ memoriæ Henrici IV. Caſtellæ Regis, qui una cum filia periculoſe ægrotans, & beati Didaci precibus ſanitate impetrata, nobile ſacellum grati animi ſui monumentum extruxit, ibique in arca, ferreis laminis diligenter communita, beati Didaci corpus decenter recondi juſſit: ad quod quidem ſacellum, ut conſtat, non ſolum Complutenſes cives, ſed vicini, & remotiores populi, atque ex omni fere Hiſpania fideles tanta devotione confluunt, tam multi Beati illius viri opem apud Deum implorant, tot ibi vigiliæ fiunt, tot ſacrificia in eodem ejus ſacello celebrantur, tam multa & illuſtri dona voti reddendi gratia offeruntur, ut hæc de beati Didaci ſanctitate non exigui temporis, tamquam rumoris aura, ſed per annos centum viginti & amplius conſtans & perpetua fama & opinio, tantuſque illorum fidelium omnium generum, omnium ordinum conſenſus magni profecto & illuſtris teſtimonii loco habendus ſit ad beati Didaci ſanctimoniam comprobandam. Veruntamen multis quoque poſt obitum miraculis vir commemorabili ſanctitate præditus claruit. Nam in actis tranſmiſſis centum fere, & triginta leguntur, Deo, qui glorificatur in concilio Sanctorum, ſignis & prodigiis teſtante, ſervum ſuum non ſolum morum, ſed etiam ſignorum virtute, nec operibus modo pietatis in vita, ſed etiam miraculorum luce poſt mortem clarum & venerabilem eſſe. Duron oppidum eſt in Hiſpania in diœceſi Saguntina. Ex eo Catharina Martini filia, virgo annos duodecim nata, cum ante aliquot menſes ſubita vi morbi ſurda & muta evaſiſſet, brachiis item pedibuſque paralyſi diſſolutis incedere nequiret, ad beati Didaci ſacellum delata, cum ibi pervigilaret, ejus tacta manu, & in Crucis formam conſignata, illico & aurium ſenſum & loquendi facultatem recepit, membrorumque uſu reſtituto, totoque corpore confirmato, libere qua libuit, inceſſit, laudans & benedicens Deum. Adoleſcens quidam erat annorum fere viginti, Didacus de Lorca appellatus, filius Petri Gonzales, viri nobilis, qui, Deo permittente, ab immundo ſpiritu annos complures vexabatur miſerandum in modum, itaut ſæpius interdum in die arreptus & ad terram alliſus, horribiles corporis geſtus ageret, & veluti mortuus relinqueretur, Hic ſe beato Didaco humiliter commendans, & in ejus ſacello aliquandiu invigilans a miſerabili vexatione omnino eſt liberatus. Cum Catharina, Bartholomæi Sanchez uxor, expleto ad pariendum tempore, parere non poſſet; fœtus enim in utero tranſverſus alterum tantummodo pedem eduxerat, materque miſera ab aurora ad veſperam in eo cruciatu permanens, in ſummo vitæ diſcrimine verſaretur, & plane morti propinqua eſſet, ſocrus ejus Maria Garzia, uxor Johannis Garziæ incolæ oppidi de Ambroz, beati Viri in maximis anguſtiis recordata, ad ejus opem confugit. Itaque fruſtum amictus beati Didaci, parumque pulveris e ſepulcro ſupra parturientem nurum impoſuit, quæ ſubito mortuum fœtum edidit, ipſa ſalva. Manſit autem mortua puellula aliquot horarum ſpatio, ſed ejuſdem avia Maria jam ſemel beati Viri opem in matre experta, eum pro neptis vita tanto fidentius orare non dubitavit: quod cum devote feciſſet, alterum etiam beneficium impetravit, & puella ſacro Baptiſmi fonte abluta, & geminæ vitæ munere

a Deo

CONSTIT. LXXIX.
A. D. 1588.

a Deo donata, diu postea supervixit. Illud autem, quod in Maria della Pennuela, Petri Hernandez Complutensis filia, Dei virtute per merita beati Didaci mirifice effectum est, notum & valde pervulgatum in Hispania, multique, qui meminerunt, supersunt. Invaserat virginem horribilis, & deformosissima paralysis, tanta nervorum dissolutione & membrorum luxatione, brachiis, cruribusque distortis, totoque corpore convulso, ut non jam mulier, sed monstrum esset, & medici se nihil unquam tale vidisse profiterentur. Accedebant febres vehementes & capitis dolores peracres & assidui, quibus misera gravissime affligtabatur. Ea igitur ad beati Didaci corpus delata, cum in ejus intercessione & Dei misericordia confideret, & suppliciter oraret, voti compos, ab omni illa membrorum distortione & depravatione, omnique corporis infirmitate est liberata; quæ tanti accepti beneficii non ingrata, Deo virginitatem suam vovit, & sacrarum Virginum collegio adjuncta, in monasterio sancti Johannis, quod a Pœnitentia nominatur, sancte & religiose vitam duxit. Sed quod in Principe Carolo carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici primogenito filio divinitus actum est, magnam apud omnes famæ celebritatem habet. Ægrotabat Compluti adolescens Princeps anno humanæ salutis millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, qui cum e scalis decidisset, gravissimum ex eo casu & prolapsione in capite vulnus acceperat. Omnia remedia, omnes curationes adhibitæ, quæ humana industria præstari poterant, ut in tanto Principe par erat; sed cum nihil humanum proficeret, morbusque magis semper ingravesceret, jamque ejus gravitate natura succumberet, medici, Principis salute prorsus desperata, certam imminentis mortis horam præfiniunt, idque Regi patri, ne tam acerbo spectaculo interesset, denunciant. Cum igitur omnis humani adjumenti spes defecisset, ad divinum, quod unum reliquum erat, præsidium confugiunt. Itaque devotionis ardore succensi a fratribus suis beati Didaci corpus decenter & religiose in Principis cubiculum afferri curant post annos fere centum integrum & incorruptum; quod cum Princeps Beati viri patrocinio se commendans devote tetigisset, eo inde amoto, vidit in somni quiete beatum Didacum ante lectum stantem, & crucem arundineam manu gerentem, seque admonente bono animo, ut esset, & in Deo confideret, fore enim, ut ex ea ægrotatione sanus fieret. Quare eo potissimum tempore, quo medici Principem moriturum prædixerant, non solum melius habere cœpit, sed paulo post ex omni illo vitæ discrimine divinis, ac supra naturam adjumentis tam mirabiliter est ereptus, ut digitum Dei per merita beati Didaci ibi adfuisse omnes intelligerent. Sed præter ceteros Princeps ipse & Philippus pater, incredibili lætitia, tanquam redivivi filii affectus, id agnoscere, & Deum glorificando palam profiteri.

Itaque pius Rex cum carissimi & primogeniti filii vitam summæ Dei clementiæ per merita & preces beati Didaci ferret acceptam, cuperetque quacunque ratione posset gratiam aliquam Deo in Sancto suo referre, anno insequenti ad felicem recordationem Pium IV. prædecessorem nostrum, una cum Principe filio, & cuncta fere Hispania literas dedit, quibus ab eo suppliciter petebat, ut pro sua & sanctæ hujus Apostolicæ Sedis summa auctoritate beatum Didacum, tam excellenti sanctitate virum, & tanta miraculorum claritate illustrem, in Sanctorum numerum referre vellet, atque ab universa catholica Ecclesia pro Sancto venerandum esse statueret.

Tam

Tam devotis iteratisque Catholici Regis, aliorumque postulationibus permotus idem Pius prædecessor, de iis in consistorio suo secreto referri jussit, & quinque Cardinales, consilio & doctrina præstantes delegit, qui ejusmodi permagni momenti negocio præessent, inter quos unus fuit Cardinalis Alexandrinus, cujus memoria in benedictione est, qui postea Pontifex factus, Pius ejus nominis V. est appellatus. Res suo ordine agi cœpta est sub Pio IV. literis in Hispaniam transmissis ad testes, ex formula examinandos, actaque rite conficienda. CONSTIT. LXXIX. A. D. 1588.

Cumque ipse Pius IV. e vita migrasset, non destitit idem Philippus Rex apud succedentes Pontifices sanctæ recordationis Pium V. & Gregorium XIII. itidem prædecessores nostros sedulo instare; sed, Deo ita disponente, quamvis pleraque superioribus annis sint acta, res tamen ipsa perfici sub illis Pontificibus, atque absolvi non potuit. Cum primum igitur humilitas nostra, non nostris meritis, sed divinæ clementiæ abundantia in excelsa Apostolicæ sollicitudinis specula his difficillimis temporibus est constituta, statim idem Philippus Rex nulla ex parte restincto aut refrigerato fidei suæ zelo, nobis per dilectum filium nobilem virum Henricum de Guzman Comitem de Olivares, suum apud nos & Sedem Apostolicam oratorem magnopere supplicandum curavit, ut posteaquam ea fere omnia, quæ ad acta & processum beati Didaci pertinebant, ex hujus sanctæ Sedis præscripto confecta erant. Nos, quibus universalis Ecclesiæ cura esset credita, & ad quos solos ejus rei judicium pertineret, tam pio & tam ab ejus majestate totaque Hispania exoptato operi, quod est de eodem beato Didaco Sanctorum catalogo adscribendo, supremam manum imponere vellemus.

Et nos quidem Regis ipsius religiosum studium & perseverantem hac in re sedulitatem commendantes, cupiebamus ejus piæ petitioni, quantum cum Domino liceret, satisfacere. Tamen pro nostro pastoralis muneris officio statuebamus, in re tam gravi nulla præpropera festinatione utendum, sed omnia ex ecclesiastica disciplina ex majorum nostrorum saluberrimis institutis, ex Apostolicæ Sedis circumspectione, diligentissime agenda esse. Itaque duobus antiquioribus causarum palatii nostri auditoribus, doctrina & rerum usum præstantibus, ipsis fere primis pontificatus nostri diebus mandavimus, ut acta omnia, totumque processum summa cum diligentia perlegerent & examinarent: quo illi in munere menses complures sedulo, accurrateque versati, copiosam relationem omnium, suamque sententiam nobis scripto tradiderunt. Cum autem Cardinales omnes ab eodem Pio IV. huic negocio olim præpositi viam essent universæ carnis ingressi,

Nos primo anni superioris mense in consistorio nostro secreto alios in eorum locum suffecimus, pietate, prudentia, eruditione, fide, nobis probatos, adhuc autem & numero plures prioribus, ut in gravi causa, prudenti multorum gravium virorum judicio adhibito cuncta exquisitius discuterentur. Hi vero fuere more majorum ex tribus ordinibus delecti, venerabiles fratres Episcopi Alexander Ostiensis Farnesius, Marcus Antonius Prænestinus Columna, & dilecti filii nostri frater Michael sanctæ Mariæ supra Minervam Alexandrinus, Julius Antonius sancti Bartholomæi in Insula, sanctæ Severinæ, Antonius sanctorum Johannis & Pauli Carafa, frater Constantius sancti Petri in Monte Aureo, Titulorum Presbyteri, Sarnanus, Ferdinandus sanctæ Mariæ in Via lata de Medicis, & Hieronymus sanctæ Mariæ in Cosmedin

CONSTIT. LXXIX. A. D. 1588.

Diaconi Matthæjus nuncupatus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, quibus commisimus, ut pro rei gravitate, quoque ea, quæ Deo, cordium scrutatori, & nobis quoque in ejusmodi publico munere obeundo a primariis Ecclesiæ membris fidelitas & diligentia deberetur, acta de fidei integritate, vita, moribus & miraculis beati Didaci, & auditorum nostrorum relationem, quanta maxima fieri posset, diligentia inspicerent & expenderent, atque ad nos opportuno tempore referrent, ut divina Spiritus sancti gratia illustrati, de ipsorum & ceterorum fratrum nostrorum consilio quæ Dei gloriæ, qui justitia & veritas est, consentanea forent, deliberare possemus.

Multis igitur elapsis mensibus cum interea Cardinales ipsi frequenter congregarentur, acta, processus, rerum gestarum seriem, testes, singula denique ad sacrorum canonum præscriptum mature & accurate considerarent, examinarent, atque inter se conferrent; viros etiam sacræ Theologiæ, & Pontificii juris scientia peritissimos in consilium adhiberent. Cum jam omnia parata esse intelligeremus secretum consistorium de more convocari jussimus, in quo venerabilis frater noster Marcus Antonius Episcopus Cardinalis Prænestinus suo & collegarum, qui ibidem assidebant, nomine, gravi & accommodata oratione de omnibus fideliter nobis retulit: quibus explicatis ad extremum dixit, quandoquidem beati Didaci fidei integritas, egregiæ virtutes, præclara & insignia miracula optime essent comprobata, se & collegas suos unanimes in eam sententiam venisse (si ita nobis videretur) ulterius nos progredi, & Beatum illum virum in Sanctorum numero posse adscribere; quorum cum sententia etiam ceteri fratres nostri Cardinales, cum a singulis graves sententiæ dictæ essent, ad unum omnes consenserunt.

Quæ cum audiremus, gaudens erat cor nostrum in Domino, quod Beati servi sui gloriam quotidie magis patefaceret, omniaque, ipso benedicente, tam feliciter procederent. Quare in tam Sancto, pioque opere nihil omnino necessariæ diligentiæ prætermittentes, ex more institutoque majorum, decrevimus, ut ad ulteriora procederetur. Ac diebus aliquot interpositis, publicum consistorium indiximus, in quo præter Cardinales etiam Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi & Prælati omnes, ac familiares nostri de more interfuerunt. In eo vero dilectus filius Pompejus Arigonius Romanus, aulæ nostræ consistorialis advocatus, disertam orationem habuit de vitæ sanctitate, rebus gestis & miraculis beati Didaci, & denique Catholici Regis, totiusque Hispaniæ nomine, ut eundem Beatum Didacum tantis meritis illustrem Sanctorum numero aggregaremus, nobis humiliter supplicavit. Gaudebamus etiam hoc loco in Domino, in cujus manu cor Regis est, & quocunque voluerit, inclinat illud. Etenim plane videbamus, non sine divino instinctu fieri, quod Catholicus Rex, cui multorum Regnorum gravissima administratio a Deo est tradita, quique tot curarum onere premitur, tanto ardore in hoc beati Didaci negocio absolvendo versaretur, ut in magnis temporum difficultatibus se, suaque Regna apud Deum novi patroni suffragiis, & pie, & prudenter communiret. Quare respondimus, Philippi Regis Catholici de beato Didaco, nostra, & Apostolicæ Sedis auctoritate in Sanctis adscribendo tam diuturnam & perseverantem postulationem dignam esse singulari ejus pietate, dignam perpetuo catholicæ religionis propagandæ studio: lætari nos & Deo gratias agere, quod Beatos servos suos, quos in cœlis coronat, a nostra quo-

quoque tenuitates in terris honorari velit, eosque nobis ad auxilium & exemplum proponat, & nos quidem ad pium ejus desiderium explendum propensiores esse facere, tamen rei gravissimæ magnitudinem, ut de regia petitione adhuc cum fratribus nostris Cardinalibus & Episcopis etiam atque etiam deliberandum censeremus. Quare eosdem fratres hortati sumus, ut omnia, quæ ad hanc causam pertinerent, diligentissime considerarent, quodque nos ipsi jam pridem faciebamus, Deum magnopere orarent, ut corda nostra suo lumine collustraret, totamque hanc actionem ad sui gloriam & Ecclesiæ utilitatem disponeret & dirigeret. CONSTIT. LXXIX. A. D. 1588.

Hæc cum essent acta, alterum item consistorium secretum indiximus, in eoque etiam Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, in Romana curia præsentes, Protonotarios quoque nostros, qui ex numero dicuntur, & Rotæ Auditores interesse jussimus. Tum nos ipsi de sacrosancta hujus Apostolicæ Sedis, in qua, Dei providentia sedemus, auctoritate & potestate, deque Spiritus sancti singulari patrocinio, atque infallibili assistentia a Deo, in omnibus verbis suis fideli, promissa, usque ad consummationem sæculi perpetuo affutura, quibus gubernatur, ea diximus, quæ causæ & temporis ratio potissimum requirere videbatur. Demum a fratribus nostris petivimus, ut quoniam alias statutum esset, ut ad ulteriora in hoc negocio procederetur, nunc præcise & expresse dicerent, an ex iis actis, quæ ipsi viderant & audiverant, beatus Didacus esset canonizandus. Igitur a sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus primum, deinde a Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis pie, graviter & erudite sententiis dictis, omnes unanimes idipsum sentientes dixerunt, sibi videri ex iis, quæ mature ipsi hac de re viderant & audiverant, beatum Didacum a nobis merito inter Sanctos esse adscribendum.

Deo autem, qui in domo sua fratres in unum habitare facit, gratias agentes de tanta fratrum nostrorum consensione, quodque ad servum & amicum suum, quantum nobis licet, honorandum, corda nostra impelleret & illustraret; cum per ejus gratiam hucusque omnia rite atque ordine acta essent, quod reliquum erat, diem canonizationis præstituimus ad sextum nonas Julii, quo die memoria Visitationis beatæ Mariæ semper Virginis ad sanctam Elisabeth, pie ab Ecclesia recolitur, ut ejusdem humani generis Advocatæ patrocinio, tandem pium hoc opus prospere & salutariter a nobis absolveretur.

Fratres interea nostros hortati sumus, ut intermedio tempore una nobiscum precibus, eleemosynis (quas nos & libenter & pie erogavimus, quemadmodum & Regis nomine ab ipsius oratore factum fuit) jejuniis, sacrificiis Dei auxilium invocare non cessarent. Is igitur festus Visitationis dies, idest hodiernus, cum advenisset, nos & fratres nostri, Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi & Episcopi sacris vestibus induti, inchoato per nos ipsos in nostra pontificia Capella hymno, *Ave maris stella*, cantorumque choro prosequente, ut ipsa, quæ mater est gratiæ, nobis præiret & præluceret; ceteris etiam Romanæ curiæ Prælatis & officialibus, familiaribusque nostris, ac universo regulari & sæculari clero, longo, devotoque ordine progredientibus, omnes simul accensos cereos in manibus gestantes in ejus honorem, qui est lux vera gloria & splendor Sanctorum, e palatio nostro Apostolico solemniter processimus ad antiquissimam & religiosissimam basilicam principis Apostolorum, in cujus medio peramplum suggestum regio sumtu

Hh 2 extru-

CONSTIT. LXXIX.

A. D. 1588.

extructum erat, paratum altare ad sacram pontificalem missam celebrandam, totaque templi facies in communi Ecclesiæ lætitia hilaris, & pontificio apparatu decenter ornata, omniaque spiritalibus canticis personabant, funalia & faces circumquaque ardebant, & vexilla appensa, in quibus Beati viri imago expressa erat, qui corpore erecto depictus, dextera manu coronam beatissimæ Dei genitricis, sinistra Crucem invictissimam gerit & intuetur, cujus nimirum auxilio hostes teterrimos, carnem, mundum & diabolum superavit.

Hic nos in maxima fidelis populi totiusque adstantis cleri frequentia, cœlestis illius & triumphantis Hierusalem effigiem quandam nobis ante oculos proponentes, & quantum in hac lacrymarum valle licet, intuentes, conscensis gradibus in suggestu ante altare oravimus. Mox in sublimi Apostolico throno considentes, fratres nostros sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales & Episcopos omnes sacris vestibus ornatos & paratos, nobis obedientiam de more præstantes, excepimus: Tum dilectus filius noster Petrus Tituli sancti Hieronymi Illyricorum, Presbyter Cardinalis Deza Hispanus, Catholici Regis Philippi, totiusque Hispaniæ nomine, semel, iterum, & tertio suppliciter & instantissime a nobis petiit, ut beatum Didacum in Sanctorum numerum adscriberemus, nosque ad singulas ejus petitiones, Regis pietate, & Beati viri meritis collaudatis, semper tamen per distincta intervalla nostras totiusque cleri & populi orationes, litanias & sacros hymnos interposuimus. Demum cum jam nihil omnino ex his, quæ a majoribus pie, sancteque sunt hoc de genere instituta, esset prætermissum; imo potius matura deliberatio, summaque diligentia abundantius adhibita, invocato sancto Creatore Spiritu, cujus consilio & sapientia sancta Ecclesia, columna & firmamentum veritatis, regitur, ejusque numen, sæpe a nobis ex intimo corde multis etiam lacrymis imploratum, præsens adesse non dubitantes,

Ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti, ad exultationem supernæ & triumphantis Hierusalem matris nostræ, ad exaltationem catholicæ fidei & Christianæ religionis augmentum, auctoritate ejusdem sanctæ Trinitatis, beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra, de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, omniumque Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum, in Romana curia existentium, consilio & unanimi consensu beatum Fratrem Didacum de sancto Nicolao provinciæ Bæticæ, Hispanum, ordinem Minorum sancti Francisci, expresse professum, sepultumque Compluti in Ecclesia Fratrum ejusdem ordinis, de cujus fidei puritate, excellentia vitæ & miraculorum in vita & post mortem claritate, nobis plenissime constat, in Sanctorum Confessorum numerum & catalogum adscribendum esse decrevimus & adscripsimus, prout per præsentes decernimus & adscribimus, eumque ut Sanctum, ab omnibus venerandum esse mandamus;

Statuentes, ut ab universali Ecclesia anno quolibet die duodecima Novembris festum ipsius, & officium ipsius pro uno Sancto Confessore tantum, ad formam in rubricis Romani Breviarii præscriptam devote celebretur, quodque in ejus honorem Ecclesiæ & altaria, in quibus Deo sacrificia offerantur, erigi & fundari possint: eademque auctoritate omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui singulis annis eodem die festo supradictam Ecclesiam oppidi Complutensis Toletanæ diœcesis, ubi ipsius corpus requiescit, necnon altaria & Ecclesias,

quæ

quæ in ejus honorem constructæ erunt, devote visitaverint, easdem indulgentias, privilegia & gratias concessimus & elargiti sumus, quemadmodum concedimus & elargimur, quæ ceteris dicti ordinis Sanctorum Ecclesiis concessæ sunt. CONSTIT. LXXIX. A. D. 1588.

Quibus omnibus, quæ ad sancti Didaci canonizationem pertinebant, absolutis, ac laudis & gratiarum actionis hymno, Deo decantato, ejusque auxilio per beati Didaci preces peculiari oratione, quam nos clara voce pronunciavimus, implorato tandem eodem in loco & altari, missam solemnem de beatissimæ semper Virginis Visitatione cum beati Didaci commemoratione nos ipsi celebravimus, fidelibusque, qui tam piæ & religiosæ actioni & sacrosancto sacrificio devote interfuerant, ad Dei, & Sancti sui gloriam & laudem, plenariam indulgentiam concessimus.

Omnes igitur Deum cœli benedicamus, & coram omnibus viventibus confiteamur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam, agnoscamusque, non sine magna Dei providentia factum esse, ut hisce afflictis Christianæ Reipublicæ temporibus, quibus maxime multiplici Sanctorum suffragio indigemus, novus hic suffragator & patronus fideli populo tribueretur, & nos quoque, qui in hac pastorali statione, in qua nos Deus collocavit, de universi gregis Domini salute anxii dies noctesque pervigilamus, Dei erga nos singularem clementiam agnoscimus, qui post tot annos, post tot beatissimos Pontifices prædecessores nostros, nobis humilibus hujus magni operis absolutionem reservaverit, qui cum Sancto suo ejusdem Seraphicæ religionis communione consociati sumus. Quamobrem eundem Patrem misericordiarum, qui humiles exaltat, humiliter deprecemur, ut per merita & intercessionem sancti Didaci, Ecclesiæ suæ pacem & tranquillitatem Regibus & Principibus Christianis unionem, vitam & felicitatem, miseris & obcœcatis Hæreticis lucem catholicæ veritatis largiatur.

Ceterum, quia nimis difficile foret, præsentes nostras originales literas ad singulas loca, ubi opus esset, deferri, volumus, ut earum transumptis, etiam impressis, manu, publici notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem, quæ ipsis præsentibus fides, ubique adhibeatur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum decreti, adscriptionis, mandati, statuti, concessionis, elargitionis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octogesimo octavo, sexto nonas Julii, pontificatus nostri anno quarto.

✠ Ego Xystus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

✠ *Ego Alexander Cardinalis Farnesius Vicecancellarius, Episcopus Ostiensis.*

✠ *Ego Johannes Antonius Episcopus Portuensis, Cardinalis sancti Georgii.*

✠ *Ego Alphonsus Cardinalis Gesualdus, Episcopus Tusculanus.*

✠ *Ego Innicus Avalos Cardinalis de Aragonia Episcopus Sabinensis.*

✠ *Ego Marcus Antonius Cardinalis Columna Episcopus Prænestinus.*

✠ *Ego*

nerandum illius corpus in somno pacis requiescit & Regni illius erga hunc Beatum virum singularem devotionem perspeximus. Deinde etiam in eo divitias bonitatis Dei prædicamus, quod ita disposuerit, ut hoc pium & salutare canonizationis beati Hiacynthi negocium ante annos quinque & septuaginta religiosis Poloniæ Regibus, Regnique ordinibus supplicantibus inchoatum & a pluribus Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, variis progressionibus promotum, tandem per nostræ humilitatis ministerium, qui Poloniæ Regnum peculiari paternæ dilectionis affectu complectimur, omni ex parte absolveretur.

Anno siquidem humanæ salutis millesimo quingentesimo decimo octavo felicis recordationis Leo Papa X. prædecessor noster, supplicationibus recolendæ memoriæ Sigismundi I. Poloniæ Regis, tunc in humanis agentis, de beato Hiacyntho Polono, ordinis Fratrum Prædicatorum, fidei integritate & morum sanctimonia & miraculorum fama, in universo Poloniæ Regno percelebri, in Sanctorum numerum referendo inclinatus, bonæ memoriæ Johanni Episcopo Laodicensi, & Jacobo Canonico Cracoviensi, ut in ejus vitam & miracula, diligenter inquirerent, suis quibusdam literis mandavit. Qui pro suo Apostolicæ Sedi obtemperandi studio, universæ illius vitæ & miraculorum rationes in acta retulerunt: eaque anno etiam Domini millesimo quingentesimo vicesimo sexto Leone prædecessore prædicto vita functo, ad piæ memoriæ Clementem Papam VII. etiam prædecessorem nostrum transmiserunt.

Quibus quidem actis diligenter perspectis, ac etiam ipsius Sigismundi Regis supplicationibus idem Clemens prædecessor adductus, dum de tota re mature decerneret, Fratribus ordinis Prædicatorum dicti Regni, ut postridie festivitatis Assumptionis beatissimæ Dei genitricis Virginis Mariæ, solemnitatem atque officium, ac sacrosanctum missæ sacrificium in ejusdem beati Hiacynthi honorem celebrare, atque etiam imagines & altaria illi in omnibus Ecclesiis domorum suarum præfati ordinis statuere possent, concessit. Et deinde prædicto Sigismundo Rege id etiam postulante, eamdem concessionem ad omnes dicti Regni cathedrales Ecclesias, quoad usque ad canonizationem dicti beati Hiacynthi deventum esset, extendit.

Ceterum consilio de canonizatione hujusmodi ob quasdam tunc obortas difficultates per id tempus intermisso, anno similiter Domini millesimo quingentesimo tricesimo nono, tunc existentes Præsules ejusdem Regni in Synodo Petricoviensi per eos celebrata, congregati, unanimi consensu, dicto Clemente prædecessore defuncto, per literas sanctæ memoriæ Pauli Papæ III. similiter prædecessoris nostri supplicarunt, ut ad hujusmodi canonizationem perficiendam, suam, & dictæ Sedis auctoritatem impertiretur. Quorum supplicationibus idem Paulus prædecessor annuens, tribus venerabilibus fratribus suis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ordinum Prioribus, negocium canonizationis hujusmodi rursus examinandum commisit, qui & ipsi, pro assiduis ejusdem Sigismundi Regis, necnon Prioris provincialis dicti ordinis in prædicto Regno tunc deputati supplicationibus, quibus nempe id petebant, ut in ipsius Hiacynthi fidei sinceritatem, vitæ sanctitatem & miraculorum, quorum in dies in dicto Regno fama augebatur, excellentiam, diligenter iterum inquireretur, ad quosdam ipsius Regni probatos viros hoc negocium detulerunt: qui concessionibus Apostoli-

CONSTIT. LXXX.
A. D. 1594.

cis super ea re factis, aliisque omnibus, quæ ad canonizationem prædictam pertinebant, attente consideratis, singula mature examinata in publica documenta redegerunt, denique summa fide collecta ad dictam Sedem transmiserunt. Postmodum idem Paulus prædecessor Fratribus dicti ordinis ejusdem Regni etiam concessit, ut ipsi officium de dicto beato Hiacyntho singulis quintis feriis, in quas nullum festum proprium incideret, perinde ac si esset in Sanctorum numerum relatus, quemadmodum de sancto Dominico singulis feriis tertiis fieri solebat, recitare, ac illius ossa & corpus exhumare, ipsumque in sublimiorem Ecclesiæ locum transferre possent.

Postea labente anno Domini millesimo quingentesimo octogesimo tertio claræ memoriæ Stephani Poloniæ Regis, de eadem canonizatione apud felicis recordationis Gregorium Papam XIII. pariter prædecessorem nostrum, dum in humanis ageret, supplicatione intercedente, ac interea illo vita functo, carissimi in Christo filii nostri Sigismundi III. Poloniæ Regis, ac carissimæ etiam in Christo filiæ nostræ Annæ Poloniæ Reginæ, necnon dilectorum filiorum nostrorum, tunc suorum, Gregorii Tituli sancti Xysti de Radzivil & Andreæ de Somlio, Tituli sancti Angeli in Piscina, Battorii, nuncupatorum Cardinalium & venerabilium Fratrum nostrorum Archiepiscoporum & Episcoporum, ceterorumque totius Regni prædicti ordinum status, tam Ecclesiastici, quam sæcularis, votis ac precibus, a felicis recordationis Xysto Papa V. etiam nostro prædecessore, per dilectos filios Stanislaum Roscium, ejusdem Sigismundi Regis apud eumdem Xystum internuncium, necnon fratrem Hippolytum Mariam Baccaria de monte Regali Magistrum generalem totius ordinis Prædicatorum; ac ejus nomine fratrem Bartholomæum de Miranda, tunc Procuratorem generalem ejusdem ordinis, ac demum fratrem Severinum Cracoviensem ejusdem causæ, nomine provinciæ & Regni Poloniæ, ad id constitutum Procuratorem, supplicatum fuit, ut ipse eumdum beatum Hiacynthum pro sanctitatis suæ fama, quam miraculorum accessio in dies magis magisque confirmabat, in Sanctorum numerum, veteri Romanæ Ecclesiæ ritu, & præscripta solemnitate cooptaret.

Idem vero Xystus prædictum processum super hujusmodi re confectum Congregationi venerabilium fratrum nostrorum, tunc suorum, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, super sacris ritibus deputatorum, examinandum commisit: coram quibus idem Sigismundus Rex, & universi Regni prædicti Status ecclesiastici, necnon ipsius ordinis Prædicatorum religionis professores nonnulla scripturarum, ac jurium volumina, duoque processus super eo reformati exempla protulerunt, unum videlicet felicis recordationis Pauli Papæ IV. etiam prædecessoris nostri, qui unus ex tribus Cardinalibus in ordine Prioribus a prædicto Paulo prædecessore ad id deputatus fuerat, scripturarum monumentis depromptum; alterum vero ex ipso Regno simul cum libro, tum vetustatis auctoritate, tum vitæ, ac miraculorum ejusdem beati Hiacynthi diligenti expositione probato allatum, eo quidem illud ad fidem propositis de rebus faciendam firmius, quod esset præstantium virorum literis obsignatum, & longo annorum spacio, in archivo Cracoviensis conventus ejusdem ordinis Prædicatorum, tanta cum fidei laude asservatum, ut illo, tamquam certi testis opera, summæ auctoritatis homines semper dubiis in rebus uterentur. Cujus rei fidem vel hoc ipsum augebat, quod alterum alteri, tum rebus, tum sententiis omnibus,

tam

rum apte respondebat, ut nihil vel similius vel congruentius excogitari posse videretur. Quæ quidem universa, citato Fisci Procuratore, recognita fuerunt. Idem porro Xystus prædecessor, tribus causarum palatii Auditoribus, doctrina, & rerum usu præstantibus, ad hoc nominatim deputatis mandavit, ut de iisdem illis juribus ac processus exemplis diligenter cognoscerent, & conclusiones inde pro more colligerent. CONSTIT. LXX. A. D. 1594.

Qua in re eum diu, multumque illi operam suam exercuissent, eodem Xysto, sicut Domino placuit, viam universæ carnis ingresso, felicis recordationis Gregorio Papæ XIV. prædecessori etiam nostro retulerunt, producta jura plenissimæ esse fidei atque auctoritatis, processumque omnem ad canonum præscripta fuisse confectum, atque ex eo beati Hiacynthi fidei integritatem, vitæ sanctitatem & miraculorum, ex quibus octo potissimum consideranda proposuerant, claritatem manifeste elucere. Qua quidem re ad venerabilium etiam fratrum suorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, super sacris ritibus tunc deputatorum Congregationem, ut & ipsi quid ea de re sentirent, in medium afferrent, ejusdem Gregorii jussu remissa, iidem Cardinales attente examinatis allatarum a prædictis causarum Auditoribus conclusionum argumentis, ac Fisci procuratore semper citato atque audito, servatisque etiam servandis unanimi consensu eorumdem Auditorum, super scripturis, juribus & processus exemplis exhibitis, relationem approbarunt, & rationes, quibus de illius fide, vita & miraculis constaret, longe firmissimas esse judicarunt.

Accessit denique recens, & æquitatis ac pietatis plena postulatio ejusdem Sigismundi III. Regis, qui etiam Sveciæ Rex existit, quique legatione nobis ac Sedi Apostolicæ obedientiæ præstandæ causa, dilecto filio insigni viro Stanislao Mynsxi, Palatino Lencintiensi apud nos, & dictam Sedem oratori suo nuper delata, nihil eum a nobis vehementius hoc tempore flagitare jussit, quam ut negocium istud ad optatum tandem, & suis atque Christifidelium ejusdem Regni Poloniæ supplicationibus, consentientem exitum perducamus.

Cujus quidem beati Hiacynthi vitæ omnis, ac rerum, quas Deus ejusdem, tum viventis, tum defuncti intercessione ac meritis gessit, narrationem hoc loco pro nostro munere toti Ecclesiæ proponendam duximus, ut inde non solum ad divinas laudes prædicandas, atque ad Christianam religionem firmiore pietatis zelo conservandam Christifidelium animi excitentur, verumetiam eo nomine ingentes gratiæ ab omnibus Christifidelibus Deo agantur, quod beati Hiacynthi prædicti sanctitatem; quamquam gravibus de causis antea probatum, & multis miraculis illustrem, publica tamen ipsius Apostolicæ Sedis, quam Spiritus sanctus regit & gubernat, ac nostra sententia, omnino confirmari hoc tempore voluerit.

Natus igitur est beatus Hiacynthus in Polonia, in Villa, quæ Camiensis appellatur, Vratislaviensis diœcesis, ante annum Domini millesimum ducentesimum, ex nobilibus & Christianis parentibus, sed quibus vitæ virtutum ac miraculorum splendore longe ipse præluxerit. Ineuntis ætatis tempus iis primum literis, quibus ætas illa informari solet, impertivit, in quibus cum tantum profecisset, quantum ad altiorem disciplinam capessendam satis sibi esse videbatur, animum statim ad Theologiæ, & juris canonici studia adjunxit, magno sane & admirabili cum fructu, ut qui non multo post Cracoviensis Ecclesiæ canonicus

CONSTIT. LXXX. — D. A. 1594. factus, ita inter ordinis sui viros excelluerit, ut propter eximiam eruditionem, cum præclara & insigni pietate conjunctam, tamquam ardens lucerna ceteros clarissimo virtutum suarum lumine collustraret.

Ab Ivone deinde Cracoviensi Episcopo, patruo suo, Romam perductus est, ubi una cum Geslao ipsius consanguineo, & Hermanno Theutonico familiari suo a sancto Dominico Romæ tunc degente, ejusdem Ivonis rogatu, qui de Hiacyntho, ac duobus aliis regularis vitæ suæ instituto imbuendis, cum ipso egerat, perexiguo tempore omni illius disciplina egregie instructus, in ejusdem sancti Dominici ordinem nomen dedit, habituque de illius manibus suscepto, & expresse illius regulam professus, in Poloniam tandem cum sociis rediit.

Quo in itinere, cum usque ad civitatem Frisacensem processisset, verbo simul & exemplo tantum illic profuit, ut ipsis sex mensibus monasterium dicti ordinis, multis ibidem fratribus, & Hermanno illis Præposito, relictis, construxerit. Inde Cracoviam reversus, alio ibi ejusdem ordinis monasterio erecto; Dominicanæ Religionis crescentem paulatim familiam propagavit. Mox ad aliarum ejusdem Poloniæ Regni provinciarum salutem cogitatione conversa, quatuorque aliis professionis suæ monasteriis variis in locis ædificatis, omnes, tum verbi Dei prædicatione, tum vitæ suæ innocentia in sui admirationem excitavit. Summa denique hæc est, quam a sancto Dominico ejusdem religiosi instituti auctore, tamquam e purissimo fonte hauserat, vivendi rationem, eamdem ipsum ad extremum usque vitæ diem sancte & religiose servasse. Nam sive Christianæ humilitatis species ante oculos proponatur, eo nihil erat dimissius, nihil modestius, sive castitatis ac virginei pudoris imago pulcherrima desideretur, illo nihil purius, nihil candidius fuit; si denique veræ in Deum & proximos caritatis forma exquiratur, illius caritate nihil potuit absolutius, nihil perfectius exoptari. Quanta porro in corpore castigando, atque in servitutem redigendo, illius fuerit severitas, singulæ noctes indicio fuerunt, quibus sese usque ad sanguinis profusionem affligebat. Qua vero continentia & moderatione in victu omni fuerit, præter sextas ferias, beatissimæ etiam Dei matris Mariæ Virginis & sanctorum Apostolorum vigiliæ ad unam omnes declarant, quibus, excepto pane & aqua, nihil omnino gustabat. Divini autem numinis propitiandi tanta cura, tantaque sollicitudine tenebatur, ut totas noctes in templo fundendis ad Deum precibus insomnis persæpe consumeret: & si quando inedia, ac sopore fessis & cadentibus membris somnum capere cogebatur, aut stans, lapidi tantum altari innixus, aut jacens humi, scilicet prostratus quiescebat. Et quoniam nihil magis, quam otium homini, præsertim religioso, vitandum esse sentiebat, idcirco quicquid temporis vacuum ab oratione supererat, id omne partim colendis sacris studiis, partim habendis concionibus, partim confessionibus audiendis, partim etiam ægrotis invisendis, partim denique Deo & proximo serviendo impendebat.

Cujus quidem singularem susceptæ vitæ rationem, qua cœlestis potius, quam humanus vir merito reputabatur, frequens multorum, qui se ejus precibus & orationi commendabant, ad eum concursus, atque adeo nova in dies rerum ab eo gestarum præstantia, & pleraque miracula minime obscura declarant, in quibus, ut cetera, quæ innumera prope sunt, omittamus, cujusdam Petri, ex villa Prossovii oriundi resuscitatio proponenda primum occurrit, quem rapidi fluminis impetu

ex

ex equo dejectum & in aquis omnino submersum, cum ejus corpus altero die jam latens, inexpectato ex ipso flumine prodiisset, Deus ob merita & preces ejusdem beati Hiacynthi, statim ad vitam revocavit. Ejusdem quoque sanctimoniam mulier quædam, Judith nomine, egregie ostendit, quam cum paralysis morbi vis elinguem prorsus ac mutam reddidisset, nullaque ratione vocem emittere ullam posset; tandem Beati viri intercessione assequuta est, ut lingua & sermone libere uteretur. Prædicandi autem Evangelii causa cum ad varia passim loca se conferret, ac propterea ad Vandalum flumen Vissogradum Masoviæ urbem redundantibus aquis præterfluens aliquando pervenisset, nullo nauclero, nulloque navigio, quo trans amnem veheretur, ad illius ripas conspecto, divina ope implorata, & Crucis signo communitus, comites ad iter per medios fluctus alacriter prosequendum hortari hunc in modum cœpit: *eja*, inquit, *filii*, *sequimini vestigia mea in nomine Christi*: quo dicto, statim in flumen siccis vestigiis se immisit. Verum sociis præeuntem illum sequi metuentibus, extenso pallio aquam tegens, *agite*, inquit, *filii carissimi*, *sit iste nobis pons Jesu Christi*, *per quem in nomine ejus transeamus*. Itaque flumen illud altissimum simul, ac rapidissimum una cum sociis incolumis trajecit. Quodam tempore etiam, cum per agros Villæ cujusdam diœcesis Cracoviensis inopum ac pauperrimorum hominum segetes injuria grandinis læsas passim, ac disjectas videret, non prius sibi ab oratione temperavit, quam easdem incolis intactas atque integras reddidisset.

CONSTIT. LXXX. A. D. 1594.

Longum esset ceteras res, ab eo, dum vixit, gestas percensere, ut cui toto vitæ cursu nullus umquam dies effluxerit, quo non præclara aliqua ediderit fidei, pietatis, innocentiæ, ceterarumque omnium sacrarum virtutum documenta. Quo quidem vitæ genere ad quadraginta propemodum annos perducto, cum tandem cuperet dissolvi & esse cum Christo, in vigilia festivitatis Assumptionis beatissimæ Dei Genitricis ac Virginis Mariæ, Fratribus monasterii sanctissimæ Trinitatis Cracoviensis accersitis, moriturum sese definito die prædixit, eosque appropinquantis sui discessus nuncio perculsos amantissime consolatus, valere in Christo, Deumque in vita perpetuo timere jussit. Postridie igitur piis ac canonicis precibus recitatis, & sacrosanctis Ecclesiæ Sacramentis summa cum veneratione perceptis, cum versum illum extremo jam vitæ spiritu protulisset, *in manus tuas Domine commendo spiritum meum*, in Domino obdormivit, ejusdem Domini anno MCCLVII. die XV. Augusti.

Audita ejus morte, cum magna hominum multitudo, sive prosequendi funeris, sive contingendi corporis, sive per eum divini auxilii expetendi causa, sive alio Christianæ pietatis officio ad sanctissimæ Trinitatis monasterium ejusdem ordinis Prædicatorum, sepulcro ipsius religiosum ac celebre, confluxisset, Deus, in cujus conspectu gloriosa est mors Sanctorum ejus, Zegotam quemdam nobilem Polonum, qui ex equo, quem forte agitabat, miserrime excussus, effractis & contusis totius corporis membris statim obierat, ad beati Hiacynthi sepulcrum, eo ipso, quo mortuus est die, a parentibus allatum, ob ejusdem beati Hiacynthi merita & preces, non solum in vitam denuo excitavit, verum etiam pristinæ valetudini & integritati ita restituit, ut in eo ne minimæ quidem læsionis reliquum ullum vestigium appareret. Cujus miraculi famam alterius etiam exitus postea auxit, infantulus enim, quem mater mortuum ediderat, a patre ad Beati viri tumu-

CONSTIT. LXXX. A. D. 1594.

tumulum translatus,cum primum is pro filiolo voto se Deo pie obstrinxit, magna cum omnium admiratione vivere statim cœpit. Accessit aliud quoque admirabile ipsius in Urilam quamdam factum, quæ cum maximis deplorati morbi doloribus toto biennio jactata, eo tandem devenisset, ut omnis melioris valetudinis spe abjecta, ipsos jam menses duos nullo amplius cibo, sed aqua dumtaxat vitam tueretur, Agnete tandem filia beati Hiacynthi opem suppliciter implorante, optatam salutem recuperavit. Postremo cujusdam Barbaræ Cracoviensis feminæ, quæ ex partu in hydropisim inciderat, ita ut jam de illius salute ab omnibus esset desperatum, valetudo, nulla prorsus humana medicina, sed unius beati Hiacynthi, cui se commendaverat pietate ac meritis, redintegrata, eximiam servi Dei sanctitatem clare confirmavit.

Quibus sane signis, multisque aliis, ad eamdem beati Hiacynthi sanctitatem comprobandam,pertinentibus rebus adducti, ac præterea constanti omnium ordinum dicti Regni, & ejusdem Sigismundi III. Regis, ac Dominicanæ religionis petitioni satisfacere cupientes, cum id maxime idem Sigismundus Rex per prædictum Stanislaum Mynski, suum apud nos oratorem, ipse vero Dominicanus ordo per dilectum filium fratrem Johannem Vincentium Aristoricensem ejusdem ordinis Prædicatorum Generalem a nobis postulaverit, ut quoniam quacunque ad acta & processum beati Hiacynthi spectabant, ex hujus sanctæ Sedis præscripto expedita ac perfecta erant, nos, quibus ea de re statuendi potestas a Deo est tributa, ad hujusmodi negocium definiendum omnes auctoritatis sanctæ Sedis Apostolicæ & nostræ, partes conferremus, de eo ipso non prius tamen, quam rebus omnibus diligenter, ut par est, circumspectis hoc tempore nobis decernendum esse existimavimus.

Crebris igitur ac diuturnis supradictorum venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Congregationis sacrorum Rituum consultationibus, hac ipsa de re etiam nostro tempore habitis, & processu omni ex sacrorum canonum præscripto, ab eisdem viso & examinato, quin etiam viris in sacra Theologia ac pontificio jure versatis in consilium adhibitis, cum nihil jam desiderari videretur, secretum consistorium indiximus, in quo venerabilis frater noster Alphonsus Episcopus Ostiensis Cardinalis Gesualdus, cum, suo & ceterorum Cardinalium Congregationis sacrorum Rituum nomine, omnia ad eam rem spectantia exacte, ac prudenter explicasset, id demum in summa retulit, de beati Hiacynthi fide, vita ac miraculis se, & Cardinales collegas suos sentire, omnia probata esse, quæ ad canonizationem ex divini juris præscripto pertinerent, eamque ob causam, posse Beatum illum (si idem nobis videretur) in Sanctorum numerum cooptari.

Qua quidem re intellecta, vehementer in Domino lætati sumus, quod ad augendam servi sui dignitatem facultas nobis hoc tempore se offerret. Nullam igitur officii partem ad peragendum tanti momenti negocium prætermittendum esse censentes, veteri Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum exemplo adducti, mandavimus, ut de re ad exitum perducenda pro ipsius gravitate diutius deliberaretur. Itaque aliquot dierum spacio interjecto, publicum consistorium hanc ob rem indiximus, non modo venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consessu, sed etiam Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum & Prælatorum, ceterorumque familiarium nostrorum conventu frequens: in quo quidem dilectus filius Cinus Campa-

Campanus, consistorialis aulæ nostræ Advocatus, res gestas, & beati Hiacynthi virtutes, fidei ipsius sinceritatem, vitæ sanctitatem ac miracula oratione de more est complexus: ac deinde ejusdem Sigismundi III. Regis, totiusque Poloniæ Regni, ac religionis Dominicanæ nomine, ut ipsum in Sanctorum numerum referremus, suppliciter a nobis postulavit. Quod cum præsentes ipsi audivissemus, inusitata lætitia viscera nostra perfundi sensimus. Divina enim voluntate evenisse intelligebamus, dictum Sigismundum Regem, cui nunc maxima duorum præstantium regnorum moles incumbit, ideo de beato Hiacyntho inter Sanctos aggregando incredibiliter laborare, ut nimirum nova sibi, suisque Regnis firmæ apud Deum intercessionis patrocinia compararet. Itaque respondimus, in tam sollicita, tamque constanti optimi ac piissimi Regis postulatione, inesse eximiæ illius religionis significationem haud hac animi sui virtute alienam, neque indignam præstanti eius divini cultus amplificandi desiderio. Diximus etiam permagnæ nobis esse voluptati, eoque animum nostrum ad gratias Deo agendas vehementer excitari, quod quibus servis sempiternæ beatitudinis præmia jamdiu in cœlis sunt tributa, eosdem etiam in terris ab hominibus coli velit Deus, ut Christifideles vel illorum intercessione cœlestia auxilia facilius promereantur, vel eorundem imitatione expeditius ad cœlestem, qua ipsi jam perfruuntur, gloriam perducantur. Summa denique responsionis nostræ hæc fuit, nobis quidem esse constitutum gravissimæ illius petitioni non deesse; causæ tamen magnitudinem obstare, quo minus in summa ipsius totiusque sui Poloniæ Regni voluntate res ipsa a nobis adhuc præstari posset, ut quibus eadem de re cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & ceteris Episcopis diligenter tractandum esset. Quocirca eosdem Cardinales & Episcopos etiam atque etiam monuimus, ut non solum quæcunque hac ipsa in causa versarentur, omni studio adhibito, examinarent, verum etiam conjunctis precibus Deum deprecarentur, ut mentibus nostris lucem præferret ad ea demum agenda, quibus divinæ illius gloriæ amplitudo, & totius Ecclesiæ utilitas augeretur.

Hisce deinde perfectis rebus, consistorium secretum rursus indiximus, in quo etiam Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, qui tunc in Urbe erant, ac nostri & Sedis Apostolicæ Notarii, & sacri palatii Auditores mandato nostro vocati adfuerunt. Tunc igitur nos pro nostra & sanctæ hujus Sedis, in qua a Deo collocati sumus, auctoritate & potestate, & pro singulari Spiritus sancti in eamdem Sedem, cujus ipsa infallibili sapientia gubernatur, præsidio, ea diximus, quæ ad rem propositam, atque ad illius temporis rationem in primis accommodata esse videbantur. Postremo cum eisdem Cardinalibus ceterisque Episcopis egimus, ut præcise responderent, utrum ex processu & ex rebus in eo comprehensis ac probatis, beatus Hiacynthus canonizandus videretur. Ac primum quidem iidem Cardinales, deinde etiam Patriarchæ, ac deinceps Archiepiscopi & Episcopi, suo quisque ordine concordibus sententiis censuerunt, beatum Hiacynthum ex rebus quibus omnis illius vitæ processus constat, a nobis optimo jure, Sanctorum numero esse adscribendum. Itaque quod unum jam restabat de talibus, tamque inter se consentientibus suffragiis, Deo bonorum omnium auctori gratias agentes, ac læti rerum tot ab hinc annis cœptarum felici successu, diem canonizationis præfiximus ad decimum quintum Kalendas Majas, Dominicam scilicet in Albis, cum nimirum

Pascha-

CONSTIT. LXXX.
A. D. 1594.

Paschalis solemnitas festivitate concluditur, novella germina sanctitatis regenerantur, neophytorum habitus immutatur, Paschales denique, idest indulgentiæ ac remissionis dies celebrantur, ut tot tantisque cœlestibus præsidiis adjuti, melius ac facilius nostro munere fungeremur.

Ubi igitur ipsa Dominica in Albis, hodiernus scilicet dies, illuxit, nos, & iidem Cardinales, necnon Patriarchæ, Archiepiscopi & Episcopi, qui in cappellam nostram pontificiam nobiscum ad id convenerant, sacris vestibus induti, hymno, *Ave maris stella*, ad honorem Beatissimæ Virginis Mariæ, cujus opem tunc maxime invocandam duximus, inchoato, eodemque illo ab ejusdem cappellæ nostræ cantoribus ad finem usque deinceps decantato, aliisque etiam Romanæ curiæ prælatis & officialibus, familiaribusque nostris una cum ceteris totius ecclesiastici sæcularis & regularis ordinis viris longo, pioque ordine præeuntibus, omnes cum ardentibus cereis ad illius gloriam, qui sua luce & splendore cœlos complet, ex palatio nostro Apostolico summa cum celebritate processimus ad basilicam principis Apostolorum, tunc magno undique ornamentorum apparatu instructam, adeout singularis lætitiæ specimen omni ex parte præseferret. Suggestus enim loci amplitudine insignis, ejusdem Regis, & Dominicani ordinis impensis extructus: ibi primum eminebat, in quo altare, ad sacrosanctum missæ sacrificium solemni ritu a nobis celebrandum, e regione erectum cernebatur. Templi deinde parietes insignibus aulæis auro & bombyce intertextis obtecti erant. Omnis præterea interioris basilicæ ambitus, accensis undique cereorum flammis collucebat. Denique suspensa de tholo, ac trabibus vexilla, beati Hiacynthi sanctissimam Dei Genitricem Mariam Virginem flexis genibus venerantis effigiem spectandam proponebant. Nos igitur in eam basilicam magna omnium ordinum frequentia ingressi, atque in ea supernæ & beatæ Urbis Hierusalem, quasi sub aspectu positam pulchritudinem intuentes, in suggestum primum, ac deinde orandi causa ad altare, ac postremo ad throni ibidem, ut moris est, ad dextrum latus erecti, Sedem pervenimus, ubi eosdem Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos & Episcopos cum sacris vestibus obedientiam nobis præstantes excepimus. Tum idem Stanislaus præfati Sigismundi Regis orator, semel, iterum ac tertio postulavit, ut beatum Hiacynthum in Sanctorum numerum referremus; nosque ad singulas ipsius petitiones, litaniis ac sacris hymnis, per tria distincta intervalla recitatis, preces adjunximus. Denique omnibus rite ac pie peractis, quæ hac in re alii Romani Pontifices prædecessores nostri servanda esse statuerunt, sanctoque Spiritu, cujus divino numine Ecclesia afflata numquam fallitur, multis cum precibus invocato, ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicæ, ac Christianæ religionis augmentum, auctoritate ejusdem Dei omnipotentis, Patris & Filii & Spiritus sancti, beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & nostra, de fratrum nostrorum consilio, decrevimus & definivimus, bonæ memoriæ Hiacynthum Polonum ordinum Fratrum Prædicatorum, Sanctum esse, ac Sanctorum catalogo adscribendum, sicut per præsentes definimus, decernimus & adscribimus. Statuentes, ut ab universali Ecclesia anno quolibet in die decima sexta Augusti festum ipsius & officium, sicut pro uno sancto Confessore non Pontifice, ad formam in rubricis Romani Breviarii præscriptam, devote & solemniter celebretur.

Insu-

Insuper eadem auctoritate omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui annis singulis eodem die festo ad sepulturam, in qua ejus corpus requiescit, devote accesserint, necnon Ecclesias & altaria in ipsius honorem constructa devote visitaverint, easdem indulgentias, & peccatorum remissiones concessimus & elargiti sumus, quemadmodum concedimus & elargimur, quæ ceteris dicti ordinis monasteriis & Ecclesiis in diebus festis ejusdem ordinis Sanctorum jam concessæ sunt.

Quibus rebus ad sancti Hiacynthi canonizationem necessariis absolutis, & hymno ad laudem Dei, & gratiarum actionem decantato, ac divina ope per ejusdem Sancti viri intercessionem devota ac pia precatione, quam ipsi recitavimus, implorata, tandem eodem in suggestu, & altari missam solemniter de octava Dominicæ Resurrectionis, cum ejusdem sancti Hiacynthi commemoratione celebravimus, & omnibus Christifidelibus, qui huic canonizationi & missæ interfuerant, ad laudem Dei, & Sancti sui gloriam, plenariam peccatorum suorum indulgentiam concessimus.

Quocirca omnes Jesum Christum Dominum nostrum collaudemus, agnoscamusque summa ejus bonitate evenisse, ut in hoc perturbato rerum statu novi apud Deum intercessoris meritis ac precibus adjuvari valeamus. Magno quidem illud esse debet ad bene sperandum omnibus argumento, quod rem a tot Poloniæ Regibus, ipsisque regni ordinibus jamdiu expetitam, communibus piorum ac religiosorum hominum votis ubique optatam, a plerisque etiam Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris susceptam, hoc tempore perficiendi facultatem nobis tribuerit. Itaque Deum in Sanctis suis mirabilem deprecemur, ut sancto Hiacyntho suffragante, Ecclesiæ suæ pacem & tranquillitatem, Regibus & Principibus Christianis unionem, obcœcatis hæreticis catholicæ veritatis viam ostendat, miseris infidelibus Christiani nominis hostibus orthodoxæ fidei lucem largiatur.

Ceterum, quia nimis difficile foret, præsentes nostras originales literas ad singula loca, ut opus esset, deferri, volumus, ut earum transumptis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem ubique fides habeatur, quæ ipsis præsentibus si exhibitæ & ostensæ essent, haberetur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum definitionis, decreti, adscriptionis, statuti, concessionis, elargitionis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo nonagesimo quarto, decima quinta Kalendas Maii, pontificatus nostri anno tertio.

✠ Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Protector noster aspice Deus.

✠ *Ego Alphonsus Episcopus Ostiensis Cardinalis Gesualdus.*
✠ *Ego Innicus Episcopus Portuensis Cardinalis de Aragonia.*
✠ *Ego M. Antonius Episcopus Prænestinus Cardinalis Columna.*
✠ *Ego Ptolemæus Episcopus Tusculanus Cardinalis Comensis.*

confessores & viros Sanctos, magnos in virtute, ac prudentia praeditos adversus tyrannorum saevitiam, atque haereticorum iniquitatem excitarit, qui suo sanguine fidem Christianam decoratam, ac vitae integritate, doctrinis, virtutibus & miraculis confirmatam latissime propagarunt. CONSTIT. LXXXI. A. D. 1601.

Ac superioribus quidem saeculis ex gloriosi Patris sancti Dominici familia beatus Raymundus a Pennafort Barcinonensis extitit, qui amator verae sapientiae, quae numquam marcescit, spretis omnibus mundi divitiis, dives factus est in gratia Dei, quae data est in Christo Jesu in omni verbo & scientia, dives in humilitate & virtute, dives in bonis operibus: in quo denique Deus ostendit abundantes divitias gratiae & gloriae suae. Nam vocavit eum in partem sortis Sanctorum, & implevit agnitione voluntatis suae in omni sapientia & intellectu spirituali, itaut plenus Spiritu sancto & fide, in medio regum & magnatum sapientiam loqueretur: non sapientiam hujus saeculi, neque principum hujus saeculi, qui destruuntur, sed Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est a sapientibus hujus mundi, & revelata parvulis. Nimirum verus Dei minister in paupertate, in omni patientia, in orationibus, in laboribus, Dei gloriam quaerens, ac mysterium fidei in conscientia pura fidelibus & infidelibus summa caritate patefaciens, permultos in coecitate cordis a via salutis aberrantes, verbo veritatis & innocentia vitae in rectam mandatorum Dei semitam traduxit, & adversus haereticorum impetum & audaciam, se, tamquam murum fortissimum & inexpugnabilem, opposuit.

Insuper Deus, *qui est mirabilis in Sanctis suis*, dedit ei gratiam curationum, ac sanctitatem ejus in virtute Spiritus sancti per signa & prodigia, cum in ejus vita, tum post obitum, ita manifestavit, ut ejus gloria per amplissima Hispaniarum Regna permanarit. Haec enim est summa Dei benignitas, qua Sanctos suos, qui in contemptione honorum, in omni rerum humanarum despicientia, & in Cruce Christi Domini nostri gloriantes, in hac vita ejus laudem & honorem amplificarunt, nunc eosdem glorificans, a quibus ipse honorificatus est, veluti quadam vicissitudine honoris, omnium bonorum felicitate in coelis remunerat, & tribuit eis nomen sempiternum, quod numquam interibit. Quamobrem ad eorum virtutes imitandas vehementer incitari debemus, cum hujusmodi homines aversos ab honoribus, in tribulationibus, in angustiis tantam adeptos esse gloriam videamus, ut sua tenuitate & humilitate omnium Regum amplitudinem, omnem hujus mundi existimationem & dignitatem longe superarint. Nam diversae sunt viae Dei a viis hominum, qui in vanis cogitationibus & curis inanibus occupati, loquuntur sublimia gloriantes. Deus autem sedes ducum superborum destruxit, & cessare fecit memoriam eorum a terra; memoriam vero humilium sensu reliquit, & maximis honoribus amplissimisque monumentis consecravit.

Quare beatum Raymundum merito laudamus, & Deum in eo benedicimus, qui singularibus gratiarum donis & summis virtutibus eum ornavit, de cujus vita, morum sanctimonia, fidei puritate, & admirabilium signorum multitudine pauca solum ad communem totius Ecclesiae utilitatem proponimus, ut omnes intelligant quibus tandem ille gradibus in coelum ascenderit, ac Deo gratias immortales agant, ejus nomen in Ecclesia Dei publico hoc nostro & Sedis Apostolicae decreto, numero Sanctorum fuisse adscriptum.

Bea-

CONSTIT. LXXXI.

A. D. 1601.

Beatus Raymundus Barcinonensis ex nobili familia de Pennafort originem duxit. Prima in pueritia religionis Christianæ rudimentis imbutus, jam magnum aliquid portendere videbatur, cum esset eximia corporis & animi indole, & naturæ quodam instinctu ad virtutem & pietatem in dies magis propenderet.

Adolescens humaniores literas tam avide arripuit, ut exiguo tempore maximos progressus fecerit, & eas artes, quas plane didicerat, Deo adjuvante, summa cum laude plurimos Barcinone gratis docuerit.

Atque ut e talentis sibi a Domino concreditis lucrum faceret amplissimum, Bononiam, velut ad commune bonarum artium domicilium, & disciplinarum emporium, profectus est, ubi tempus, sibi ad negociationem sapientiæ datum, non insumpsit in vanis & carnalibus desideriis, quibus ætas illa juvenilis a studio virtutis abripi sæpe solet; sed pietatis officiis, ac pontificio, civilique juri toto pectore incubuit, ac tandem Doctoris laurea, ceterisque doctrinæ insignibus decoratus, sacros canones publice magna cum hominum admiratione absque ullo stipendio est interpretatus: cui postea cum Senatus Bononiensis ob præclaram ejus eruditionem honorarium ex ære publico decrevisset, ipse labores suos Domino sanctificans, datæ sibi a Senatu pecuniæ, omniumque rerum, quas sua industria comparasset, Deo in primis, ac suo Parocho decimas fideliter offerebat.

Quo in munere ducendi cum aliquot annis egregiam navasset operam, & jam ejus eruditionis fama per Italiam increbuisset, Berengarius Barcinonensis Episcopus, ejus virtutibus ac scientia permotus, Roma suam ad Ecclesiam rediens, Bononiam iter instituit, ubi beatum Raymundum convenit, ac multis ultro citroque sermonibus habitis, Berengarius virum admiratus, ac secum ipse reputans, eum ingenti Ecclesiæ suæ ornamento & utilitati futurum, vehementer institit, ut secum ad Ecclesiam Barcinonensem, ubi educatus fuerat, reverteretur: quod tandem magnis ab eo precibus obtinuit, quem etiam aliquando post ejusdem Ecclesiæ canonicatu, & quadam præpositura addita ornavit. Hoc beneficio & dignitate auctus, omnibus canonicis & universo illius civitatis populo, integritatis ac doctrinæ splendore præfulgebat, eratque tanta ejus in omni gestu motuque corporis modestia, & totius vitæ consuetudine suavitas, ut omnium ætatum atque ordinum homines in amorem sui raperet & admirationem. Deiparam Virginem singulari pietatis affectu venerabatur, ejusque honorem & cultum pro viribus semper auxit.

Nam cum festus Annunciationis ejusdem Virginis dies ea in Ecclesia minus celebris haberetur, ipse ab Episcopo & Capitulo impetravit, ut duplici ritu solemniter perpetuo coleretur, atque ex præpositura suæ reditibus censum annuum attribuit canonicis, in distributiones erogandum, qui sacris officiis eo die interessent.

Magnam hac ratione apud omnes auctoritatem & sanctitatis opinionem sibi conciliarat, totiusque civitatis oculos, animosque omnium, ac præcipue Prælatorum & Principum in se converterat, cum inanem mundi gloriam instar fæni arescentis decusso flore marcescentem apud se ipse contemnens, ad sublimiorem vitæ statum aspiraret. Venerant tunc in eam urbem recenter Fratres ordinis Prædicatorum, qui Apostolicum in morem Evangelio Christi prædicando populum docebant, & ad cultum Dei studiumque pietatis incitabant; quorum usus & consuetudine

primum

primum delectari beatus Raymundus, deinde etiam ad idem vitæ institutum amplectendum vehementer cœpit inflammari: neque anceps ea difficilisve cogitatio fuit. Nam inclinatum ejus animum, & in via salutis ambulantem, speciosi illi pedes evangelizantium pacem, in montem Domini, perfectionis nimirum evangelicæ apicem, facile deduxerunt.

Itaque jam matura ætate, annum circiter quintum supra quadragesimum agens, abdicatis honoribus, sprevisque omnibus divitiis, assumpsit pennas, ut columbæ, atque in requiem Domini evolans, in ordine Fratrum Prædicatorum solemnem professionem emisit. Quod ut omnibus admirationi fuit, hominem genere nobilem, doctrina præstantem, affluentem bonis, dignitate & fama celebrem, suscepto religiosæ vitæ instituto, spontaneam paupertatem opibus, suique contemptum honoribus & commodis prætulisse; ita ejus exemplo complures literati, ac studiis, doctrinisque dediti nobiles viri eumdem ordinem sunt amplexi, ac propterea magnum ea religio in dicta civitate suscepit incrementum.

Hic jam novus Christi miles adversus humani generis hostem fortiter dimicare apud se statuens, ac turrim æternæ salutis ædificans, ut sapiens architectus, humilitatis religiosæ, quæ ceterarum est parens custosque virtutum, fundamenta jacere decrevit.

Itaque etsi omnibus eruditione & prudentia antecellebat, hoc tamen ipso demissius sentire de se, aliis omnia, sibi nihil tribuere, singulos honore debito prosequi, denique libentius delitescere, quam in lucem prodire consueverat: cujus ille virtutis tenacissimus in omni vita fuit: & quoniam obedientia humilitatis vita est, ad hanc tuendam atque conservandam, exemplo mediatoris & Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, qui humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, vir justus die ac nocte meditabatur obedientiam, ac sepulto propriæ voluntatis arbitrio, mortuus huic sæculo, vitam cum Christo in Deo absconderat, ac totus a superiorum nutu pendebat.

Beatam paupertatem, regni cœlorum præmio dignam, & Christi ore laudatam toto pectore amplexus est, ac eam, veluti fraternæ pacis fundamentum, munditiam vitæ, curarum hujus mundi abdicationem, proximam denique, & quasi compendiariam ad Deum viam studiosissime semper coluit, ac semetipsum, tamquam aurum igni probatum, in camino paupertatis expurgabat.

Castitatis, quæ cœlestis & angelicus thesaurus est, amantissimus fuit, ac præcinctus lumbos, & lucernam boni operis in manibus habens, eam in fictili corporis vase in sanctificatione & honore portans, incorruptam & integram usque ad extremum vitæ diem conservavit.

Et qua erat in Dei Matrem & intemeratam Virginem Mariam pietate, in cujus fidem & clientelam se jamdiu ante contulerat, nullum firmius ad dæmonis vires conterendas, quam ejusdem Virginis præsidium inveniri posse certum exploratumque habens, ejus patrocinium assidue invocabat, ac tantus erat ejus in oratione fervor & perseverantia, ut ex variis occupationibus se ipse frequenter colligens, sederet solitarius, & levans se super se, divinæ contemplationi vacaret, in qua cœlestes plane spiritus hauriebat, & de fontibus Salvatoris, aquas sapientiæ salutaris accipiens, tanto gratiarum imbre omnes vitæ suæ actiones irrigabat, ut flumina aquæ vivæ de ventre ejus in aliorum utilitatem promanarent.

In

CONSTIT. LXXXI. A. D. 1601.

In pauperes, ac præcipue captivos, dura servitute ab infidelibus detentos, propensissimus erat, nullumque officii genus umquam prætermisit, quo eos liberari posse existimaret: quorum hoc etiam majorem curam & sollicitudinem gerendam esse censebat, quo in graviori periculo Christianæ fidei abjurandæ & amittendæ salutis æternæ versarentur. Cum itaque ejus hortatu Petrus Nolascus natione Gallus, cujus confessiones beatus Raymundus audiebat, vir opibus florens, & insigni pietate præditus, ad inopes alendos, & maxime ad captivos ex barbarorum vinculis redimendos suas copias & opes cum alacritate ac libenti animo conferret, egregium pii ac liberalis animi officium pro suo infinita bonitate gratum Deus habuit. Nam proxima nocte insequente beatissima Virgo Dei mater eidem Petro, qui sanctis meditationibus & orationi vacans, cogitabat qua ratione calamitatibus Christianorum, in captivitate degentium, succurri posset, serena fronte se conspiciendam dedit, & acceptissimum sibi, ac unigenito suo Filio fore dixit, si suum in honorem institueretur ordo religiosorum, quibus cura incumberet captivos e tyrannide Turcarum liberandi: ac illa ipsa nocte eadem Virgo sanctissima beato Raymundo & Jacobo, primo Aragoniæ Regi, apparuit, id ipsum de religiosis admonens.

Quare hi collatis inter se consiliis & consentientibus animis, ordinem beatæ Mariæ de misericordia seu de Mercede redemptionis captivorum fundaverunt, cui beatus Raymundus certas vivendi leges præscripsit ad istius ordinis vocationem accommodatissimas, quarum approbationem aliquot annis post a felicis recordationis Gregorio IX. prædecessore nostro impetravit, & dictum Petrum, qui eidem ordini omnia sua prompte dederat, primum etiam generalem ordinis Magistrum, suis ipse manibus, habitu eodem indutum, creavit.

Hæc beatus Raymundus, quæ ad unius Dei gloriam & proximi utilitatem gesserat, etsi occultissima esse volebat; tamen ardentem illius in egenos caritatem & vitæ sanctimoniam jam ubique fama vulgaverat, & sancta ejus doctrinæ odorem manifestabat in omni loco. Quamobrem bonæ memoriæ Johannes Cardinalis Episcopus Sabinensis, eruditionis & pietatis laude clarissimus, ab eodem Gregorio IX. prædecessore nostro in Hispaniam ad Crucem adversus Saracenos prædicandam, aliaque Sedis Apostolicæ negocia pertractanda legatus de latere missus, multorum sermonibus singularem ejus integritatem intelligens, eum sibi legationis accepit adjutorem: quo in munere beatus Raymundus tanta cum prudentia, tanta humilitate & caritate versatus est, ut omnibus esset bonus odor Christi ad vitam. Nam etsi honestissimo loco natus esset, & jam ætate provectus, multisque virtutibus cumulatus, magna apud omnes auctoritate polleret: in hoc tamen longinquo & difficillimo itinere nullis umquam ab eo precibus obtineri potuit, ut equo veheretur, sed verus Christi discipulus calceatus pedes in præparationem Evangelii pacis, & assumpto spiritus gladio, quod est verbum Dei, iter, suis comitatus sociis, pedibus faciebat, & Cardinalem quo erat venturus, prævertens, quasi viam ante faciem ejus in benedictione præparans, Evangelio Christi prædicando, permultos, adjuvante Domino, ad arctam salutis semitam a via lata & spatiosa traducebat, & confessiones audiendo a censuris & a peccatorum nexibus liberabat. Quodque omnibus mirum fuit, toto illo itinere nihil umquam de solita ciborum abstinentia, vigiliis, jejuniis, prædicationibus, totiusque religionis severitate remisit, sed observantissimus constitutionum sui ordi-

ordinis, ne latum quidem unguem ab illius statutis & legibus discedebat. Quare suscipiebant ipsum universi, colebant omnes, Johannes Cardinalis summopere diligebat, qui perfunctus legatione ad Urbem rediens, cum beatum Raymundum una secum adducere decrevisset, numquam id tamen ab eo potuit impetrare. CONSTIT. LXXXI. A. D. 1601.

Sed cum ad eumdem Gregorium IX. prædecessorem nostrum de rebus legationis referret, tam multa, eaque præclara de hujus Beati viri virtutibus dixit, ut idem Gregorius prædecessor illius videndi desiderio incensus, eum ad se confestim evocarit, cujus ille dicto audiens, quamquam religiosæ quietis avidissimus, Romam venit.

Excepit eum amanter & benigne prædictus Gregorius prædecessor, ac brevi perspectis & exploratis ejus animi dotibus, summisque virtutibus, cappellani sui officio, quod tunc temporis idem erat, quod nunc est causarum palatii Apostolici Auditorum, & pœnitentiarii dignitate, ornavit, ac tanti semper fecit, ut non nisi adhibito ejus consilio graviores causas tractaret: quem cum etiam a sacris sibi confessionibus præfecisset, is, qua erat in egenos caritate, pœnitentiæ loco illi injungebat, ut inopum preces, & justas petitiones statim audiret, eorumque negocia expediret, & quam citissime conficeret. Quare ab eodem Gregorio prædecessore,

Pater pauperum est appellatus. Decreta Romanorum Pontificum, quo quæque tempore condita erant, diversis in epistolis & conciliis sparsa, quæ obscuritatem & incertitudinem inducere videbantur, ad communem omnium, & maxime studentium, utilitatem, in ordinem & compendium redigi jamdiu omnibus fere placuerat; sed tanto operi vir idoneus quærebatur. Itaque Gregorius prædecessor beatum Raymundum huic muneri aptissimum esse ratus, id oneris ei imposuit: quod tandem ipse ingenti labore trium annorum spatio feliciter absolvit, quemadmodum in ipso Decretalium prooemio gravissimo ejusdem Gregorii testimonio est comprobatum. Hisce lucubrationibus & assiduo humilitatis studio, quamdiu Romæ vixit, contra otiosam mentis evagationem, & inanis gloriæ cupiditatem se ipse tuebatur diligentissime.

Quare oblatos etiam honores & amplissimas Ecclesiarum cathedras omni conatu repudiavit. Nam cum Gregorius Archiepiscopatum Tarraconensem ei deferre decrevisset, id ille adeo graviter & moleste tulit, ut illico febri correptus, aliquot dies ingenti corporis animique dolore torqueretur. Itaque ab hujus mundi gloria alienissimus, omni ope contendit, ut eam a se dignitatem averteret: quod cum per se non posset, adhibitis multorum precibus, & quorumdam Cardinalium auctoritate, ejusdem Gregorii prædecessoris animum ita inflexit, ut illius Ecclesiæ onus in eum transtulerit, quem ei muneri beatus Raymundus aptissimum esse judicavit.

Hac difficultate perfunctus exultabat in Domino, ac veluti suo juri redditus, gratiis Deo peractis, ad solitos labores sese contulit, quorum tandem magnitudine & diuturnitate confectus, in tam gravem morbum incidit, ut illi certam mortem medici denunciarent, nisi patrium solum repeteret. Itaque dimisso Confessarii ejusdem Gregorii prædecessoris munere & obtenta abeundi facultate, Barcinonem rediit, atque ita rediit, ut eum animi candorem ab omni ambitionis labe intactum & illæsum, quo imbutus ad Urbem venerat, in patriam reportarit.

CONSTIT. LXXXI. A. D. 1601.

Vix ab Urbe recesserat, cum statim ei divinitus per spiritum data est gratia sanitatum, atque operatio virtutum. Nam cum ad eum Cataloniæ portum, quem Tossa vocant, appulisset, advectum ad se levi cymba quemdam ejus loci incolam, Barcelo de Faro nuncupatum (qui dum in messem incumberet, adeo gravi & repentino correptus erat morbo, ut statim omnibus orbatus sensibus, nullos, neque clamores, neque admotos corpori stimulos perciperet, sed humi jacens exanimis, mortuus esse crederetur) Beatus vir miseratus, Deum, qui dives est in misericordia, ardentissime est deprecatus, ut ei vitam, quæ satis esset ad confitendum peccata, produceret: tum magna in Deum fide nixus, infirmum proprio compellans nomine, rogavit, an vellet peccatorum sordes sacra confessione diluere. Confestim ille, velut e somno excitatus, oculos sustulit, receptoque vocis usu, id velle se, ac vehementer optare, dixit, & confessione facta atque exonerata peccatorum conscientia, perceptaque absolutione, nihil amplius elocutus, spiritum Deo reddidit. Id circumstantes admirati, glorificaverunt Deum, quod talem hominibus dedisset potestatem.

Atque ubi Barcinonem appulit, confirmatis paulum viribus, statim ad res divinas & cœlestes contemplandas animum adjecit. Ejus vero Barcinonem adventus simul atque per Hispaniam innotuit, ingens hominum concursus ad eum fieri cœptus est, partim visendi gratia, partim consulendi (nam Pœnitentiarii potestatem concessu ejusdem Gregorii, etiam ab Urbe absens, exercebat) quos omnes consolabatur in Domino, & spiritualibus monitis mirifice recreabat. Ejus enim scientia, quasi inundatio, in omnibus abundabat, & consilium ejus, sicut fons vitæ, salutem animæ plurimis afferebat. Hac autem Pœnitentiarii potestate quo liberius Deo sibique vacaret, sponte se obdicavit, quamquam ejus etiam absentis opera idem Gregorius prædecessor, ceterique Romani Pontifices, qui eum secuti sunt, prædecessores item nostri, utebantur, ut ex ipsorum literis facile constat, quibus ei gravissima negocia committebant. Conscripsit etiam Summam casuum conscientiæ, qui solent in foro pœnitentiæ frequenter occurrere, magnæ doctrinæ atque auctoritatis, & tam confessariis, quam confitentibus valde utilem & necessariam.

Dum sacris & suavibus hisce studiis, & juvandi proximi occupationibus distinetur, anno humanæ salutis millesimo ducentesimo tricesimo octavo, Jordanus ejusdem ordinis secundus generalis Magister ex hac vita excessit. Quare nono generali Magistro deligendo Capitulum generale Bononiæ est congregatum, ubi cum, dissidentibus sententiis, non satis Patribus inter se conveniret, ad sancti Dominici corpus preces indictæ sunt, atque inde ad suffragia ventum: quibus omnibus, nullo penitus refragante, beatus Raymundus absens, generalis Magister est declaratus, cujus ille rei nuncio perculsus atque animo perturbatus, primum repugnare vehementer cœpit; sed provectioribus ætate ac sapientia Patribus Bononia Barcinonem adventantibus, qui eam omnium & Dei voluntatem esse confirmarunt, ægre tandem acquievit, ac magisterium iniit. Itaque aliorum precibus & auctoritate victus, animum ad regendam eam familiam adjecit.

Quam cum integro biennio sanctissime, & magna cum laude administrasset, facto, ipso postulante superiore anno, ex communi Patrum sententia decreto, ut liceret Magistro generali officium magisterii renunciare, proximo insequente Capitulo Bononiæ item habito, affectam

ata-

ætatem, infirmamque valetudinem incusans, pristinæ nimirum quietis, vitæque privatæ avidissimus, magistratu, mœrentibus, omnibus sponte se abdicavit: quo veluti onere deposito, lætus & alacer ad consuetas pietatis exercitationes, & proximi ad virtutem incitandi studium se quam diligentissime retulit, ac nihil unquam antiquius habuit, quam, ut religionem catholicam longe lateque propagaret, & pro viribus ab hæresum labe vindicaret.

Quamobrem claræ memoriæ Jacobo Regi Aragoniæ, ejus nominis primo, in primis suasit, ut sacrum Inquisitionis officium suis in Regnis institueret, ad hæresim videlicet, quæ tunc ex nefaria Valdensium secta recenter exorta erat, omnesque alias procul a finibus ejus Regni arcendas, atque hanc ob causam Concilio provinciali Tarracone adversus eosdem sectarios habito, jussu ipsius Jacobi Regis interfuit.

Sub idem vero tempus Saraceni, qui nobilissimas Hispaniæ civitates, & finitimas insulas impia sui generis stirpe multo ante infecerant, armata manu vehementer etiam infestabant: quibus, ut in suis Regnis Evangelium Christi prædicaretur, eidem Jacobo Regi auctor fuit. Hunc etiam ad majorem insulam ex Balearibus proficiscentem, ejus rogatu comitatus est, tum ut ei a sacris confessionibus esset, tum etiam ut verbo Dei prædicando, fideique catholicæ mysterii explicandis Hebræos & Agarenos, qui ibidem magno numero erant, ad Christianam religionem adduceret, ubi cum idem Jacobus Rex vesano amore captus, cujusdam feminæ consuetudine uteretur, beatus Raymundus qua erat dicendi libertate ac prudentia, illum blando primum sermone ab eo conatus est revocare. Verum ubi se nihil proficere animadvertit, tum orare, proque sua in Deum fide precibus omnibus cœpit obtestari, ne ob exiguam corporis voluptatem male se ipsum perderet. Sed neque preces quidquam profuere.

Hic tum beatus Raymundus animi dubius & incertus quo se verteret, consulto tandem precibus divino numine, statuit, nihil gravius sibi faciendum, quam ut ex insula discederet, ne libidinem ejusdem Jacobi Regis, quam ferre amplius non poterat, probare sua præsentia videretur. Itaque eum adiit, serioque ac severe admonitum, suæ voluntatis certiorem fecit. Jacobus vero Rex, ejus apud se retinendi cupidus, nautas omnes præmoneri jussit, atque capitali edicto prohiberi, ne ullus eum trajiceret. Interim ignarus hujusce consilii beatus Raymundus in portum perrexit, ubi ab omnibus naviculatoribus communi consensu rejectus, cognita Jacobi Regis voluntate, in portum Sollar profectus est, itineris sui comiti hoc unum firmissime asseverans, ibi æternum Regem sibi non defuturum. At cum neque in eo portu a nautis admitteretur, id secum ipse demiratus, hoc magna fide pronunciavit, Regem quidem mortalem ita statuisse, sed Regem æternum aliter provisurum. Itaque, omnibus in littore salutatis, per quasdam rupes, & prærupta saxa, in mare porrecta, aliquantulum progressus, in mare descendit, ac socium allocutus, videbis, inquit, quemadmodum Deus optimam navem providebit. Quare fiduciæ plenus, expanso super aquis pallio, reductaque ejus ora instar veli ad baculum, quo, tamquam malo uteretur, Dei opem invocans, ac signo Crucis se muniens, relicto in insula suo modicæ fidei ac dubitante socio, mari se commisit, ac leni prosperoque inflante vento perambulans semitas maris, ac benedicens Deum, qui dominatur potestati ejus, centum sexaginta milliaria sex horis confecit, omnibusque circum littora insolitum

 navi-

gaudio delibutus, ut ex eo tempore ad extremum usque diem, divina gratia & bonitate, ab omni concupiscentiæ carnis commotione fuerit præservatus.

Cum cœlestis militiæ Angelo tanta inerat ei familiaritas & amicitia, quæ maximum est puritatis & sanctimoniæ argumentum, ut ab eo frequenter ad orandum, a somno excitatus, invitaretur. Cibi potusque parcissimus fuit, totam enim hebdomadam, excepto die Dominico, jejunabat.

Nullum umquam in eo contumaciæ vel arrogantiæ vestigium animadverti potuit; quinimmo lenitate ac patientia fuit maxima, & in Deum tanta caritate, ut ejus amore omnia arbitratus sit, ut stercora, ex qua etiam egregia illa in proximos caritas redundabat.

Omnibus demum virtutibus cumulatissimus, devexa jam ætate, in perpetua quadam erat animi vigilia, expectans Dominum, ut ad cœlestes nuptias ab eo vocaretur.

Igitur annos fere centum natus, cupiens dissolvi & esse cum Christo, in lethalem morbum incidit, atque Sacramentis omnibus rite munitus, orantibus ad lectulum fratribus, deficiente sensim omni vitæ sensu, ipso die Epiphaniæ Barcinone obdormivit in Domino, salutis humanæ, anno millesimo ducentesimo septuagesimo quinto.

Vulgata ejus morte, ingens hominum concursus ad monasterium videndi causa repente factus est, ac tanta fuit ejus sanctitatis apud omnes opinio, ut multi Episcopi, complures Prælati, ac nobiles viri, clerus etiam & populus Barcinonensis universus, funus ejus summa doloris significatione sint prosecuti. Communem vero illam ejus sanctitatis famam, auctoritate sua magnopere auxerunt Alphonsus Castellæ & Jacobus Aragoniæ Reges, qui ad ejus exequias sua præsentia cohonestandas, comitantibus filiis, ac domesticis omnibus, summa cum veneratione & fama sanctitatis beati hujus viri convenerunt. Itaque corpus ejus magno totius civitatis luctu ac principum virorum dolore honorifice humatum est, quod paucis annis post in sepulcrum marmoreum translatum fuit.

Barcinonensis populus beato Raymundo vita functo, quasi totius patriæ lumine extincto, mœrore afflictus graviter angebatur, atque ob recentem virtutum ejus, ac beneficiorum memoriam, eo carere omnibus acerbissimum erat; sed pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui secundum multitudinem dolorum consolationibus suis timentium se corda lætificat, beati Raymundi meritis beneficia in omnes conferendo plebem suam mirifice recreavit. Nam fidelissimi hujus servi integritatem & sanctimoniam, multis quidem in vita miraculis claram, pluribus signis post obitum ingenti omnium lætitia comprobavit. Atque ut omnes etiam intelligerent, quam Deo placita esset anima ejus, eo ipso tempore quo ex hac vita migravit ad Dominum, insigni miraculo est declaratum.

Erat in ea civitate Guillelmus de Villaragut, qui inveterata corporis lepra graviter laborabat, neque eum fœditas morbi, dolorisve acerbitas in publicum prodire, solitasque exercitationes & negocia obire patiebatur. Medici adhibitis frustra medicamentis omnibus, deplorata re, animum desponderant; ipse vero, Deo ita disponente, qui Sanctum suum clarificaturus erat, in ædes quasdam monasterio ordini Prædicatorum vicinas, ea ipsa nocte, qua beatus Raymundus excessit e vita, diverterat, ubi cum gravissimo elephantiæ dolore torqueretur,

a pio

CONSTIT. LXXXI. D. A. 1601. a pio quodam viro, Bernardo de Molendis nuncupato, canonico Barcinonensi admonitus est, ut beati Raymundi, qui eo tempore dormierat in Domino, meritis se commendaret: quod ille recuperandæ valetudinis cupidissimus, simul atque diligenter præstitit, confestim omnis lepra ex ejus membris collapsa est, ac sanum corpus reliquit, in cujus rei signum, & accepti beneficii memoriam idem Guillelmus monumento suspenso in templo, rem omnibus testatam esse voluit, & posteritatis memoriæ commendavit.

Illud vero maximum est ejus sanctitatis argumentum, quod mortuos etiam ad vitam revocarit. Nam quædam puella, Margarita nomine, Johannis Physici filia, quatuor aut circiter annos nata, diuturna febri, continuisque alvi fluxionibus exhausta, diem obierat extremum, eamque vere mortuam esse, pallor ipse vultus, contractæ nares, oculi extincti, horridi dentes, ceteraque indicia confirmabant; quin & idem Johannes pater medicæ artis expertissimus, asseruit, omnia mortis, nulla vitæ vestigia in ejus corpore extitisse. Honesta interim mulier Romea ejusdem Margaritæ mater, quæ paulo ante ad beati Raymundi sepulcrum accesserat, & auxilium ab eo, filiæque valetudinem præcabatur, ubi de morte filiæ certior a Johanne ejus marito facta est, ab eodem sæpius domo revocata fuit: quo illa nuncio perculsa tanto filiæ recuperandæ desiderio inflammata est, ut neque inde se abituram, neque domum reversuram affirmaret, nisi beati hujus viri meritis & intercessione, Margarita ejus filia vitæ restitueretur. Itaque lacrymis ac lamentis omnia miscere, & ardentius orationi instare, atque a Deo, per beati viri merita summis precibus flagitare cœpit, ut filiam vitæ, sibique redderet, cujus perseverantem firmissima fide orationem respexit Deus, nec sprevit deprecationes ejus. Nam sub occasum solis Margarita filia, paulo post meridiem defuncta, non modo vitæ, sed etiam integræ valetudini est penitus restituta: quæ postridie in templum pedes adiit ad gratias pro tanto beneficio agendas, & decem & quatuor annos supervixit.

Altera item honestæ conditionis femina, Romea appellata, Michaelis, videlicet de Sala, hominis pii uxor, beati Raymundi opem experta est, nam cum maturo jam fœtu acerbissimis pariendi doloribus premeretur, ac infantis caput enixa, reliquo intus recluso corpore, tribus integris diebus ac noctibus gravissimo cruciatu torqueretur, nihil propius factum est, quam ex hac vita decederet, nam ob lahguentis stomachi fastidium, cibos omnes, haustusque respuebat, atque a sensibus alienata, vocisque usu privata jacebat examinis: quo tam præsente uxoris suæ periculo prædictus Michael vehementer animo consternatus, ad templum illico excurrit, beati Raymundi opem subsidiumque implorans, qui simul ac domum rediit, Romea felicissime partum edidit, atque omni dolore est liberata.

Præterea juvenis quidam continuos viginti dies acutissima febri agitatus, viribusque exhaustus in superiorem ædium partem a suis delatus fuerat, ut aura puriore frueretur, animumque relaxaret, quo ex loco deorsum in lapides & saxa corruens, ita convulsus fractusque membris fuit, ut immotus, humi prostratus ab omnibus mortuus esse putaretur. Eo, ut fit, cum multi videndi & juvandi causa accurrissent, adstantium quidam pulveres ex beati Raymundi sepulcro desumptos, quos religiose ac pie secum gestabat, in jacentis ac muribundi os injecit, colloque appendit, atque æger ille continuo valetudini est integræ resti-

restitutus. Et illa quidem, aliaque quam plurima multo ante tempore contigerunt. Hæc vero recentiora sunt. CONSTIT. LXXXI.

Anno millesimo quingentesimo octogesimo nono, dum pestilentia Barcinone grassaretur, atque ingenti hominum clade invalesceret, quidam probus vir, Michael Amat appellatus, peste mortifera correptus, ac desperata valetudine a medicis destitutus, sacramentorum atque extremæ unctionis susceptione ad mortem se comparabat. Sensim vero per omnia corporis membra serpente morbo, in eas redactus erat angustias, ut perclusis faucibus loqui amplius non posset. Quare intimo cordis & animi affectu beatum Raymundum est deprecatus, ut eam a se infirmitatem depelli precibus suis impetraret: qua in oratione beatum Raymundum sibi videre visus est, atque extensa manu se contigere: quo ex facto ita omni repente morbo levatus est, ut eodem ipso die convaluerit. A. D. 1601.

Hoc aliquanto recentius est. Nam anno millesimo quingentesimo nonagesimo sexto pia quædam mulier, Anna Beneta vocata, Barcinone honestis parentibus orta, ipso Epiphaniæ festo copioso sanguinis profluvio in summum vitæ periculum adducta erat, neque adhibita medicorum remedia sanguinem ullo modo sistere poterant, neque ipsa in proximum diem victura putabatur. Quare eorumdem hortatu cum sanctissimæ Eucharistiæ, atque extremæ unctionis sacramenta pie & devote sumpsisset, mortem expectabat. Interim in beati Raymundi præsidium toto animo confugit, ac pulveres ex ejus sepulcro ad se deferri, atque in cyatho misceri sibi jussit: quibus epotis melius se habere cœpit, & absque ullo prorsus alio pharmaco vitæ discrimen evitavit.

Illud vero perpetui cujusdam miraculi vim obtinet, quod ex primo ejus sepulcro terra quædam tenuis seu pulvis saluberrimus enascitur, qui, licet magna in copia inde exportetur, nunquam tamen deficit, ac multæ magnæque corporis infirmitates eo curantur.

Anno itidem millesimo quingentesimo nonagesimo sexto, cum Judices constituti ad explorandas beati hujus viri reliquias, arcam ubi erant reconditæ, aperuissent, tantus illico odor ex ejus corpore; qui vivens in odorem suavitatis Deo se consecrarat, exhalavit, ut multi qui eo confluxerant, nihil eo percipi posse jucundius affirmarent, quinimmo egregius vir Ludovicus de Claramunt ex gravi morbo sensu odoratus a sexdecim annis orbatus, cum in ea hominum multitudine videndi desiderio incitatus, propius accessisset, eum etiam odorem suavissimum sensit: quo repente ita recreatus est, ut lacrymas præ gaudio continere, nec ullam vocem emittere ullo modo posset; verum tacitus apud se cogitans dubitabat, cum istius solummodo odoris olfactum recuperasset, an etiam rerum aliarum. Sed domum reversus ubi se varios odores percipere animadvertit, miraculum subito evulgavit.

Neque vero hæc odoris fragrantia eo solum tempore ex ejus corpore emanavit; sed ex aperto quodam ejus sepulcri meatu idem suavis odor quandoque afflatur, qui ab iis sentitur, quos divina bonitas eo munere dignatur.

His, pluribusque aliis miraculis, quæ referre longum esset, corda regum inclinata, plurimique Ecclesiarum Antistites & Prælati populique integri Regni Aragoniæ divinitus excitati, una voce & consensu a multis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris frequenter petierunt, ut beatus Raymundus in Sanctorum numerum referretur.

Et

CONSTIT. LXXXI.
A. D. 1601.

Et quidem quarto ab ejus obitu anno, salutis videlicet humanæ, millesimo ducentesimo septuagesimo nono, Archiepiscopus Tarraconensis, ac decem Episcopi Regni Aragoniæ, multique Abbates in Concilio provinciali Tarracone congregati, literas ad felicis recordationis Nicolaum Papam III. prædecessorem nostrum dederunt, quibus singularem ejus in Deum caritatem, vitæque innocentiam coram Deo & hominibus testificati, ut eum, prævia virtutum ac miraculorum ejus inspectione, Sanctorum numero adscribere vellet, humiliter supplicarunt.

Cum autem ipse Nicolaus III. prædecessor e vita migrasset, præfecti civitatum Regni Aragoniæ, & Principatus Cataloniæ, totaque civitas Barcinonensis, quin & Priores, ceterique Fratres ordinis Prædicatorum, qui eas provincias incolebant, idem a felicis recordationis Bonifacio VIII. etiam prædecessore nostro enixe flagitarunt.

Verum ipso Bonifacio prædecessore ab humanis etiam erepto, Concilium provinciale, Tarracone denuo convocatum, apud sanctæ memoriæ Johannem XXII. prædecessorem etiam nostrum, primam petitionem renovavit: quo tempore Frater Arnaldus Burguetus ordinis Prædicatorum, Inquisitor ac Procurator a Capitulo generali ad hanc causam prosequendam institutus, multos testes super miraculis, quæ de hoc Beato viro vulgabantur, examinari curavit. Sed cum per dicti Johannis prædecessoris obitum res transigi non potuisset, claræ memoriæ Petrus Aragoniæ Rex, datis ad felicis recordationis Clementem VI. similiter prædecessorem nostrum literis vehementer institit, ut beatus hic vir humanis laudibus extolleretur in terris, quem divinæ providentiæ sublimitas, quemadmodum in eis literis habebatur, honorare voluerat in excelsis.

Cum vero hujus rei tanta sit gravitas & magnitudo, ut exiguo tempore perfici non potuerit, omnis hujus causæ tractatio usque ad tempora sanctæ memoriæ Pauli III. similiter prædecessoris nostri, fuit intermissa, qui tandem precibus bonæ memoriæ Fratris Johannis a Toleto Tituli sancti Xysti, Cardinalis Burgensis nuncupati inclinatus, concessit, ut in omnibus monasteriis & Ecclesiis ordinis Prædicatorum in Regno Aragoniæ existentibus solemne officium de beato Raymundo celebrari posset.

Interjecto autem diuturni temporis intervallo, cum Deus, qui est gloria virtutis Sanctorum, beati Raymundi meritis, & intercessione plurima in dies beneficia toti Hispaniæ largiretur, claræ etiam memoriæ Philippus II. Hispaniarum Rex Catholicus, per literas & per dilectum filium nobilem virum Antonium de Corduba & Cardona, Svessæ Ducem suum, apud nos & Sedem Apostolicam oratorem, supplicavit, ut hic causæ sub tot Romanis Pontificibus inchoatæ, ipsi vellemus finem imponere: quo sane pio Regis studio vehementer sumus recreati.

Nam cum ab ipso pontificatus nostri principio nihil magis, quam Dei gloriam & Catholicæ religionis exaltationem spectaverimus, gaudebamus in Domino, cum utramque hisce Regis supplicationibus promoveri cerneremus. Itaque ut religioso ejus desiderio satisfaceremus, venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Congregationis sacrorum Rituum injunximus, ut acta omnia, quæ prius hac in re confecta erant, diligenter inspicerent & examinarent. Hi autem fuere ex triplici ordine assumpti, venerabiles fratres Episcopi

Alphon-

Alphonsus Ostiensis Gesualdus, Innicus Avalos Portuensis de Aragonia, Gabriel Sabinensis Paleottus, & dilecti filii nostri Alexander sanctæ Mariæ Transtiberim Medices, Franciscus sancti Petri ad Vincula de Giojosa, Augustinus sancti Marci Veronensis, Dominicus sancti Chrysogoni Pinellus, Franciscus Maria sanctæ Mariæ in Aracœli de Monte, Ascanius sanctæ Pudentianæ, Titulorum Presbyteri, Columna, Odoardus sancti Eustachii Farnesius, Antonius sanctorum Quatuor Coronatorum Facchenettus, Diaconi nuncupati, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales.

Coram quibus rite congregatis, cum dilectus filius Michael Llot, sacræ Theologiæ doctor, Frater ejusdem ordinis Prædicatorum professus, ac procurator, legitime hac in causa constitutus, pro suo munere, in quod per sex annos continuos diligenter incubuit, quasdam scripturas ad hanc ipsam causam spectantes protulisset; quia tamen multæ probationes addi poterant, literæ ad Archiepiscopum Tarraconensem, atque ad Barcinonensem & Vicensem Episcopos, cum opportuna facultate missæ sunt, ut alias omnes scripturas & probationes annis superioribus hoc in negocio factas Barcinone extraherent, & ea denique agerent: quæ ad causam requiri videbantur, omniaque ad nos transmitterent, quæ cum essent omni jure confecta summaque auctoritate firmata, & debita cum diligentia, & fide transmissa;

Nos tribus viris, doctrina & integritate præstantibus, ac usu peritissimis, Seraphino videlicet Olivario Razzalio, decano, Petro Francisco Gyptio,& Francisco Peniæ causarum palatii nostri Auditoribus commisimus, ut ea summo studio, quantaque possent diligentia legerent, expenderent, ac totius causæ merita exactissime ponderarent. Quo in munere cum sedulo & accurate versarentur, Philippus II. Hispaniarum Rex Catholicus, cujus memoria in benedictione sit, magno in primis nostro, & totius orbis Christiani dolore ac detrimento, viam universæ terræ ingressus est.

Quare carissimus in Christo filius noster Philippus III. Hispaniarum, item Rex Catholicus ejus filius, non modo regnorum, verumetiam paternarum virtutum heres, statim a primo regni sui exordio, ut se, suaque omnia in beati Raymundi præsidium ac patrocinium conferret, literis, & per eumdem Antonium Suessæ Ducem, oratorem item suum nobis supplicavit, ut in hac causa progredi vellemus. Idcirco vehementer lætabamur, & benedicebamus Domino, qui pios Reges perpetuo suscitat, ad Sanctos suis honoribus prosequendos: quos elegit in ædificationem corporis Christi, quod est Ecclesia.

Cum igitur prædicti Auditores in discutiendis actis, in universo processu diuturnam & assiduam navassent operam, nihilque eorum, quæ ad hanc rem peragendum pertinent, prætermisissent, omnem rei gestæ seriem, suumque judicium scripto nobis tradiderunt, quorum integram relationem nos eisdem Cardinalibus Congregationis sacrorum Rituum per eosdem Auditores tradi jussimus, atque; ut plurium judicio tota hæc causa examinaretur, alios etiam Cardinales prioribus adjunximus, nimirum dilectos filios nostros Fridericum sanctæ Mariæ Angelorum in Thermis Borromæum, Antonium Mariam sanctæ Agnetis in Agone, Gallum, Cæsarem sanctorum Nerei & Achillei Baronium, Sylvium sancti Salvatoris in Lauro, Titulorum Presbyteros Antonianum, atque Andream sancti Angeli in foro Piscium, Perettum Diaconum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales; quos omnes monuimus, ut

acta omnia de beati Raymundi puritate fidei, morum integritate, ac miraculorum evidentia tanto studio perpenderet, quantum & rei gravitas requirebat, & nos merito expectabamus: qui cum privatim, multisque Congregationibus inter se habitis, dilecto filio Pompeo Molella, Fisci nostri procuratore, semper citato, & partes suas diligenter præstante, singula rerum capita, & acta omnia sedulo examinassent, ac processum, testes, instrumenta & hujus causæ monumenta cum Auditorum sententiis diligenter contulissent, eoque adducta essent omnia, ut ad nos referri oporteret;

Nos consistorium secretum pro more convocari jussimus, in quo præfatus Alphonsus Cardinalis Gesualdus, suo & totius Congregationis nomine primum retulit, scripturas, processum omniaque hujus causæ acta legitime confecta esse, ac maximæ auctoritatis, probatæque veritatis vim obtinere. Deinde tota beati Raymundi vita, multisque miraculis enarratis, se & ceteros dictæ Congregationis Cardinales una voce, unaque mente in eam sententiam venisse dixit, beatum Raymundum (si ita nobis videtur) posse catalogo Sanctorum aggregari: in quorum sententiam cum reliqui Cardinales suo quisque suffragio ex ordine ivissent, magnam animi voluptatem capiebamus, quod beati hujus viri sanctitatem in dies magis elucere videremus. Atque ut in hoc gravissimo negocio nihil de pristina nostra consuetudine ac debita diligentia remitteremus, nos ipsi facta studiose & accurate perlegimus, atque eorumdem Rotæ Auditorum; & venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium relationem, verissimam esse comperimus.

Quare lapsis paucis post diebus, ex Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum instituto, consistorium publicum indiximus, in quo præter Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Prælati, nostrique familiares nobis adfuerunt; ac in eo dilectus filius Bernardinus Scottus consistorialis aulæ nostræ advocatus, eximia beati Raymundi caritate, vitæ innocentia & miraculis, copiosa oratione explicatis, carissimi in Christo filii nostri Rodulphi Romanorum Regis illustris in Imperatorem electi, & ejusdem Philippi III. Regis Hispaniarum Catholici, & Principatus Cataloniæ, totiusque ordinis Prædicatorum nomine, ut beatum Raymundum Sanctis adjungere vellemus, a nobis suppliciter flagitavit.

Quæ cum audiremus, benedicebamus Domino & gratias Deo agentes lætabamur, Philippum III. Regem Catholicum in ipso regnandi principio hunc sibi ad felicem regnorum suorum administrationem patronum tanto ardore postulare. Itaque respondimus, sanctam ejus petitionem nobis esse gratissimam, & eam ad Dei gloriam in primis, & communem totius Christianæ Reipublicæ utilitatem pertinere, quod nimirum Deus, qui splendor & gloria Sanctorum est, in Sanctis suis magis laudatur, & Christifideles eo facilius divinæ gratiæ munera, auctis intercessoribus obtinent, quo major cultus & honor Sanctis adhibetur. Propterea singularem Regis pietatem commendantes, optare nos pio ejus desiderio satisfacere diximus; hujus tamen rei tantam esse gravitatem, ut maturius adhuc cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & ceteris Episcopis deliberandum esse censeremus. Itaque omnes eos in Domino hortati sumus, ut omnia, quæ ad beati Raymundi vitam & miracula spectarent, omni studio & diligentia examinarent. Deinde orantes in spiritu, & in ipso vigilantes, quod nos

facturi

facturi eramus, Deum precarentur, ut daret nobis spiritum sapientiæ & revelationis, quo hæc arcana cœlestia, quæ ratione humana comprehendi non possunt, cognosceremus, & illuminaret oculos cordis nostri, ut quid in hac gravissima causa statuendum esset, deliberare possemus. CONSTIT. LXXXI. A. D. 1601.

His peractis, secretum aliud consistorium indiximus, cui etiam Patriarchas, Archiepiscopos & Episcopos, qui tunc erant in Urbe, ac nostros & Sedis Apostolicæ notarios, necnon palatii nostri auditores & secretarios voluimus interesse: in quo nos ex gratiæ cœlestis abundantia, qua nostra tenuitas in hac suprema pastorali vigilantia, domus Dei, quæ est Ecclesiæ Dei vivi columna & firmamentum veritatis, constituta est, ea diximus, quæ ad hanc causam spectare nobis visa sunt. Deinde ab iisdem fratribus nostris petivimus, ut consideratis atque examinatis omnibus actis, id præcise dicerent, quod Spiritus sanctus eis daret eloqui, & an beatus Raymundus Sanctis adscribendus esse videretur. Itaque primum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, deinde Patriarchæ, tum Archiepiscopi & Episcopi ibidem præsentes, suo quisque loco dictis sententiis, omnes communi consensu ex iis, quæ in universo processu explorata erant, merito a nobis beatum Raymundum inter Sanctos referendum esse censuerunt. Gratias igitur Deo agebamus, qui Fratres nostros omnes in virtute spiritus idem sentire facit, tribuens omnibus cor unum & animam unam, eosque monuimus, ut interim precibus, jejuniis & eleemosynis Dei gratiam & auxilium nobiscum invocarent. Cumque omnia jam ad præscriptum, & normam sacrorum Canonum confecta essent, quod supererat acturi, post aliquot menses diem canonizationis indiximus tertium Kalendas Maji, Dominicam videlicet in Albis, qua paschalis solemnitas terminatur, neophytorum habitus candore animi permanentes communicatur, & Evangelium in Ecclesia legitur, quo Christus Dominus post Resurrectionem ad discipulos januis clausis ingressus, insufflato eis Spiritu sancto, potestatem remittendi & retinendi peccata est elargitus: in quo magna nobis lætitiæ materia oblata est, quia videlicet memineramus, beatum Raymundum & sacramenti pœnitentiæ ministrum extitisse, & post trajectionis miraculum januis clausis monasterium sui ordinis Barcinone ingressum esse. Deinde etiam, quod eodem solemnitatis & lætitiæ die nos ab hinc septem annis sanctum Hiacynthum Polonum ejusdem ordinis Fratrum Prædicatorum, beati Raymundi coætaneum in Sanctos retulimus: ad quam quidem animi nostri voluptatem non mediocris accessio facta est, quod hoc ipso die sanctæ Catharinæ Senensis, ac sancti Petri Martyris festum in Ecclesia solemniter celebretur, qui sub eadem sancti Dominici disciplina vitam sanctissime traduxerunt. Quamobrem in tam accommodata totius Ecclesiæ ac Sanctorum ejusdem ordinis ad hanc celeberrimam actionem festivitate, nos beato Raymundo eorum honorem decernere statuimus, qui sanctis Confessoribus adhibetur.

Cum igitur præscripta Dominica in Albis, hodierna scilicet dies advenisset, nos cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, qui in cappella nostra pontificia hanc ob causam convenerant, vestibus sacris induti, hymnum, *Ave maris stella*, inchoavimus, reliquum cappellæ nostræ choro prosequente, ad beatæ Mariæ Virginis opem implorandam, atque ita cantantes in viis Domini, Romanæ curiæ prælatis, officialibus

CONSTIT. LXXXI. D. an. 1601. & familiaribus nostris, & sæculari ac religioso clero longo ordine præcedentibus, singulis cereos accensos gestantibus, ex nostro palatio Apostolico ad augustissimam principis Apostolorum basilicam processimus, vario ornamentorum genere instructam, eamque ingressi ad sanctissimum Eucharistiæ sacramentum genuflexi procubuimus, orantes, ut Deus hanc celeberrimam actionem, ad laudem & gloriam nominis sui dirigeret. Inde ad supremam Ecclesiæ partem ascendimus, alto & sublimi fornice admirandam, ubi amplum regioque sumptu suggestum erectum erat coram altari sancti Petri principis Apostolorum, in quo sacram pontificalem missam celebraturi eramus, omniaque facibus, cereisque ardentibus collucebant; ac plurimæ circum imagines beatum Raymundum erecto corpore egregie pictum referebant, dextera manu clavem, in potestatis atque officii Pœnitentiarii memoriam, sinistra librum doctrinæ, ac decretalium monumentum gerentem, ubi statim nobis in mentem venit, nos iisdem, quibus beatus Raymundus, cappellani videlicet, seu causarum palatii Apostolici Auditoris munere, antequam in numerum Cardinalium assumeremur, & in ipsa Cardinalis dignitate, summi Pœnitentiarii officio, quamquam non exacte, ac perfecte, functos fuisse, ac propterea Deum in spiritu humilitatis non sine lacrymis precabamur, ut si quid istis in muneribus ex nostra imbecillitate a nobis omissum vel commissum fuisset, id ejus bonitas atque clementia, beati Raymundi meritis atque intercessione, nobis condonaret. Deinde in seggestum delati ante idem altare principis Apostolorum oravimus, ut suo nobis auxilio præsidioque adesset, mox in excelso e regione altaris throno considentes, eosdem Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos & Episcopos sacris indutos vestibus obedientiam nobis de more præstantes excepimus; tum dilectus filius noster Odoardus sancti Eustachii Cardinalis Farnesius nuncupatus, Regni Aragoniæ Protector, Catholici Regis nomine, semel, iterum ac tertio suppliciter a nobis flagitavit, ut beatum Raymundum in Sanctos referremus · cujus singulis petitionibus opportune respondimus, ac per interjecta totidem intervalla litanias, hymnos, precesque adjunximus.

Denique absolutis perfectisque omnibus iis, quæ a Romanis Pontificibus hoc in genere instituta sunt, & communibus precibus implorata Spiritus sancti ope, ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicæ & religionis Christianæ augmentum, auctoritate ejusdem sanctæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti, beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra, de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, omniumque Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum, in Romana curia existentium, consilio, communique consensu, beatum Raymundum a Pennafort ordinis Fratrum Prædicatorum expresse professum, ac in Ecclesia sanctæ Catharinæ ejusdem ordinis Barcinone sepultum, de cujus innocentia vitæ & miraculis nobis plane constat, Sanctum esse definivimus, ac Sanctorum Confessorum numero & catalogo adscribendum esse decrevimus, prout per præsentes definimus, decernimus & adscribimus, statuentes, ut ab universa Ecclesia quolibet anno die septima Januarii festum ejus, & officium, sicut pro uno Confessore non Pontifice ad normam in rubricis breviarii Romani præscriptam devote celebretur. Insuper omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui singulis annis eodem die prædictam Ecclesiam sanctæ Catharinæ Barcinonensis,

in qua

in qua corpus ejus conditum eſt, pie & devote viſitaverint, eaſdem indulgentias & peccatorum remiſſiones conceſſimus & elargiti ſumus, quemadmodum concedimus & elargimur, quæ ceteris dicti ordinis monaſteriis & Eccleſiis diebus feſtis Sanctorum ejuſdem ordinis conceſſæ ſunt.

Itaque omnibus, quæ ad beati Raymundi canonizationem ſpectabant, rite peractis, atque hymno ad Dei laudem & gratiarum actionem decantato, divinaque ope ſancti Raymundi meritis, peculiari in ejus honorem oratione, quam nos ipſi fecimus, & clara voce recitavimus, invocata, nos in eodem loco & altari principis Apoſtolorum miſſam ſolemnem de octava Dominicæ Reſurrectionis cum ejuſdem beati Raymundi commemoratione celebravimus, omnibuſque Chriſtifidelibus, qui & canonizationi & miſſæ interfuerunt, ad Dei laudem & Sancti ſui gloriam, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam conceſſimus. Quare Deum mirabilem in Sanctis ſuis benedicamus, & gratias immortales ei agamus, quia ſuſcepimus miſericordiam in medio templi ejus, novum videlicet in Eccleſia interceſſorem, cujus meritis ac ſuffragiis in omnibus animæ corporiſque periculis adjuvemur. Ac ſingulari plane divinæ providentiæ munere factum eſt, ut hiſce difficillimis temporibus, quibus religio Catholica inimicorum telis aſſidue impugnatur, hunc patronum & advocatum univerſi Chriſtifideles conſecuti ſint, ad Eccleſiæ pacem in primis & tranquillitatem, ad optatam Principibus Chriſtianis concordiam, ac hæreticis in errorum tenebris a via ſalutis errantibus, lucem veritatis impetrandam.

Ceterum, quia nimis difficile foret, præſentes noſtras literas ad ſingula quæque loca deferri, volumus, ut earum tranſumptis, etiam impreſſis, manu publici notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem fides ubique habeatur, quæ hisce præſentibus haberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum definitionis, decreti, adſcriptionis, ſtatuti, conceſſionis, elargitionis & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo primo, tertio Kalendas Maji, pontificatus noſtri anno decimo.

✠ Ego Clemens Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Protector noſter aſpice Deus.

✠
✠ *Ego Ptolemæus Epiſcopus Portuenſis Cardinalis Comenſis.*
✠ *Julius Antonius Epiſcopus Prœneſtinus Cardinalis ſanctæ Severinæ.*
✠
✠ *Hieronymus Epiſcopus Sabinenſis Cardinalis Ruſticuccius.*
✠ *Alexander Epiſcopus Albanenſis Cardinalis de Florentia.*
✠
✠ *Ego Antonius Maria Tituli ſanctæ Mariæ Tranſtiberim Presbyter Cardinalis Salviatus.*

✠ *Ego*

æternam custodiret eam, & per altissimam humilitatem elegit abjecta esse in domo Domini, ac propter verba labiorum ejus custodire vias duras, currens per arduas Christianæ perfectionis semitas in odorem unguentorum sponsi. Quamobrem introduxit illam Rex in cellaria sua, ubi exultat, & lætatur in eo, ubi non occidet ultra sol ejus & luna ejus non minuetur. Hujus virtutes, fidei puritas, vitæ morumque sanctitas aliaque hujusmodi cœlestia dona, miraculorum insignibus comprobata testimoniis, adeo excellentia fuerunt, ut Ecclesiæ catholicæ auctoritate illustratione diutius destitui plane non deberent, sed proponenda aliquando essent imitanda fidelibus, ut glorificaretur per illam Dominus Pater misericordiarum.

Quam etiam ob rem nonnulla de ejusdem virtutibus & miraculis hic duximus ex legitimis actis referenda. Dilecta Dei filia Francisca ex Paulo Buxio & Jacobella de Broffedeschis Romanis, nobilibus, genere, sed longe nobilioribus prole conjugibus nata, & e Laurentii mariti familia, de Pontianis vocata, data est Ecclesiæ suæ a Domino circa annum millesimum tringentesimum octogesimum quartum. Quæ, ut erat sorte gratiæ Spiritus sancti, sortita animam bonam, vel in infantia sua signa futuræ sanctitatis dabat. Aversabatur gaudia hujus sæculi, ejusque ætatis ludos & illecebras abhorrens, solitudine magnopere capiebatur. Crescens consortabatur spiritu, & quam amabat, solitudine fruebatur, in dies magis orationi vacando.

Undecimum annum nata, ut jugum Domini cito portare inciperet, Christo virginitatem consecrare & monasterium ingredi proposuit, sanctoque proposito hujusmodi convenienter vivendo, quasi solitariam vitam agebat & jam in cœlis conversari incipiebat. Verum quia voluntas Dei erat, ut conjugalis status perfectionis grande documentum daret, parentes, quibus subdita erat, nubere viro diviti & nobili eam voluerunt, illa vero haud desiit nupta cogitare quæ Dei sunt, sed in sancto & immaculato conjugio virum habuit, tamquam non haberet & quemadmodum Sara obediebat Abrahæ, sic illa viro semper obediens fuit.

Curis familiaribus a spiritualibus minime distrahebatur, sed rebus domesticis dispositis, non egrediebatur foras cum Dina, ut videret filias alienigenas, sed ipsas horas in secreto cubiculi sui devote orando & meditando quotidie transigebat. Abstinebat spectaculis, nuptiarum celebritatibus, non ingrediebatur domum convivii, neque etiam cognatorum, ejusque oblectamenta & deliciæ erant Ecclesias & hospitalia frequentare, verbi Dei prædicationibus & divinis officiis cum devotione intendere.

At qua ratione in dies magis Christo placeret, indagans, quod sibi viro alligatæ, non licebat, id, ut sorores suæ in Christo Romanæ mulieres præstarent, curávit. Itaque complures a sæculari ad arctioris vitæ institutum revocans, domum religiosam oblatarum in regula beati Benedicti Congregationis montis Oliveti in Urbe instituit. Et cum dedisset Domino innupta, dedisset nupta fructus suos, multiplicans Deus cum illa misericordiam suam, fructificare etiam eam voluit in sancta viduitate.

Itaque defuncto marito paucis annis ante suam dormitionem, variis servitutis obsequiis non destitit Christo famulari. Proinde sanctum claustralis vitæ propositum sollicite adimplere volens, absque mora oblatas, quas ipsa Christo pepererat, nudis pedibus adit, ac vinculo

CONSTIT. LXXIII. A. D. 1608.

de collo pendente, prona in terram, multisque cum lacrymis, quasi peccatrix indigna, non tamquam earum parens, suppliciter illas orat, ut se ipsarum nomero adscribant. Adscripta, verbo & exemplo magnopere, ut par erat, in sororibus profecit, donec consummato curriculo, ad coronam justitiæ accipiendam de manu Dei, ætatis suæ anno LVI. virtutum donis onusta, & signis ac prodigiis clara, a Domino evocata est.

Cujus ex multis, ac præclaris virtutibus humilitas in primis, per quam ad solidam, veramque celsitudinem pervenitur, maxime enituit. Non illi, etiam dum in conjugio vixit, quanquam nobili & opulento viro collocatæ, serica, non auro contexta, sed vilis & lanea vestis. In claustrali vita esset licet omnium oblatarum mater, item domi, quasi domina, ministrari numquam, sed memor Domini verbi ministrare omnibus amabat, ac tamquam ancilla tractari, & ancilla videri delectabatur, alioque honoris titulo, quam peccatricis, immunditiæ vasculi, feminæque vilissimæ & abjectæ, se minime insignivit. Nec verbis tantum, sed re etiam propter Christum, ut abjecta esset, sedulo curabat ita, ut sæpe e suburbana vinea sua revertens, lignorum fasces in capite, pauperibus portaret, interdum asellum, lignis & sarmentis, in usum similiter pauperum onustum, per Urbem ageret, ostendens videlicet omnia esse facilia caritati: qua etiam beatam mulierem abunde fuisse a Spiritu sancto donatam, præter hujusmodi perfectionis opera, cujus est vinculum caritas, illa præterea declararant. Super egenos & pauperes benigne & multifariam respiciebat, largas eleemosynas, hospitalium præsertim infirmis erogabat. Visitabat eos frequenter, neque solum afferebat corporis cibaria, sed monita etiam salutis, & ad Ecclesiæ sacramenta suscipienda illos inducebat. Pium afflictos consolandi officium, ad amorem Dei, & mundi contemptum cohortando, assidue præstitit. Orabat frequenter pro peccatoribus ferventi spiritu, maximeque in id incumbebat ejus sollicitudo, ut Romanas matronas a pompis sæculi & ornatus vanitate abduceret.

Et quoniam, ut beatus inquit Gregorius, pœna interrogat, si quietus veraciter amat, sicut non extollebatur prosperis, sic tribulationibus agitata, non solum æquo animo patienterque ferebat, sed novit etiam, Sanctorum æmulando virtutem, Domino gratias agere. Nam exilio mariti, bonorumque magna jactura, & domus universæ mœrore aliquando graviter tentata, ejus querelæ benedictiones illæ frequentes fuere, *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum*. Potuit similiter in eo, qui illam confortabat, non solum adversa mundi hujus, sed Principis quoque tenebrarum visibilibus insultibus fortiter resistere. Sæpe enim inter orandum a diabolo verberibus affecta, ad terram allisa, cæsaque in facie, induta loricam justitiæ, & sumpto scuto fidei, tentatorem sic imperterrita elusit, ut illi formidabilis evaderet; sed & Angeli præsidio quem familiarem, protectorem & comitem singulari Dei beneficio habebat, ab hujusmodi inimici tentationibus defensam, in actis consignatum apparet. Vnde factum putatur, ut post beatæ Franciscæ dormitionem, statim ejusdem imagines cum Angelo pingerentur, & usu retentum fuerit.

Nec minori virtute in Christo Jesu cum hoste domestico pugnavit. Sed exemplo electorum Dei, admirabilem in modum castigavit corpus suum, & in servitutem redegit. Cibum illi semel in die herbæ & le-

& legumina, aqua potum præbuerunt. Sive vigilaret, sive dormiret, asperum laneum indusium non exuebat, duroque cilicio, ac ferreo cingulo super nuda membra mortificabat. Accedebant flagella ferreis aculeis aspera, quibus corpusculum, quamquam aliunde attritum, severissime atterebat. Sed quoniam tanti illi erat obedientia, ut jussa ageret etiam quod nolebat, confessarii mandato ab hujusmodi corporis cruciatibus modice temperavit. His autem modis, eum, qui foris est, hominem affligens, ex quo ille, qui intus est, firmior redditur, magno mentis ardore, divina omnia, præsertim Domini passionem, contemplabatur, tantumque lacrymarum profundebat, ut doloris sensu acerbissimo confici putaretur. Sæpe cum oraret, maxime sumpto sanctissimo Eucharistiæ sacramento, spiritu in Deo elevata, ac cœlestium contemplatione rapta immobilis persistebat.

CONSTIT. LXXXII.
A. D. 1608.

Hujusmodi virtutes, ardentis fidei munere stabilitas, miraculorum clarissimis numinibus manifestare volens mirabilis Dominus, multa grandia signa, multaque mirabilia operari per Sanctam suam & viventem & dormientem dignatus est.

Nam ut ex multis pauca referantur, primum super ægros manus imposuit, & bene habuerunt. Siquidem comitiali morbo gravissimo quinque annorum ægrotus adolescens, Menicus nomine, Tartagliæ cujusdam filius, cum illum ad sanctam mulierem Rentius avunculus duxisset, ut orationibus ejus juvaretur, & illa manu super ægroti caput imposita, bene sperare jussisset, quando divina bonitate consideret, amplius morbum non passurum, confestim sanatus est.

Ejusdem manus contactu, puerum, Lælii de Cinque, Romani, filium, hernia cum ruptura laborantem & mox chirurgo tradendum, extrema remedia adhibituro, statim similiter ancilla Christi sanavit.

Ac Sanctæ auxilium implorando obviam illi facta femina quædam, Angelella nomine, quæ ex articulari morbo, brachii usum absque spe sanitatis, perdiderat, illico convaluit.

Dedit quoque admirabiliter per illam Dominus escam esurientibus & opera, quæ ipse fecit, innovavit. Cum in monasterio ageret jam oblata, contigit aliquando, ut sororibus, tunc numero quindecim, sub refectionis horam, panis paucula solum fragmenta, quæ vix tribus reficiendis sufficiebant, esse cognosceret; quamobrem, ceteris valde sollicitis, sola ipsa immota, Dominum provisurum inquit, positisque fragmentis super mensam benedixit & comederunt omnes agentes gratias Deo, ac saturatæ sunt, tantumque panis superfuit ut canistrum impleretur.

Ad hæc, cum ex iisdem sororibus complures extra Urbem ligna parandi causa mense Januario essent, ac præ labore sitirent, & ad aquam hauriendam ullam ex iis procul ire, Francisca honestum non duceret, in Domino sperare illas jubet, Dominumque provisurum pariter affirmat; tum vero statim ad vicinam arborem conversæ, vitem, & in ea tantum uvæ adspiciunt, ut suum unaquæque botrum jussu Franciscæ, gratias Deo agentis, decerpere, ac sitim extinguere potuerit.

Elementa quoque non semel beatæ Franciscæ sanctitatis testimonium dederunt. Primum enim, cum in vigilia sanctorum Apostolorum Petri & Pauli a visitanda Apostoli Pauli basilica, nonnullis ex sororibus comitata reverteretur, in proximam vineam suam cum flexisset, ibique ad aquæ rivum sedisset, mentemque levasset ad Deum, in ecta-

CONSTIT. LXXXII. A. D. 1608.

fim rapta, fuper labentem aquam, minime advertens, genua flexit, nec modico tempore, aqua circumfepta perftitit. Poftquam vero ad fe rediit, ficcis veftibus ex aqua egreffa eft, non fecus ac fi illam non attigiffet. Simili deinde miraculo eodem anno & loco, beatæ Virginis Mariæ horas recitans, ancilla Dei honorificata eft. Maximo enim imbre in aperto oppreffa, orare nihilominus perfeveravit, & comitibus omnibus madidis, fola madefacta non eft.

Potens etiam fuit cœleftis gratiæ dono fecreta cordium cognofcere. Etenim Laurentium Tuccii filium adolefcentem, a propofito occidendi gladio linguæ Francifcum Sclavium educatorem fuum revocavit, Chriftiana caritate illum corripiendo, & a concepto peccato dehortando, quod nulli revelaverat.

Simili fpiritu mortem inopinatam incolumnis infantis, quafi prævidens, vitam illi æternam procuravit. Nam hora fecunda noctis, quæ diem natalem ejufdem infantis fequuta eft, domo præter morem egreffa, ftimulo caritatis & gratia Spiritus fancti, quæ tarda nefcit molimina, impellentibus, intempeftiva follicitudine, ut ceteris videbatur, cum nulla accelerandi baptifmi appareret caufa, ut ftatim baptizaretur curavit, poft baptifma vero fubitus infantem morbus, quem mors confequuta eft, occulto Dei judicio invâfit. Et his quidem fignis, inter cetera clarificavit Dominus famulam fuam, in fervitute corruptionis vitæ hujus degentem.

Poftquam vero ab hac fervitute in libertatem gloriæ liberata eft, ipfo die dormitionis ejus, quæ Urbem univerfam commovit, & duobus fequentibus, quibus diebus ejus corpus inhumatum fuit in Ecclefia, fanctæ Mariæ Novæ nuncupatæ, fimili miraculo, quo Sanctorum fuorum corpora non femel honoravit, Francifcæ etiam corpus honorare dignatus eft Dominus. Tantis enim odoribus fragavit, ut omnia odoratis floribus referta vifa fuiffe acta teftentur.

Multa exinde ancillæ Dei fanctimoniæ præclara miracula fidem fecerunt. Complures enim graviffimis & extremis morbis, opem, quam in medicinæ auxiliis invenire non potuerunt, in ejus vel libri horarum beatæ Mariæ Virginis, vel veftium contactu, per ejus merita & interceffiones, præfentaneam invenerunt.

Conftat enim inter cetera Viterbienfem feminam Auguftinam Angeli lippitudine; quæ vifum illi ademerat, panno oculis admoto, quo facrum Francifcæ corpus contectum fuerat, fubito fanatam.

Et Hieronymum quendam Aromatarium, qui pefte laborabat in articulo mortis, ejufdem fanctæ vefte fuperinjecta, ac voto ejufdem facto, fubito fimiliter convaluiffe.

Aliam vero feminam febri cum pleuritide, ad perniciem procedente affectam, cui medicus neque ad fequentem diem vitam promittebat, Francifcæ velo lateri impofito, dolore ftatim liberatam, & poftridie e lecto fanam confurrexiffe.

Multi etiam fanctæ mulieris auxilio & interceffione devote folum invocatis, e morbis fimiliter variis & gravibus divina gratia evaferunt. In his mulier quædam nomine Magdalena de Clarellis, pefte, & ipfa laborans, quæ quamquam chirurgi fcalpello læfa brachii dolore ita cruciaretur, ut non putaretur a morte procul abeffe, eadem hora convaluit, qua mater ad Francifcæ fepulcrum, pro filiæ fanitate oravit.

Infigni

Insigni quoque miraculo crurum sanitate, beatæ Franciscæ intercessione, a Domino donatus fuit puer annorum quatuor, Pauli Totti filius, qui eum gravibus ulceribus incessu prohiberetur mater, quod puerum minime sanescere medicinæ remediis cerneret, illo in ulnis suscepto, cum ad sanctæ imaginem in Ecclesiam beatæ Mariæ Transtiberim pro ejus sanitate devote oratum venisset, nondum finita oratione, ecce ex ulnis deponi puer rogat, depositus, ambulare incipit, ac domum pedibus redit, solidisque ligaminibus, & motis emplastris, non solum sanis cruribus, sed etiam, ut divina magis per Sanctæ suæ merita eluceret potentia, sine cicatricibus invenitur. CONSTIT. LXXXII. A. D. 1608.

Hujus itaque tam excellentis sanctitatis lucernam, quoniam sub modio esse nolebat Dominus, sed aliquando super candelabrum, Apostolicæ auctoritatis decreto constituendam præordinaverat, factum est vel paucis mensibus post felicem Sanctæ obitum, ut bonæ memoriæ Andreas Episcopus Auximanus felicis recordationis Eugenii Papæ IV. prædecessoris nostri, tunc in Urbe in spiritualibus Vicarius, examen testium super ejus vita & miraculis committeret Episcopo Bovensi, ac Priori monasterii sanctæ Crucis in Hierusalem ordinis Cartusiensis, qui multorum testimoniis susceptis, summariam inquisitionem egerunt.

Deinde vero biennio ac nonnullis mensibus elapsis, & causa bonæ memoriæ Cardinali de Albertis delegata, instantibus Procuratore & Syndico monasterii sanctæ Mariæ Novæ, anno millesimo quadringentesimo quadragesimo tertio processu causæ hujusmodi coram bonæ memoriæ Dominico Cardinale Firmano nuncupato, subdelegato Cardinalis de Albertis, rite instituto, triginta & octo testes super octoginta articulis recepti sunt.

Defecto Eugenio prædecessore prædicto, anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo meritis beatæ Franciscæ exigentibus, felicis recordationis Nicolaus Papa V. pariter prædecessor noster, qui Eugenio in Apostolatu successerat, ad canonizationis ejus negocium aggressus, inquisitionem peragi per Spoletanum & Mindonensem Episcopos mandavit, coram quibus a Procuratore & Syndico prædictis testes ad numerum centum & triginta duorum sunt producti, & super novis articulis rite & recte recepti, ac processus accurate & legitime formatus.

Ac licet rem transigi, & beatam Franciscam sanctam declarari, nec tunc temporis, neque postea tot annis successerit; tamen Dominus Sanctæ suæ summum honorem in terris debitum, ad hanc usque diem occulta dispensatione differri volens, non permisit interea aliis honoribus destitui, numquam enim devotio fidelium erga ancillam suam refrixit in Urbe, quinimo die transitus ejus, auctoritate Apostolica, & popoli Romani pia sollicitudine in honore & in curia Capitolina festus habitus fuit, donec felicis recordationis Clemens Papa VIII. prædecessor noster, pro sua pastorali providentia, spiritu Dei motus, piis ejusdem populi Romani precibus benigne aures præbens, canonizationis beatæ Franciscæ opus ad decorem & utilitatem domus Dei jamdiu cœptum, consummandum censuit.

Itaque bonæ memoriæ Seraphino sancti Salvatoris in Lauro, necnon dilectis filiis nostris Hieronymo sancti Blasii de anulo, Pamphilio, & Johannes Garziæ sanctorum Quatuor Coronatorum Tituli, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteris Cardinalibus Millino, nuncupatis, tunc sacri

ſacri Palatii Apoſtolici cauſarum Auditoribus commiſit, ut viderent, an ſecundum ſacrorum canonum decreta, & Eccleſiæ Romanæ receptum morem canonizatio hujuſmodi celebrari poſſet. Illis vero & in eorum locum, iiſdem ad Cardinalatus honorem,eorum exigentibus meritis, promotis, poſtea ſubrogati dilecti etiam filii Franciſcus Pennia, Horatius Lancellottus & Johannes Baptiſta Pamphilius, ejuſdem ſacri Palatii cauſarum pariter Auditores, proceſſus, & acta omnia ab exordio cauſæ, ut res poſtulabat, recenſentes, probationes diligenter perpenderunt, novoque proceſſu rite confecto, ſanctitatis & miraculorum beatæ Franciſcæ ab ejus obitu ad annum uſque milleſimum ſexcenteſimum quartum, quo anno hæc agebantur continuam conſtantemque famam probari voluerunt.

Verum viam univerſæ carnis ingreſſo Clemente prædeceſſore, & humilitate noſtra ad ſummum Apoſtolatus gradum nullo ſuffragio meritorum a Domino evocata, nec ceſſante populo Romano ſancta ſedulitate inſtare, ut cauſa canonizationis hujuſmodi abſolveretur, nos ex officii debito paſtoralis quæ ad Dei laudem, & fidelium ædificationem ſunt, quantum in Domino poſſumus, promovere cupientes: ac non ambigentes, id genus eſſe triumphalem canonizationis honorem, per quem ſapientiam Sanctorum narrant populi, & laudem eorum nunciant Eccleſiæ, patriæque noſtræ inclytæ Urbis Romæ caritate cogente, ne filiæ ſuæ merita, veneratione, quaſi nova corona, deſtitueretur, prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inſiſtentes, rei tantæ in nomine Domini perficiendæ conſilium cepimus. Quapropter cognita eorumdem ex Auditorum relatione, illorum pro canonizatione ſententia, illam & univerſam cauſam a venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus ſacris ritibus & cæremoniis præfectis, accuratiſſime recognoſci, & examinari mandavimus.

Qui re diu multumque diſcuſſa ac diſputata, beatæ Franciſcæ vitæ excellentem cum fide ſanctitatem, & præclara miracula ex omnibus proceſſibus, primo excepto, ſatiſque legitime ad rem de qua agebatur probata, & ad canonizationem procedi, recte poſſe cenſuerunt.

Itaque eorum ſententia una cum omnibus, quæ in cauſa erant, in conſiſtorio noſtro ſecreto a venerabili fratre noſtro Dominico Epiſcopo Oſtienſi, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali, Pinello nuncupato, ſacri Collegii Decano, & eorumdem Cardinalium antiquiore, ſummatim & appoſite relatis, cum reliqui Cardinales, qui adfuerunt idem cenſuiſſent, in publico ſequenti conſiſtorio audita dilectorum filiorum cameræ Urbis noſtræ conſervatorum pro canonizatione hujuſmodi, per dilectum filium Hieronymum de Rubeis P. N. Advocatum habita diſerta oratione, ac de re tanta nos, ut oportebat, cum iiſdem Cardinalibus & Epiſcopis deliberaturos reſponſo dato, eoſdem Cardinales & Epiſcopos ad implorandum eleemoſynis, jejuniis & orationibus, divinum auxilium, in Domino hortati fumus.

Deinde eorumdem Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum & Epiſcoporum in Urbe præſentium conſiſtorio ſemipublico indicto in quo etiam noſtri, & Apoſtolicæ Sedis Notarii, & ſacri Palatii Apoſtolici cauſarum Auditores vocati adfuerunt, iidem Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi & Epiſcopi omnes, beatam Franciſcam ex iis, quæ a nobis propoſita, & ex proceſſu relata fuerant, jure canonizandam eſſe cenſuerunt.

Quorum

Quorum sententiis auditis, nos gratias Deo agentes, quod ancillam suam per ministerium nostrum honorificari velle dignaretur, canonizationis diei declarationem nobis reservavimus, omnesque ad devote interim nobiscum orandum, & eleemosynis, jejuniis ac sacrificiis cœlestem Spiritus sancti favorem in eam rem infirmitati nostræ procurandam, iterum adhortati sumus.

Ac tandem rite peractis omnibus, quæ sanctorum Patrum auctoritas, sacrorum canonum statuta sanctæque Romanæ Ecclesiæ antiqua consuetudo in re hujusmodi peragenda præscribunt, hodie in sacra beati Petri Principis Apostolorum basilica, ad quam una cum iisdem fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, necnon Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Romanæ curiæ Prælatis, officialibus ac familiaribus nostris, clero sæculari ac regulari hymnum, *Ave maris stella*, beatæ Mariæ Virginis, cantorum cœtu resonante, solemni ritu processimus, maxima populi frequentia. Post prædictorum conservatorum pro canonizationis decreto, per eumdem Advocatum consuetas petitiones repetitas, post sacras litanias, hymnosque decantatos, precibusque in spiritu humilitatis præmissis, ac Spiritus sancti gratia rite implorata, ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, ad fidei catholicæ exaltationem, & religionis Christianæ augmentum, auctoritate ejusdem sanctissimæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus sancti, beatorum Apostolorum Petri & Pauli ac nostra, de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum in Urbe præsentium consilio, & unanimi consensu, beatam Franciscam Romanam, ex oblatis monasterii Turris speculorum Urbis, ordinis sancti Benedicti Congregationis montis Oliveti, cujus corpus Romæ in Ecclesia, sanctæ Mariæ Novæ nuncupatæ in pace quiescit, de cujus sanctitate vitæ, fidei sinceritate, & miraculis plene constabat & constat, Sanctam esse definivimus, ac Sanctarum mulierum catalogo adscribendam decrevimus, prout præsentium tenore definimus, decernimus, & adscribimus, illamque omnes fideles venerari mandavimus & mandamus;

Statuentes, ut ab universali Ecclesia in ejus honorem, Ecclesiæ & altaria, in quibus sacrificia Deo offerantur, ædificari & consecrari possint, & singulis annis die nona Martii festum ipsius & officium Sanctarum nec Virginum nec Martyrum ad breviarii Romani præscriptum devote celebretur.

Præterea eadem auctoritate omnibus vere pœnitentibus & confessis, ac sacra communione refectis, qui annis singulis eodem die festo, ad sepulcrum, in quo corpus ejus requiescit, devote accesserint, necnon Ecclesias & altaria in ipsius honorem constructa devote pariter visitaverint, easdem indulgentias & peccatorum remissiones concessimus, & elargiti sumus, prout concedimus & elargimur, quæ ceteris dicti ordinis Ecclesiis in diebus festis ejusdem Congregationis montis Oliveti Sanctorum, jam concessæ sunt.

Denique exactis omnibus, quæ canonizatio hujusmodi postulabat, ac Deo Patri immensæ majestatis, venerandoque ejus vero & unico Filio, sanctoque paraclito Spiritui laudibus sacro hymno cantatis, Ecclesiæ communi prece oravimus Dominum, ut quoniam beatæ Franciscæ festivitate gaudebamus, ejus exempla piæ devotionis erudiremur affectu, ac sacrosanctis sacrificiis ad altare Principis Apostolorum ponti-

CONSTIT. LXXXII. A. D. 1608.

pontificali ritu cum ejusdem sanctæ commemoratione oblatis, plenariam omnibus Christifidelibus ibi præsentibus, ad Dei laudem & gloriam Sanctæ ejus, peccatorum indulgentiam & remissionem concessimus.

Confiteamur igitur Domino Dominorum, per quem amici ejus honorificantur nimis, & a quo gloria & honor omni operanti bonum. Et quoniam Sanctæ etiam hujus præsidium jam cernimus nobis divinitus comparatum, æquum est, nos sempiternam clementiam orare, ut cujus in terris voluit his nostris calamitosis temporibus gloriam manifestari, illam etiam in tribulationibus nostris nobis adesse, & obsecrationes pro Ecclesiæ sanctæ exaltatione, hæresum extirpatione, Principum Christianorum unione, patrocinio suo promovere sentiamus, per Christum Dominum nostrum.

Ceterum, quia nimis difficile foret præsentes nostras literas ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastiea constitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur, quæ ipsis præsentibus, si exhibitæ vel ostensæ essent, haberetur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum decreti, definitionis, adscriptionis, mandati, statuti, concessionis, elargitionis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo octavo, quarto Kalendas Junii, pontificatus nostri anno quarto.

✠ Ego Paulus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

✠ *Ego Dominicus Episcopus Ostiensis Cardinalis Pinellus.*
✠ *Ego Frater Hieronymus Episcopus Portuensis Cardinalis Asculanus.*
✠ *Ego Antonius Maria Episcopus Prænestinus Cardinalis Gallus.*
✠ *Ego Antonius Episcopus Albanensis Cardinalis Saulus.*
✠ *Ego Marianus Episcopus Tusculanus Cardinalis de Camerino.*
✠ *Ego Evangelista Tituli sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Consentinus.*
✠
✠
✠ *Ego Frater Gregorius Tituli sanctæ Mariæ Transtiberim Presbyter Cardinalis de Monte Elpero.*
✠ *Ego Franciscus Maria Tituli sanctæ Mariæ in Araceli Presbyter Cardinalis a Monte.*
✠
✠ *Ego Octavius Tituli sancti Alexii Presbyter Cardinalis Paravicinus.*
✠ *Ego Octavius Tituli sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis Aquaviva.*
✠
✠

✠ *Ego*

✠
✠ Ego Octavius Tituli sanctæ Sabinæ Presbyter Cardinalis Bandinus.
✠
✠ Ego Laurentius Tituli sancti Laurentii in Pane & Perna Presbyter Cardinalis Blanchettus.
✠ Ego Bartholomæus Tituli sanctæ Mariæ in Porticu Presbyter Cardinalis Cæsius.
✠
✠ Ego Franciscus Tituli sanctæ Mariæ de Populo Presbyter Cardinalis Mantica.
✠
✠ Ego Pompejus Tituli sanctæ Balbinæ Presbyter Cardinalis Arigonus.
✠ Ego Bonifacius Tituli sancti Hieronymi Illyricorum Presbyter Cardinalis Bevilaqua.
✠ Ego Dominicus Tituli sancti Honuphrii Presbyter Cardinalis Tuscus.
✠
✠
✠
✠
✠ Ego Robertus Tituli sanctæ Mariæ in Via Presbyter Cardinalis Bellarminus.
✠ Ego Dominicus Tituli sanctorum Duodecim Apostolorum Presbyter Cardinalis Gymnasius.
✠
✠ Ego Antonius Tituli sanctæ Crucis in Hierusalem Presbyter Cardinalis Zappata.
✠
✠ Ego Innocentius Tituli sanctorum Nerei & Achillei Presbyter Cardinalis Bubalus.
✠ Ego Johannes Tituli sancti Marci Presbyter Cardinalis de Vincentia.
✠
✠ Ego Jacobus Tituli sancti Stephani in Monte Cælio Presbyter Cardinalis Sannesius.
✠
✠ Ego Hieronymus Tituli sancti Blasii de Anulo Presbyter Cardinalis Pamphilius.
✠
✠
✠ Ego Ferdinandus Tituli sancti Eusebii Presbyter Cardinalis.
✠ Ego Scipio Tituli sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis Burghesius.
✠ Ego Ludovicus Tituli sancti Pancratii Presbyter Cardinalis Montisregalis.
✠ Ego Maphæus Tituli sancti Petri in Monte Aureo Presbyter Cardinalis Barberinus.
✠
✠ Ego Johannes Garsia Tituli sanctorum Quatuor Presbyter Cardinalis Millinus.

CONSTIT. LXXXII.

A. D. 1608.

✠

✠ *Ego Marcellus Tituli sanctorum Quirici & Julittæ Presbyter Cardinalis Lantes.*

✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠

✠ *Ego Franciscus Sfortia Diaconus Cardinalis sanctæ Mariæ in Via Lata.*

✠ *Ego Alexander sancti Laurentii in Damaso Diaconus Cardinalis Montaltus, S. R. E. Vicecancellarius.*

✠ *Ego Andreas sancti Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Perettus.*

✠ *Ego Johannes Baptista sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis Detus.*

✠
✠
✠
✠
✠
✠

N O T A.

Apud Raynaldum sæpe fit mentio de sancta Francisca, nimirum A. D. 1399. §. 41. A. D. 1411. §. 10. A. D 1413. §. 20. A. D. 1431. §. 10. A. D. 1433. §. 25. Idem auctor A. D. 1434. §. 32. monasterii sanctimonialium Turris speculorum a beata Francisca in Urbe excitati originem exponit: quod sodalitium Oblatarum ordinis sancti Benedicti Congregationis montis Oliveti Eugenius IV. suo diplomate confirmavit. Sed omnium ubertime de sancta Vidua differentes adeundi sunt Bollandi continuatores die 11. Martii tomo 11. pag. * 88. ubi geminam ejus Vitam a Jo. Matteotto Canonico sanctæ Mariæ Transtiberim, ejus Confessario, & a Maria Magdalena Anguillaria, earumdem oblatarum præside scriptam exhibent. Ad eam quoque scribendam animum adpulerunt Julius Ursinus, Petiliani Comitum stirpe ortus, Vigilius Caparius & Jacobus Fuligattus, Societatis Jesu presbyteri: quæ tamen opera nondum edita sunt. De his consule Bollandianos ibidem pag. * 91. qui ex officio fusis, exactisque suis commentariis omne studium nostrum quamlongissime anteverterunt. Acta hujus canonizationis descripsit Paulus Alaleonius, sacrarum cæremoniarum magister.

IDEM

LXXXIII.
IDEM
PAULUS . V

Sanctorum confessorum pontificum canoni adscribit Beatum Carolum Borromæum S. R. E. Cardinalem & Archiepiscopum Mediolanensem, qui obiit vespere diei III. Novembris A. D. 1584.

PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Unigenitus æterni Patris Filius Christus Dominus & Redemptor noster, qui se quotidie una cum Patre operari professus est, *cum Pater meus*, inquit, *usque modo operatur, & ego operor*, numquam destitit mirabiliter illuminare terram suam a montibus æternis, sed variis locis, variisque temporibus suscitando æternæ gloriæ candidatos, Sanctos suos, Ecclesiam sanctam illustrare mirabilem in modum consuevit, non solum, ut addat in dies magis domui suæ gloriam & decorem, sed etiam ut irradiando humanæ vitæ tenebras splendoribus Sanctorum, tarditatem nostram urgeat fratrum nostrorum exemplo, quasi præsenti testimonio oculorum. CONST. LXXXIII. A. D. 1610.

Hic idem Dominus, qui facit mirabilia magna solus, magnificavit novissime facere nobiscum, ac miro dispensationis suæ opere statuit super Apostolicæ petræ arcem grande luminare, eligens sibi e gremio sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Carolum, sacerdotem fidelem, servum bonum, formam gregis, formam pastorum. Qui videlicet multiplici fulgore sanctorum operum universam decorando Ecclesiam, sacerdotibus & populo præluceret, quasi Abel in innocentia, quasi Enoch in munditia, quasi Jacob in laborum tolerantia, quasi Moyses in mansuetudine, quasi Elias in ardenti zelo; quique imitandam exhiberet inter affluentes delicias Hieronymi corporis castigationem, Martini in sublimioribus gradibus humilitatem, Gregorii pastoralem sollicitudinem, libertatem Ambrosii, Paulini caritatem, ac demum videndum ac perspiciendum ostenderet oculis nostris, manibus nostris contrectandum hominem, mundo maxime blandiente, crucifixum mundo viventem spiritu, terrena calcantem, cœlestia jugiter negociantem, & sicut officio in Angelum substitutum, ita etiam mente & opere vitam Angelorum in terris æmulantem.

CONSTIT. LXXXIII.

A. D. 1610.

Quamobrem merito repletum est gaudio os nostrum & lingua nostra exultatione in insigni die solemnitatis nostræ, quando nullis meritis nostris, sed inscrutabili sapientiæ suæ arcano hanc diem mundo dilucere his temporibus ante sæcula præordinavit Altissimus, in qua per ministerium humilitatis nostræ Carolo sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui auctore Domino præsidemus, Presbytero Cardinali, sacris decernendis honoribus, unicæ sponsæ suæ nova imponeretur corona, ornata omni lapide pretioso. Ex hoc enim confundentur omnes, qui adorant sculptilia impiarum adinventionum suarum & gloriantur in simulacris errorum, confitebuntur autem populi sancti Domino, & exaltabitur nomen ejus solius.

Et quoniam solemnis declaratio sanctitatis Christi famuli, ex inveterato Ecclesiæ Romanæ ritu, & ex præscripto sacrorum canonum celebrata, perpetuis futuris temporibus, nostris Apostolicis literis est de more consignanda, hæc duximus ex ejus vita, & miraculis totiusque causæ actis summatim referenda.

Nascitur dilectus Dei Carolus in primaria Mediolanensi familia Borromæa, ex parentibus Giberto Comite, & Margarita Medicea anno salutis millesimo quingentesimo trigesimo octavo, cujus futuræ eximiæ sanctitatis splendorem præmonstravit Dominus magno & insolito lumine qua nocte puer nascebatur, super maternum cubiculum compluribus viso.

Nec puerilis ætas ejusdem sanctitatis indiciis caruit. Tempus enim, quo vacare licebat, extruendis & exornandis altariolis magna cum voluptate dabat. Crescente ætate, quod bonam ejus mentem excellentioribus donis Spiritus sanctus in dies magis præpararet, christianis moribus & literis non difficile a piis parentibus imbuitur. Eminebant vero in adolescente præludia benedictionum, quibus dignatus est eum Altissimus, munditia cordis, pax interna, innocentia & modestia; nec rebus solum, sed etiam omnibus verbis turpibus, omnibusque mendaciis abstinebat.

In utroque jure in Papiensi universitate, ubi his studiis operam dederat, ad doctoratus gradum promotus, a felicis memoriæ Pio Papa IV. prædecessore nostro, ejus avunculo, paulo ante, disponente Domino, ad Apostolatus apicem evecto, Romam evocatur, & in sacrum S. R. E. Cardinalium Collegium adscribitur. Deinde Mediolanensi Ecclesiæ præficitur, gravissimaque universalis Ecclesiæ negocia, & Sedis Apostolicæ munera illi creduntur.

Hic vero cœpit Dominus ostendere in Carolo mirabilia sua. Cum enim nondum vicesimum tertium explevisset annum, administrabat omnia diligenter, in sapientia & justitia summo cum zelo honoris Dei, & studio catholicæ Ecclesiæ utilitatis. Quæ omnia in negociis fidei catholicæ & universæ Ecclesiæ, quæ in Concilio Tridentino tunc agitabantur, maxime enituerunt. Non vigiliis, non incommodis aut laboribus ullis pepercit, ut ne quid retardaret sanctæ Synodi absolutionem, quam ipse sollicite, & cum spiritus ardore promovit semper, donec a Domino impetraret. In tam sublimi dignitatis gradu constitutus, divitiarum, potentiæ, ætatis, aliisque non paucis, nec levibus delinimentis circumdatus, tantum abest, ut post carnalia desideria abierit, ut superno assistente præsidio tunc cœperit Christo magis adhærere, & spiritualia ardentius æmulari.

Itaque

Itaque urbano splendore & amplitudine relictis, bonus operarius in messem, quam susceperat, Mediolanum discedit, ubi partes suas in dies magis implendo, agrum illum malitia temporum vepribus turpiter deformem ac silvescentem in eum restituit nitorem, ut Ecclesiam Mediolanensem praeclarum exemplar redderet Ecclesiae disciplinae. Hoc autem cum a se praesente praestandum cerneret, numquam a residentia discessit, nisi coactus, aut concedente Sede Apostolica, vel seniore Episcopo suae provinciae approbante. Principio Concilii Tridentini decreta executioni mandari sollicite curavit, & ut ecclesiasticam disciplinam moresque depravatos recte & ordine emendaret, Domini viam incedendum intelligens, divino auxilio facere incepit, & docere. CONSTIT. LXXXIII. A. D. 1610.

Nam a se, suaque familia reformationem aggressus, omnia ad sacrorum & sanctorum Patrum exempla composuit, laicis familiaribus grata missione dimissis, clericorum censuit utendum ministerio, quibuscum assiduae illi erant ad Deum preces, aliaeque complures spirituales occupationes, omni vestium pompa detracta, omnique alia re minus honesta, & religioso indecora, sublata. Quantum in Ecclesiae suae recta administratione praestiterit, satis declarant Synodi multae provinciales ac dioecesanae, ejusque Ecclesiae Actorum edita volumina, quae sacerdotum manibus teruntur & regendi Ecclesias doctrinam abunde suppeditant. Civitatis ac dioecesis suae Ecclesias aut ipse solus suis sumptibus, aut grandi eleemosyna praeeundo, una cum aliis instauravit, alias a fundamentis aedificavit, alias ornavit, pretiosa etiam nonnullas suppellectile aere suo instruxit. Pueris & adolescentibus civitati & dioecesis, tum clericis, tum laicis, necnon Helvetiis & Rhetis, moribus & literis informandis, presbyteris saecularibus in regimine animarum erudiendis, seminaria & collegia instituit. Praeterea regularibus clericis, sacris Virginibus, regulares, saecularibus vero tam mulieribus, quam virginibus saeculares domos, mendicantibus hospitale, canonicis Ecclesiae Mediolanensis ordinariis commune domicilium, Archiepiscopis, eorumque hospitibus oportunas aedes, aliis piis operibus complures alias pias domos magnis sumptibus, partim propriis, partim beneficiorum ecclesiasticorum unione & attributione extruxit, auxit, & necessariis reditibus stabilivit.

In praedicatione verbi Dei tam frequens erat beatus Pontifex, ut plane in omni patientia & doctrina impleret ministerium suum vigilando, laborando, labore pene incredibili, ita ut quadraginta horarum solemnibus precibus continuo persistens in jejunio & vigilia singulis horis ad populum admirabili patientia sermonem haberet.

A frequenti visitatione Ecclesiarum & populorum suae dioecesis ac provinciae, vel aliarum etiam dioecesium, cum ab Apostolica Sede demandabatur, nullis incommodis aut periculis deterreri vel retardari potuit, non aestu, non algore aut nocturnis tenebris, non praeruptis & asperis Rhetorum & Helvetiorum montium, nive & glacie rigentium, neque aliis denique multis & gravibus difficultatibus. Sed vir Dei, caritate, quae foras pellit timorem & omnia sustinet, omnibus superatis, etiam cum suae vitae discrimine, increpando, obsecrando, praedicando & exemplo atque auctoritate personae, haereses, multaque alia gravissima vitia & abusus, praesertim a clero, per Christi gratiam sustulit.

In administrando matrimonio Ecclesiae tantum industriae & diligentiae adhibuit servus fidelis, ut ejus reditus multo majores relinqueret, quam

CONSTIT. LXXXIII. A. D. 1610.

quam acceperat. Nec minus tamen in illis dispensandis fidelis apparuit coram Domino.

Hospitalitatem quippe exhibuit usque adeo, ut ostium ejus omnibus pateret semper dioecesanis, alienigenis, notis, ignotis, praesertim vero ecclesiasticis, quos in saecularibus diversoriis manere indecorum dicere solebat, suamque domum publicum hospitium vocabat.

In eleemosynis dandis ita se gessit, ut in hoc opere praeipue abundasse merito dici possit, ac dispersisse & dedisse pauperibus. Quantum enim necessariis sumptibus ex mensa Ecclesiae Mediolanensis, & ex aliis propriis reditibus supererat, totum in pauperes abibat, & ne quemquam aperte rogandi aut accipiendi pudor expertem faceret misericordiae suae, secretis eleemosynis fidelem praeposuerat ministrum, qui eorum occultis necessitatibus subveniret. Eoque processit pauperibus subveniendi studium, ut Uritanum principatum, reliquum patrimonii sui, nec tenuis reditus, distraheret, & quadraginta millium scutorum pretio, quamvis vili, inde percepto, diversis piis locis Mediolani tantum pecuniae paucissimis horis attribueret.

Cum vero pestilentiam in civitatem & dioecesim Dominus immisisset, & gregem sibi commissum bonus pastor miserabiliter affligi cerneret, ut egenorum calamitati temporalibus etiam auxiliis prospiceret, vel argentea vasa, stragulam, aliamque vestem, ostiorum vela, propriique demum lectuli, solatium dedit. Neque hic constitit fervens Christi servi erga proximum dilectio, sed aemulando charismata meliora, ad eam caritatem pervenit, qua majorem neminem habere Dominus ipse pronunciavit. Quasi enim parum judicaret publicis supplicationibus nudipedalibus verbo & opere inducere clerum & populum ad divinam deprecandam vindictam, & ad poenitentiam provocare, aliaque multa in commune consulendo, sollicite ordinare, pro munere pastorali, cernens id etiam animarum saluti, & gregis necessitatibus in Domino expedire, dispositis rebus suis & selectis nonnullis adjutoribus, infirmos, tam civitatis, quam dioecesis cujuscumque ordinis, die nocteque visitando, spiritualia & temporalia ministrabat. Defunctos sepeliri, infantes orphanos nutriri, ac sua quaequam onera publice demandata, diligenter ac fideliter administrare curabat; non pauperum valetudinaria, non humiles casas, invisas dimisit, non ad mortuorum cadavera accedere veritus est, ut viventem miserabiliter inter mortuos infantem ab uberibus defunctae matris eriperet, & sic agendo boni pastoris expleret officium, qui animam suam ponit pro ovibus suis.

Id quod facere etiam se paratum pro tuendis Ecclesiae juribus & ecclesiastica restituenda & conservanda auctoritate non semel ostendit; quippe qui in promptu haberet ulcisci omnem inobedientiam, mitissimus alioquin vir & clementissimus, ita ut calumnias, contumelias, gravesque persecutiones patientissime ferret. Quapropter oblata aliquando indicia proditionis vitae suae, neglexit, & literas nec resignatas flammis tradidit.

Fere nullus, quamquam delicti reus, ejus misericordiam poenitens imploravit, qui non fuerit consecutus.

Severus tamen arbiter erat in expendendis meritis personarum, cum de ecclesiasticis beneficiis & officiis conferendis ageretur. Beneficia enim nisi magis idoneis non dabat, neque in illis dispensandis ullatenus a sacrorum canonum voluntate recedebat.

Et

Et ut sancte & juste coram Deo & hominibus omnia tractaret, a muneribus, etiam vilissimis, non abstinuit. Tribunalia sua, ut non solum quavis labe iniquitatis, sed etiam suspicione, vacarent, omni studio, præsertim sæpe illa visitando, præstitit.

Nullum tempus animi relaxationi dabat, sed opus Dei, & proximi continue agenti negocium negocio succedebat, curam cura excipiebat. Non quietis tempus vacabat ab opere, non refectionis. Bonam enim noctis partem lectione, tum scriptione, tum oratione absumebat, interdum in oratione pernoctabat, neque idcirco remissior mane in agendo erat, ita ut in actis inter cetera consignatum sit, quod cum aliquando Romæ in Catacumbis noctem, quam jejunium præcesserat, orando insomnem egisset, mane non solum de corporis refectione aut quiete non cogitavit, sed valde longa peregrinatione suscepta, ad beatæ Agnetis Ecclesiam pedibus processit, ut missam agendo & orando, tantum temporis posuit, ut ante vicesimam secundam horam cibum non caperet, reipsa plane ostendens, quam omnia posset in eo qui illum confortabat.

Has omnes & sequentes virtutes exornavit mirum in modum castitate & pudicitia, quam in florenti etiam ætate, quamquam non leviter tentatus, illæsam fortiter defendit, ac diligentissime semper custodivit. Itaque feminas sine arbitris non alloquebatur, omnemque occasionem vitæ labefaciendi candorem accurate præcavebat.

Firmabat vero ejus virtutes omnes solidum fundamentum, præcellens vivæ fidei donum, quod & dilectionis egregia opera & doctrinæ veritas ac puritas, quam ex ejus ore Ecclesia Mediolanensis, aliique non pauci Christifideles tot annis hauserunt, comprobant satis.

Pietas præterea insignis ac devotio, cujus fervore incensus Christi famulus sacra Italiæ loca orationis causa aliquando obibat, longa & difficillima itinera alienissimo anni tempore pedibus agendo. Qua in re, ut nullo loco a sanctis operibus cessaret, tempus rerum divinarum contemplatione, aut Psalmorum & Sanctarum precum recitatione, aut sermones spirituales cum comitibus conferendo, transigebat.

Quotidie sacrificium Deo offerebat, genibus flexis horas canonicas recitabat, & sacras scrutabatur scripturas, idque interdum dum secreto refectionem sumeret corporalem. Quamobrem meruit homo Dei in hujusmodi operibus occupatus, non mediocriter a Domino clarificari. Cum enim ex more aliquando in privato oratorio vespere cum familia oraret, & filius perditionis apostata quidam ex ordine Humiliatorum, quem alii nonnulli ejusdem ordinis similes ministri Satanæ pecunia in necem Caroli subornaverant, quod eorum ordinis reformationem auctoritate Apostolica urgeret, in ejus tergum plumbeis globulis instructum sclopum ab oratorii porta explosisset, divina protegente dextera, sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum & globorum pars sancti Pontificis orantis vestes non penetravit, licet alii, violentia ictus, utrinque fuerint in proximo defixi, omnibusque perculsis, ac de ejus salute trepidantibus, ipse solus mente immotus, illos in oratione progredi mandavit, & tunc ipsum Domini monitum illud: *non turbetur cor vestrum, neque formidet*, cantari non sine divina voluntate contigerat.

Qui igitur sui corporis saluti opus Dei tantum anteponeret, haud mirum, si rerum etiam & honorum contemptu inter Christi servos enituerit Carolus & illuxerit omnibus, qui in domo sunt. Postquam enim

ad

CONSTIT. LXXXIII.
A. D. 1610.

ad Ecclesiam regendam Mediolanensem, & ad Christianam perfectionem animum appulit, ut expeditior agere posset quod agendum susceperat, majoris Pœnitentiarii officium, Archipresbyteratum Basilicæ sanctæ Mariæ Majoris Urbis, ordinum regularium complurium, Regnorum & nationum honorificentissimas clientelas seu protectiones, opulenta munera, grandesque ecclesiasticos & patrimoniales reditus sponte sua reliquit.

Neque his tantum vinculis sese exsolvendum censuit, ut Christum sequi liberius posset, sed quod longe difficilius est, quo corpus suum redigeret in servitutem, severissime castigavit. Quotidiano enim non contentus jejunio carnium, ovorum ac piscium esu sibi interdixit: deinde ter qualibet hebdomada, post hæc tota Quadragesima pane tantum & aqua jejunavit. Ac demum, ut in corde ipsius disposuerat Dominus ascensiones, Quadragesimale jejunium magna ex parte solis ficis passis, aut solis dactylis, sanctorum veterum Eremitarum more peregit. Denique postremo vitæ tempore hebdomada majore solis lupinis aqua mollitis languentem animam sustentavit.

Vestis illi interior cilicium, & crassa asperaque tunica exterior, privata, lanea ac vilis & attrita publica dignitatis propria: super paleas, aut super asses, paleis pleno pulvino capiti supposito, cubabat: interdum super ipsam humum sagulo tantum substrato. Postquam enim lectum suum pauperibus pestilentia laborantibus, largitus fuit, numquam super lectum culcita stratum dormivit. Accedebant frequentes corporis flagellationes, aliæque id genus complures mortificationes.

Quibus tamdem gradibus cum ad illam servorum Christi perfectionem pervenisset, ut per gratiam Spiritus sancti audire a Domino posset: *serve bone & fidelis*, a paucis, & humanis rebus in quibus fuerat fidelis, super multa, & æterna bona constitui meruit, & intrare in gaudium Domini sui. Anno siquidem ineunte ætatis suæ LVII. cum prius quasi discessui sese comparans, Varalli montis Navariensis diœcesis religiosas Passionis Christi memorias adiisset, ibique universos annos suos recogitando, generali confessione culpas diluisset, & cum amaritudine animæ suæ quindecim dies in oratione, jejuniis, vigiliis, aliisque corporis afflictionibus egisset, æger Mediolanum delatus, consummato cursu, obdormivit in Domino.

Ejus obitum universi populi Mediolanensis luctus consecutus est; aliis Sanctum, aliis communem Patrem amissum querentibus. Excellentem vero famuli sui sanctitatem comprobare etiam voluit Altissimus testimonio miraculorum, quorum complura, etsi ab eo vivente facta, in actis recensentur: insigniora tamen post ejus beatam dormitionem edita probantur.

Nam quidam infans, Philippi Navæ & Lucinæ Mediolanensis filius, quem sine oculis in lucem editum fuisse medici, re mature perpensa, affirmaverant, piæ matris ad Caroli auxilium conversæ, precibus mirabiliter illos a Domino accepit. Quippe sorore quinque annorum Carolum infanti benedictionem dedisse, & illum oculos aperuisse clamante, mater, clamore advocata puellæ, oculos infantem habere deprehendit.

Et sanctimonialis monasterii majoris Mediolanensis, nomine Paula Justina Casata, cui dexteræ partis corporis omnem sensum ac motum paralysis ademerat, cum ad sancti Sacerdotis imaginem, voto prius susce-

fuſcepto, & eleemoſyna erogata, ſacra communione refecta, magno ſpiritus ardore & fiducia oraret, ſtatim ſenſum & motum cum valetudine recuperavit, ita ut ad oratorium ſe conferre, & gratias Deo agere libere potuerit.

Altera vero monialis ex Cappuccinis nuncupatis, ejuſdem civitatis, cui nomen Candida de Agadis, triennio hectica febre tam acriter laboraverat, ut deſperatæ ſalutis, ac morti proxima exiſtimaretur. Hæc voto ſimiliter emiſſo, & ſancti Pontificis auxilio devote implorato, ad Caroli veſtis ſuperimpoſitæ contactum ſtatim convaluit.

Votum ſimiliter cum voviſſet Angela Antonia quædam Senenſis annorum fere ſeptuaginta, quo ſe Dominus per interceſſionem beati Caroli a membrorum infirmitate ſanaret, cum abſque alterius auxilio incedere non valeret, ante quam votum ſolvere finivit, valetudinem conſequi meruit.

Ad imaginem rurſus ſervi Chriſti magna cum devotione, dum meritis ejus confidens, Deum orat Candida Franciſca de Fortis, monaſterii ſanctæ Agnetis Mediolanenſis, ut a gravi morbo liberaretur, quo tertio jam menſe affligebatur, quem ſpaſmum ex catarrho medici cenſebant, indeque crus illi dexterum contractum erat, nulliſque remediis depelli valuerat, ſuavi quadam, quaſi aura, nervos & crus dexterum perfundi & refocillari ſentit, ac finita oratione, pedibus conſiſtit & ſanatur.

Angela quoque Buticella Papienſis graviſſimo articulorum morbo affecta, ex quo omnium membrorum motu, præter quam linguæ, deſtituta languebat, ad ejus imaginem pro ſanitate orante, meritis & precibus Caroli, una cum devotæ feminæ oratione morbus mirabiliter finivit.

Et Anna, mulier nobilis Polona ex Marchionibus de Mirou, cum annos circiter novem manuum acerbiſſimis doloribus, cum tumore & digitorum contractione, laboraſſet, omni medicinæ auxilio fruſtra tentato, ad imaginem itidem beati Caroli converſa, ejus opem magno cum ſpiritus ardore implorans, ſtatim ſanitatem recuperavit.

Sepulcrum quoque ſervi ſui placuit Domino multis ſignis mirificare, fidelium preces in diverſis eorum neceſſitatibus exaudiendo. Ex quibus illud eſt eximium, quod cum vir quidam nobilis Mediolanenſis nomine Johannes Jacobus Lomacius, crurum quinquennii ulceribus affligeretur, neque a medicina valetudinem conſequendi ſpes relicta eſſet, acrioribus quam ſoleret, doloribus aliquando correptus, ad viri ſancti ſepulcrum bacillo innixus, proficiſcitur, ibique pro recuperanda valetudine ferventi ſpiritu orat: oratione finita, ſine dolore miſſam audit, deinde incolumis conſurgit, ac domum reverſus admirabili Dei beneficio crurum ulcera conſolidata, ſibique ſanitatem redditam deprehendit.

Præterea Margarita Monta, Mediolanenſis puella, annorum ſex, adeo diſtortis ac perverſis pedibus nata erat, ut plantæ interius converſæ ſe invicem adſpicerent, ac pedis pars exterior plantæ officio fungeretur, tamen a corporis vitio hujuſmodi, quod nec induſtria obſtetricis, neque ſexennio quæſitum humanum remedium corrigere valuerant, per beati Confeſſoris interceſſionem liberata eſt, a matre enim ad ſepulcrum ejus ducta, ab alterius primum, deinde reducta ac voto etiam edito, ab alterius etiam pedis hujuſmodi inverſione ſanata eſt.

CONSTIT. LXXXIII. A. D. 1610.

Non minoris momenti est, quod operatus est Dominus sancti Pontificis meritis in altera infante, nomine Johanna de Maronis, ejusdem civitatis matre ad sepulcrum ejus similiter orante. Cum enim infans nervis, quibus tibiis alligantur pedes, genibusque resolutis, nata esset, ita ut incedere minime posset, ac pedes in humeros, cum vellet, libere attolleret, & quartum jam ætatis annum egressa esset, fama miraculorum beati Caroli excitati parentes, ad ejus sepulcrum illam cum oblationibus deferri curant, indeque vitio sublato, sana domum refertur.

Aurelia de Angelis cancri morbo gravissimo, multum inveterato, cum febre & acri dolore in sinistro crure affecta, quem medici insanabilem humana arte judicaverant, ad servi Dei auxilium conversa, ac voto suscepto, ejusque sepulcrum venerationis causa cum se adituram vespere proposuisset, mane a febre libera sanescere mirum in modum crus cœpisse cernit, ac triduo penitus convaluit.

Puer vero quinque annorum, Hieronymi Beriolæ & Agnetis ab Ecclesia filius, Melchior nomine, hernia admodum gravi & periculosa laborabat magno cum dolore, & universi corporis quasi ex aqua inter autem tumore. Quamobrem medicorum irritos conatus diu mater experta, beatum Carolum supplex orat, ut ex iis necessitatibus filium, seque eriperet, vel impetrando infanti a Domino sanitatem, vel vivæ miserandæ finem. Has preces somnus consequitur infantis, qui post paucas horas expergefactus matrem vocat, eique refert, Cardinalem suum morbi locum manu in qua lucidum gereret annulum, tetigisse ac sanasse, quo audito (mirabilis Deus!) mater filiorum adspicit, ac vere convaluisse comperit.

Non longe dissimili ratione alterum puerum Papiensem, Bernardini Ticoni filium, suprascripto æqualem, a mortis faucibus eripuit Dominus per merita famuli sui retribuens pietati parentum, qui ad sancti Dei imaginem filiolum vespere quotidie orare, & illum invocare docuerant. Cum enim in Ticinum, aquis tumidum delapsus fuisset infans, antequam quisquam illi opem ferre posset, quasi quarta horæ pars elapsa fuisset, numquam tamen est demersus, sed tamquam leve corpus supernatans, eousque delatus est, donec educeretur. Eductus plane incolumis sese beato Carolo rubris induto vestibus sustentatum, ne mergeretur, narravit. Beati Caroli autem auxilium more, a parentibus accepto invocans, dum decideret a pluribus auditus fuerat.

Hæc itaque & alia quamplura signa & prodigia, quibus servi sui præclara merita contestatus est Dominus, cum illam in populis sanctitatis famam, & erga beatum Pontificem devotionem, quam vita excitaverat, auxissent, & in dies magis augerent, dederunt exordia clarificationis a Patre luminum Carolo præstitutæ. Itaque anno millesimo sexcentesimo primo precibus Congregationis oblatorum sancti Ambrosii Mediolanensis, a Carolo institutæ, primum a Vicario venerabilis fratris nostri Archiepiscopi Mediolanensis duo processus unus de vita, alter de miraculis sancti Confessoris formati sunt. Exinde clerus & consilium generale ejusdem civitatis Mediolanensis ad felicis recordationis Clementem Papam VIII. prædecessorem nostrum oratores de beati Caroli canonizatione miserunt: quibus auditis idem Clemens causam venerabilibus fratribus nostris, tunc suis, S. R. E. Cardinalibus sacris Ritibus præfectis demandavit, de quorum consilio causa delegata tribus sacri palatii nostri causarum auditoribus, dilecto videlicet filio

filio Francisco Peniæ Decano, ac dilecto etiam filio nostro Johanni Garziæ Tituli sanctorum Quator Coronatorum Presbytero Cardinali Millino nuncupato, tunc earumdem causarum Auditori, ac bonæ memoriæ Alexandro Littæ: quibus deinde bonæ etiam memoriæ Alexander Justus & Bernardinus Scottus, & huic demum dilectus filius Horatius Lancellottus, earumdem causarum similiter Auditores subrogati fuerunt, cum facultate novos processus, si eis videretur conficiendi. CONSTIT. LXXXIII. A. D. 1610.

Ipsi, re mature examinata, novos processus auctoritate Apostolica faciendos censuerunt.

Deinde eodem Clemente prædecessore viam universæ carnis ingresso, ac felicis recordationis Leone Papa XI. similiter prædecessore nostro, ad Apostolatum assumpto, eadem causa prædictis auditoribus commissa, & ut ad ulteriora procederent, mandatum fuit.

Eodemque Leone, sicut Altissimo placuit, ab humanis exempto, nostraque humilitate, inscrutabili Dei judicio, nullis suffragantibus meritis, ad Catholicæ Ecclesiæ regimen vocata, officii nostri debitum exigere censuimus, ut sancti Cardinalis canonizationis negocium promoveretur, quando, si Deo adspirante, ut sperabatur, successisset, magno cum Ecclesiæ suæ augmento decoris, & credentium, præsertim Sacerdotalis ordinis, fructu, gestum iri constabat.

Accedebant etiam carissimorum in Christo filiorum nostrorum Philippi III. Hispaniarum Regis Catholici, Sigismundi etiam III. Poloniæ Regis, & Constantiæ Reginæ, illustrium Principum, & aliorum multorum preces, quibus a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris prædictis, & a nobis id sæpius postulaverant & postulabant.

Quamobrem cum in eadem causa absque mora progredi auditores mandavissemus, ipsi ex novo processu, auctoritate Apostolica per venerabiles fratres nostros Philippum Comensem & Claudium Placentinum Episcopos, confecto, & ad se misso, mandatu nostro, diu multumque negocio discusso, & accurate examinato, nobis primum, deinde Cardinalibus prædictis tandem retulerunt, constare de beati Caroli sanctitate vitæ, excellentia fidei & miraculis, & omnia ad canonizationem, a sacris canonibus requisita, legitime fuisse probata, ita ut si nobis videretur, ad servi Dei canonizationis solemnem actum procedere possemus.

Restabat, ut relationem auditorum & universam causam de more iidem Cardinales accuratissime recenserent, & pro rei gravitate recognoscerent, id quod cum recte fideliterque præstitissent, idemque omnes censuissent, ac deinde venerabilis frater noster Dominicus Episcopus Ostiensis & Veliternus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Pinellus nuncupatus, eorum antiquior, suam collegarumque sententiam, cum totius summa processus retulisset in consistorio nostro secreto, reliqui Cardinales qui aderant in eamdem sententiam concesserunt.

Quapropter sequenti publico consistorio, in quo pro canonizatione diserte dixit dilectus filius Julius Roma, aulæ nostræ consistorialis advocatus, ac nomine prædicti Philippi Regis nobis humiliter supplicavit, nos de tanti momenti negocio, ut par erat, deliberaturos cum iisdem Cardinalibus & Episcopis in curia præsentibus respondimus, & Cardinales & Episcopos, qui tunc aderant, hortati sumus, ut eleemosynis, jejuniis & orationibus Spiritus sancti auxilium devote implorarent.

CONSTIT. LXXXIII. A. D. 1610.

Cum vero in semipublico consistorio, quod ex more deinde habuimus, vocatis non solum Cardinalibus, sed etiam Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis prædictis, ac præsentibus nostris ac Sedis Apostolicæ notariis, ac sacri palatii nostri Apostolici causarum auditoribus, nos de vita & miraculis beati Caroli, quæ oportebat proposuissemus, omnes beatum Carolum canonizandum esse apertis suffragiis censuerunt.

Quorum unanimi consensu audito, aperuimus os nostrum in benedictionibus & gratias egimus divinæ clementiæ, quod tantam gratiam tribuisset puero suo, ac per eum honorificare vellet ministerium nostrum, & canonizationis declaravimus diem, adhortantes omnes, ut junctis nobiscum precibus, eleemosynis, jejuniis & sacrificiis Spiritus sancti gratiam, infirmitati nostræ in eam rem procurarent.

Denique cum nihil restaret eorum, quæ ex sanctorum Patrum auctoritate, sacrorum canonum decretis, ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ antiqua consuetudine agenda & observanda sunt, hodie in sacrosanctam beati Petri principis Apostolorum basilica, in qua solemni ritu, cum iisdem venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis prædictis, Romanæ curiæ prælatis, officialibus ac familiaribus nostris, clero sæculari & regulari, ac maxima populi frequentia mane convenimus, post repetitas pro canonizationis decreto petitiones nomine ejusdem Philippi Regis, a dilecto filio nostro Ferdinando sancti Eusebii Presbytero Cardinale, per Julium advocatum prædictum, post sacros hymnos, litanias, aliasque preces, post Spiritus sancti gratiam rite imploratam, ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, ac fidei catholicæ exaltationem & religionis Christianæ augmentum, auctoritate Dei omnipotentis Patris & Filii & Spiritus sancti, beatorum Apostolorum Petri & Pauli ac nostra de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum in Urbe præsentium consilio & unanimi consensu, bonæ memoriæ Carolum Borromæum, dum vixit, Tituli sanctæ Praxedis Presbyterum Cardinalem & Archiepiscopum Mediolanensem, de cujus sanctitate vitæ, sinceritate & miraculis plene constabat & constat, Sanctum esse definivimus, ac sanctorum Confessorum Pontificum catalogo adscribendum decrevimus, prout præsentium tenore definimus, decernimus & adscribimus, illumque omnes fideles venerari mandavimus & mandamus;

Statuentes, ut ab universali Ecclesia in ejus honorem Ecclesiæ & altaria, in quibus sacrificia Deo offerantur, ædificari & consecrari possint, & singulis annis die quarta Novembris festum ipsius, & officium sancti Confessoris Pontificis ad Breviarii Romani præscriptum, devote celebretur.

Eademque auctoritate omnibus Christifidelibus, vere pœnitentibus & confessis, qui annis singulis eodem die festo, ad sepulcrum, in quo corpus ejus requiescit, devote accesserint visitandum, unum annum & unam quadragenam, iis vero, qui in ejusdem festi octava quadraginta dies de injunctis, seu quomodolibet debitis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxavimus ac relaxamus in forma Ecclesiæ consueta.

Postremo Deum Patrem æternum, Regemque gloriæ Christum, Patris sempiterni Filium, ac sanctum Paraclitum Spiritum unum Deum,

Deum, unum Dominum laudibus & confessionibus venerati, sacroque hymno decantato, solemni oratione Confessorum Pontificum per beati Caroli merita rite sumus precati, atque ad altare sancti Petri Apostoli missam egimus, cum ejusdem sancti Pontificis commemoratione, omnibusque Christifidelibus tunc præsentibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem concessimus. CONSTIT. LXXXIII. A. D. 1610.

Æquum est igitur dare nos gloriam & honorem & benedictionem viventi in sæcula sæculorum, qui benedixit conservum nostrum in omni benedictione spirituali, ut esset sanctus & immaculatus coram ipso, & cum illum dederit nobis Dominus, tamquam fulgentem stellam in hac nocte peccatorum, tribulationum nostrarum, adeamus ad divinam clementiam, ore & opere supplicantes, ut Carolus Ecclesiæ, quam vehementer dilexit, prosit etiam meritis & exemplo, adsit patrocinio & in tempore iracundiæ fiat reconciliatio, per Christum Dominum nostrum.

Ceterum, quia difficile foret præsentes nostras literas ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur, quæ ipsis præsentibus, si exhibitæ vel ostensæ essent, haberetur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum decreti, definitionis, adscriptionis, mandati, statuti, concessionis, elargitionis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo decimo, Kalendis Novembris, pontificatus nostri anno sexto.

✠ Ego Paulus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

✠

✠

✠ *Ego Antonius Maria Episcopus Prænestinus Cardinalis Gallus.*

✠ *Ego Antonius Episcopus Albanensis Cardinalis Saulus.*

✠

✠ *Ego Evangelista Tituli sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Consentinus.*

✠

✠

✠ *Ego Frater Gregorius Tituli sanctæ Mariæ Transtiberim Presbyter Cardinalis de Monte Elpero.*

✠ *Ego Franciscus Maria Tituli sanctæ Mariæ in Aracœli Presbyter Cardinalis a Monte.*

✠

✠ *Ego Flaminius Tituli sanctæ Mariæ de Pace Presbyter Cardinalis Plattus.*

✠ *Ego Fridericus Tituli sanctæ Mariæ Angelorum Presbyter Cardinalis Borromæus.*

✠ *Ego*

Dignum igitur & congruum existimavimus, ut quam Deus & unigenitus Filius ejus, Dominus noster Jesus Christus, quasi sponsam ornatam corona, & decoratam monilibus suis, in gloria miraculorum plebi suæ manifestare dignatus est, nos quoque pro pastorali sollicitudine nostra in universali Ecclesia, cui, licet meritis minime suffragantibus, præsidemus; tamquam sanctam & electam Dei, colendam & venerandam, Apostolica auctoritate decreverimus, ut omnes populi confiteantur Domino in omnibus mirabilibus ejus, & cognoscat omnis caro, quoniam non defuerunt in diebus nostris miserationes ejus: qui, quamvis peccatis nostris exigentibus, visitet nos in virga indignationis suæ, non tamen continet in ira sua misericordias suas, dum in afflictionibus nostris novis nos præsidiis munit, & amicos suos multiplicat, qui Ecclesiam suam meritorum & intercessionum suffragiis protegant ac defendant. CONSTIT. LXXXIV. A. D. 1622.

Atque ut universi Christifideles intelligant, quam abunde in ancillam suam effuderit Deus de Spiritu suo, ac propterea erga ipsam devotio in dies augeatur, insigniores quasdam ejus virtutes, & aliqua ex magnalibus, quæ in manu ejus operatus est Dominus, his literis duximus inserenda. Nata est Teresia Abulæ in regno Castellæ anno salutis humanæ millesimo quingentesimo quintodecimo, parentibus, ut genere præclaris, ita etiam vitæ integritate conspicuis; a quibus in timore Domini educata, admirandum futuræ sanctitatis in tenerrima adhuc ætate specimen dedit. Nam cum martyrum acta perlegeret, adeo sancti Spiritus igne cor ejus intra eam concaluit, ut cum fratre germano, etiam puero, domo aufugerit, ut in Africam trajiceret, ubi sanguinem ac vitam pro testimonio Jesu Christi profunderet. Sed occursu patrui revocata, cum optimam sortem sibi ereptam esse jugibus lacrymis deploraret, ardens martyrii desiderium eleemosynis, aliisque operibus compensauit.

Sed cum ad vicesimum ætatis annum pervenisset, Christo se totam despondit, & vocationem, qua ab eo vocata erat, aggressa, ad moniales sanctæ Mariæ de monte Carmelo ordinis mitigati, se contulit, ut plantata in domo Domini, in atriis domus Dei nostri floreret. Professione itaque in eo monasterio emissa, cum per duodeviginti annos gravissimis morbis, ac variis præterea tentationibus vexata esset, nullisque supernis consolationibus reficeretur, adeo invicte, adjuvante Domino, omnia pertulit, ut probatio fidei illius omni pretiosior auro, quod per ignem probatur, inventa fuerit, in laudem & gloriam & honorem, in revelationem Jesu Christi.

Et quoniam ad erigendum sublime Christianarum virtutum ædificium, fidei fundamentum ponendum fuit, illud adeo stabile ac inconcussum Teresia collocavit; ut juxta verbum Domini, comparanda sit viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram. Ea etenim firmitate sacrosancta Ecclesiæ sacramenta, ceteraque catholicæ religionis dogmata credebat & venerabatur, ut majorem, ut ipsa sæpius testificabatur, de qualibet re certitudinem habere non posset. Hac fidei lucerna illuminata, Domini nostri Jesu Christi corpus in sacratissima Eucharistia mentis oculis adeo clare intuebatur, ut assereret, nihil esse quod invideret eorum beatitudini, qui corporeis oculis Dominum conspexissent. Tantum autem vivæ spei in Domino collocaverat, ut jugiter deploraret, quod tamdium in præsenti mortali vita detineretur, quæ sibi impedimentum afferret, quo minus semper cum Domino esset;

nec raro dum in corde suo cœlestis patriæ gaudia recogitabat, mente excedebat, & ad eorum fruitionem in carne rapiebatur.

Sed inter ceteras Teresiæ virtutes præcipue emicuit dilectio Dei; quæ adeo in corde ejus exarsit, ut Confessarii ipsius Teresiæ caritatem, tamquam non hominis, sed Cherubin propriam, admirarentur, & celebrarent: quam etiam Dominus noster Jesus Christus multis visionibus ac revelationibus mirabiliter auxit. Quandoque enim data dextera, clavoque ostenso, illam in sponsam suam adoptavit, atque his verbis alloqui dignatus est: *deinceps, ut vera sponsa, meum zelabis honorem; jam ipse sum totus tuus, & tu tota mea*. Aliquando etiam Angelum vidit, ignito jaculo sibi præcordia transverberantem, ex quibus cœlestibus donis divini amoris flamma in ejus corde adeo exæstuabat, ut maxime arduum votum a Deo edocta emiserit, efficiendi semper quicquid perfectius esse, & ad majorem Dei gloriam pertinere intelligeret. Quin etiam post mortem cuidam moniali per visum manifestavit, se non vi morbi, sed ex intollerabili divini amoris incendio vita excessisse.

Sed quam perpetua caritate proximum dilexerit, multis argumentis manifestum fuit, sed præsertim ex ardenti desiderio, quo animarum salutem desiderabat. Infidelium enim, & hæreticorum tenebras perpetuis lacrymis deflebat, ac pro eorum illuminatione non solum juges ad Deum preces fundebat, sed & jejunia, flagellationes, ac alias carnis macerationes offerebat. Proposuit etiam sancta Virgo in corde suo nullum diem sine caritatis officio transigere: in quo etiam Deus ipsi auxilium præstitit. Numquam enim ei defuit, ipso largiente, exercendæ caritatis occasio.

Mirabiliter autem imitata est Dominum nostrum Jesum Christum in dilectione inimicorum. Nam cum ingentes pateretur persecutiones & adversitates, diligebat tamen persequentes, & orabat pro his, qui oderant se. Quinimo detrimenta & offensiones, quas perpetiebatur, amoris & caritatis ipsi escam ministrabant, adeo ut viri graves dicere solerent: qui amari a Teresia vellet, damno, aut injuria, ut eam afficeret, oportere.

Vota vero, quæ in professione religionis Deo voverat, maxima cura ac diligentia reddidit. Nec enim tantummodo omnes exteriores actus superiorum arbitrio maxima cum habilitate spiritus perficiebat; sed firmiter etiam in corde suo constituit, eorum voluntati omnes etiam cogitationes suas subjicere: cujus etiam rei egregia exempla reliquit, nam Dominum Jesum Christum sibi sæpius apparentem aliquando a confessariis jussa, qui delusam ab Angelo tenebrarum suspicabantur, humiliter irrisit, sprevitque, sed non sine magno tam profundæ obedientiæ premio. Quin etiam volumen, quod in Cantica canticorum insigni pietate refertum, scripserat, ut confessario obtemperaret, flammis injecit. Dicere autem solebat, sed in discernendis visionibus ac revelationibus decipi posse, in obedientia vero superioribus præstanda, falli non posse.

Paupertatem adeo dilexit, ut non solum labore manuum suarum victum sibi compararet; sed si quam monialem vilioribus indutam vestimentis conspexisset, illico sua cum illius commutaret: ac si quando sibi necessaria deficerent, mirifice lætaretur, & exultaret, gratiasque Deo ageret, tamquam insigne aliquod consecuta beneficium.

Sed

Sed inter ceteras ejus virtutes, quibus, quasi ſponſa a Deo ornata, mirifice excelluit, integerrima effulſit caſtitas: quam adeo eximie coluit, ut non ſolum propoſitum virginitatis ſervandæ a pueritia conceptum, uſque ad mortem perduxerit, ſed omnis expertem maculæ, angelicam in corpore & corde ſervaverit puritatem.

Quas adeo inſignes virtutes mirifica humilitate cordis ornabat. Cum etenim in dies divinis chariſmatibus anima ejus impinguaretur, ſæpius exclamabat ad Dominum, ut beneficiis in eam ſuis terminum ſtatueret, nec tam cito ingentium ſcelerum obliviſceretur.

Contumelias vero, & irriſiones ardentiſſime ſitiebat, ac non ſolum humanos honores, ſed noſci quoque ab hominibus abhorrebat. Invictam autem hujus ſanctæ Virginis patientiam illa vox atteſtatur, quæ ſæpius ad Dominum exclamabat: *Domine, aut pati, aut mori*.

Præter hæc omnia divinæ beneficentiæ munera, quibus hanc dilectam ſuam, quaſi pretioſis monilibus decoratam eſſe voluit omnipotens, aliis etiam gratiis & donis abunde ipſam locupletavit. Adimplevit enim eam ſpiritu intelligentiæ, ut non ſolum bonorum operum in Eccleſia Dei exempla relinqueret, ſed & illam cœleſtis ſapientiæ imbribus irrigaret, editis de miſtica Theologia, aliiſque etiam multa pietate refertis libellis, ex quibus fidelium mentes uberrimos fructus percipiunt, & ad ſupernæ patriæ deſiderium maxime excitantur.

Quibus cœleſtibus inſtructa ac illuſtrata muneribus, opus aggreſſa eſt, maximum quidem, & cuicumque difficillimum; ſed Eccleſiæ Chriſti perquam utile, ac proficuum. Reformationem enim exorſa eſt ordinis Carmelitani, illudque non ſolum iu mulieribus, ſed & in viris egregie præſtitit.

Ædificatis non modo per univerſas Hiſpanias, ſed & per alias etiam Chriſtiani orbis partes tam virorum, quam mulierum monaſteriis, ſine pecunia, ſine proventibus, de ſola Dei miſericordia præſumens, nec modo omnibus humanis deſtituta auxiliis, ſed adverſantibus plerumque, ac contradicentibus principibus & poteſtatibus ſæculi: quæ tamen, Domino opus ſuum confirmante, radices miſerunt, incrementum ſuſceperunt, & demum in domo Dei uberes proventus fructificarunt.

Tantas virtutes Tereſiæ plurimis, dum adhuc in humanis ageret, miraculis Deus illuſtravit: quorum nonnulla præſentibus literis duximus inſerenda. Cum in Conchenſi diœceſi maxima eſſet frumenti penuria, atque in monaſterio de Villa nova de Xara vix tantum farinæ reperiretur, ut per integrum menſem ad victum decem & octo monialium ſatis eſſet; hujus ſanctæ Virginis meritis & interceſſione Deus omnipotens, qui ſperantes in ſe enutrit, eam adeo abundare fecit, ut quamvis per ſex menſes ex ea affatim panes ad refectionem ancillarum Dei fierent, numquam tamen uſque ad novas fruges deminueretur. Gravi eryſipelate in vultu ac f bri affligabatur Anna a Trinitate, monialis conventus Medinæ de Campo, cui Tereſia primum blandita, deinde læſa membra leviter attrectans, *bono animo*, inquit, *ſis filia, Deus, ut ſpero, te hoc morbo liberabit*, ſtatimque febris, omniſque morbus ab ea abſceſſit. Alberta ejuſdem monaſterii Prioriſſa pleuritide ac febre, non abſque vitæ periculo, laborabat. At ſancta Virgo Tereſia, tacto latere, quod morbo urgebatur, eam ſanam eſſe pronunciavit, ac ſurgere juſſit. Illa perfecte ſanata ſtatim e lecto exiliit laudans Deum.

CONSTIT. LXXXIV. A. D. 1622.

Adveniente demum tempore, quo pro tot laboribus pro divino honore exhaustis, ac tot bonis operibus in Ecclesiæ utilitatem perpetratis, coronam decoris de manu Dei esset receptura, gravi morbo Albæ decumbens, cum toto infirmitatis tempore frequentes, ac plene admirabiles de divina caritate cum sororibus sermones habuisset, sæpius gratias Deo agens, quod se catholicæ Ecclesiæ aggregasset, commendans, tamquam præcipua bona, paupertatem, ac debitam præpositis obedientiam; accepto humillime, ac cum cœlesti prorsus caritate sacro peregrinationis suæ viatico ac extremæ unctionis sacramento, Christi Crucifixi effigiem manu tenens, ad cœlestem patriam evolavit.

Pluribus vero signis manifestavit Deus quam sublimem gloriæ gradum Teresiæ elargitus in cœlis esset. Multæ etenim moniales, religiosæ, ac timentes Deum, viderunt decorem gloriæ ejus. Alia etenim conspexit supra tectum Ecclesiæ & in choro, & super decumbentis cubiculum multitudinem cœlestium luminarium. Alia Christum Dominum magno corruscantem splendore & ingenti Angelorum frequentia circumdatum, ejus lecto assistentem. Alia plurimos albis amictos vestibus ipsius cellam ingredientes, ac cubiculi circumfusos. Quædam etiam in ipso transitus momento candidam columbam ex ipsius ore in cœlum evolantem. Alia splendorem, crystalli instar, fenestra egredientem vidit. Quin etiam quædam arbor calce, ac macerie obstructa, ac jamdudum arida, quæ cubiculo proxima erat, præter omnem temporis & naturæ rationem, repente floribus onusta in ipsa transitus hora apparuit. Corpus exanime, speciosissimum, ac nullo ruga contractum ac miro decoratum candore apparuit, ac una cum vestibus ac linteolis, quibus ægra usa erat, omnibus admirantibus, mirifice spirans odorem. Multa etiam magnalia, quæ meritis ancillæ suæ operatus est Deus, ipsius in Paradisum transitum exultabilem reddiderunt. Quædam etenim monialis dudum capitis, & oculorum infirmitate laborans, apprehensa mortuæ virginis manu ac capiti, oculisque admota, statim convaluit. Altera item ejus exosculatis pedibus, sensum odoratus amissum recuperavit, & corporaliter odorem unguentorum, quo sacrosanctum ejus corpus a Domino perfusum erat, percepit. Corpus ejus absque ullo prorsus medicamine, ligneo loculo inclusum, alte effossa ad sepulturam humo, ac ingentibus lapidibus, & calce oppleta scrobe sepultum est. Sed e sepulcro ejus odor adeo ingens, ac mirificus emanabat, ut decretum fuerat sacrum corpus exhumare, atque illud sane integrum ac incorruptum ac flexibile, ac si nuper tumulatum fuisset, repertum fuit, odorato liquore circumfusum, quo perenniter usque in præsentem diem, Deo ancillæ suæ sanctitatem jugi miraculo attestante, desudat. Quare aliis vestibus indutum, novaque arca inclusum, cum priora computruissent, eodem loco conditum fuit, lapsoque triennio, cum rursus ipsius monumentum aperiretur, ut sacrum pignus Abulam asportaretur, ac deinceps frequenter jussu delegatorum Apostolicorum inviseretur, semper incorruptum ac tractabile eodem odore ac liquore fusum apparuit.

Sed, & procedentibus temporibus manifestavit Deus hominibus gloriam suam, præstitis per intercessionem ancillæ suæ frequentibus beneficiis his, qui se fideliter ejus precibus commendassent. Puer etenim quidam quadriennis adeo contractus ac detortus erat, ut nec pedibus insistere, nec cum jaceret, movere posset, eaque infirmitas, cum illi a nativitate fuisset, nullumque afferret doloris sensum, incurabilis prorsus

prorsus videbantur : cumque per novem dies ad cubiculum, quod vivens sancta Virgo inhabitaverat, allatus fuisset, sensit in se virtutem venientem, ac repente sanus ac validus, ac suis pedibus ambulans, stupentibus cunctis, cœpit diffamare, se a matre Teresia de Jesu perfectam sanitatem fuisse consecutum. Sævissimis doloribus per biennium cruciabatur Anna a sancto Michaele monialis, tribus cancris pectus ejus adeo affligentibus, ut non solum somni expers esset, sed nec collum flectere, nec brachia posset attollere : cumque particulam reliquiarum sanctæ Teresiæ, super pectus apposuisset, & toto cordis affectu se ejus patrocinio commendasset, non solum omnis evanuit plaga a corpore ejus, sed & alia etiam, quam in corde diu habuerat, infirmitate, libera momento temporis effecta est. Adeo vexabatur Franciscus Perez parochialis Ecclesiæ rector apostemate, quod in os pectoris insederat, ut brachio etiam contracto, a celebratione sacrosancti missæ sacrificii per quinque menses impediretur : humanisque remediis deficientibus, ad divina confugit, & ad montes Dei elevans oculos, salutem consecutus est. Epistolam enim Virginis Teresiæ manu exaratam pectori admovens, consecutus est ejus partis sanitatem : cumque deinde sepulcrum Virginis visitasset, ejusque brachium, quod Albæ asservatur, proprio brachio, quod adhuc contractum erat, admovisset, in eo etiam divinam virtutem expertus est, restituta sibi perfecta valitudine. Johannes de Leyna magno gutturis morbo adeo affligebatur, ut omnis respirationis via fere interclusa esset, jamque morti proximus animam agebat, cum sudarium, quod sanctæ Teresiæ fuerat, ad morbi locum magna cum fiducia apposuit, somnoque captus, ac paulo post experrectus, se meritis beatæ Teresiæ curatum esse, repente sanus exclamavit.

Cum igitur per universas jam gentes & nationes sanctitas Teresiæ celebraretur, & nomen ipsius ad Christifideles magno in honore esset, operante Domino per intercessionem ejus tot mirabilia, quæ etiam in dies una cum ipsius veneratione augebantur, fuerunt auctoritate Apostolica in multis Hispaniæ partibus formati processus, ac ad sanctam hanc Sedem transmissi.

Et instanter agente claræ memoriæ Philippo III. Hispaniæ Rege Catholico, negocio tam in sacrorum Rituum Congregatione, quam in Rota diligenter discusso, felicis recordationis Paulus V. prædecessor noster indulsit, ut in ejus honorem, tamquam de beata Virgine, divinum officium in toto Fratrum Carmelitanorum ordine posset celebrari. Cumque idem Philippus Rex iterum apud prædictum Paulum similiter prædecessorem nostrum, pro canonizatione beatæ Virginis Teresiæ supplicasset, idem Paulus iterum negocium commisit Cardinalibus sacrorum Rituum Congregationis : qui novos processus auctoritate Apostolica conficiendos decreverunt, atque ad id munus peragendum bonæ memoriæ Bernardum Cardinalem de Rojas Archiepiscopum Toletanum, & venerabiles fratres Episcopos Abulensem & Salmanticensem eadem auctoritate deputarunt, qui cum diligenter de mandato negocio perfuncti essent, omnia acta eidem Paulo V. prædecessori nostro transmiserunt.

Qui, tribus Apostolici palatii causarum auditoribus Francisco Archiepiscopo Damasceno Locumtenenti, tunc sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, Johanni Baptistæ Coecino Decano, & Alphonso Manzanedo dedit in mandatis, ut summa cum diligentia dicta acta examinarent,

& quæ

CONSTIT. LXXXIV. A. D. 1622.

& quæ eorum sententia esset, ad ipsum referrent. Qui, omnibus accurate, prout rei magnitudo postulabat, perpensis, eidem Paulo V. prædecessori retulerunt, plene justificari vitæ sanctitatem ac miracula beatæ Virginis Teresiæ, omniaque abunde constare, quæ pro canonizatione ejusdem a sacris canonibus requiruntur, posseque ad ulteriora procedi.

Utque ea maturitate, quæ rem tantam decebat, negocium transigeretur, idem Paulus dilectis filiis nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus sacris Ritibus præfectis ordinavit, ut prædictos processus quamdiligentissime rursus inspicerent, ac de tota causa accurate cognoscerent.

Cum vero idem Paulus humanæ peregrinationis viam complevisset, nosque (nullis licet nostris meritis) sola divinæ gratiæ dignatione ad Ecclesiæ gubernacula vocati essemus, ad augmentum divini honoris, & sanctæ Ecclesiæ utilitatem pertinere arbitrati sumus, ut hujusmodi negocium promoveretur; plurimum etiam ad præsentium temporum calamitatem levandam interesse existimavimus, si Christifidelium devotio erga sanctos & electos Dei, qui pro nobis in tantis necessitatibus intercederent, augerentur. Mandavimus itaque prædictis Cardinalibus, ut quod illis a prædecessore nostro prædicto fuerat injunctum, quamprimum exequerentur.

Quod cum illi ea diligentia, qua decebat, perfecissent, ac pro sanctæ Virginis canonizatione omnes unanimiter censuissent, venerabilis frater noster Franciscus Maria Episcopus Portuensis Cardinalis a Monte, totius processus summam, ac suam, collegarumque sententiam, coram nobis in consistorio nostro exposuit: quibus auditis, reliqui Cardinales, qui aderant, ad ulteriora fore procedendum communi suffragio pronunciarunt.

Igitur cum in publico consistorio dilectus filius Johannes Baptista Millinus, consistorialis aulæ nostræ advocatus, pro ejus canonizatione perorasset, ac nomine carissimi in Christo filii nostri, Philippi Hispaniarum Regis Catholici, ut ad eam procedere dignaremur, humiliter supplicasset; nos de re tanta venerabiles fratres nostros sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales & Episcopos in curia præsentes consultores esse respondimus, atque interim Cardinales, atque Episcopos præsentes vehementer in visceribus Christi hortati sumus, ut orationibus instantes, in jejuniis & eleemosynis animas suas coram Deo nobiscum humiliantes, preces a Deo Patre luminum exposcerent, ut ex alto super nos lucem suam & veritatem suam emitteret, quæ nos ad voluntatem & beneplacitum ejus cognoscendum & perficiendum deduceret. Itaque cum semipublico consistorio, quod consequenter celebratum est, vocatis non modo Cardinalibus, sed Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis in curia nostra existentibus, præsentibus etiam notariis ac Sedis Apostolicæ notariis, ac sacri palatii Apostolici causarum auditoribus, cum plura a nobis de eximia sanctitate ancillæ Dei, ac miraculorum frequentia & celebritate, populorumque erga eam per universas Christianas nationes devotione, commemorata fuissent: expositis etiam instantiis, quæ coram nobis non modo nomine maximorum Regum, sed etiam carissimi in Christo filii nostri, Ferdinandi Romanorum Regis in Imperatorem electi, aliorumque complurium Christianorum Principum fiebant, omnes concorditer, ac uno ore benedicentes Deum, amicos suos honorificantem, beatam Teresiam canonizandam esse, atque

atque inter sanctas Virgines adscribendam censueverunt. Quorum omnium audito censensu, intimo cordis affectu exultavimus in Domino, & jubilavimus in salutari ejus gratias agentes Deo, & Filio ejus Domino nostro Jesu Christo, quod Ecclesiam misericorditer respexisset, ac tanta gloria illustrare decrevisset. Canonizationis itaque publicavimus diem, eosdemque fratres ac filios nostros monuimus, ut in orationibus & eleemosynis perseverarent, ut in tanto opere exequendo splendor Domini Dei nostri esset super nos, qui opus manuum nostrarum ad perficiendam ejus voluntatem dirigeret. CONSTIT. LXXXIV. A. D. 1622.

Demum peractis omnibus, quæ ex sacris constitutionibus, ac Romanæ Ecclesiæ consuetudine peragenda erant, hodie in sacrosanctam principis Apostolorum basilicam, cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, necnon Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, Romanæque curiæ prælatis, officialibus & familiaribus nostris, clero sæculari & regulari, ac maxima populi frequentia convenimus, ubi repetitas pro canonizationis decreto petitionibus nomine ejusdem carissimi in Christo Filii nostri Philippi Regis Catholici, a dilecto filio nostro Ludovico Tituli S. Mariæ Transpontinæ Cardinali, Ludovisio nuncupato, nostro secundum carnem nepote, per Nicolaum Zambeccarium consistorialis aulæ nostræ advocatum prædictum, decantatis sacris precibus & litaniis, ac Spiritus sancti gratia humiliter implorata; ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, & fidei catholicæ exaltationem, auctoritate omnipotentis Dei, Patris & Filii & Spiritus sancti, beatorum Apostolorum ac nostra de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum in Romana curia præsentium consilio & unanimi consensu, bonæ memoriæ Teresiam Virginem de Abula, de cujus vitæ sanctitate, fidei sinceritate & miraculorum excellentia plene constabat & constat, Sanctam esse definivimus, ac sanctarum Virginum catalogo adscribendam decrevimus, prout præsentium tenore definimus, decernimus & adscribimus, illamque universos Christifideles, tamquam vere Sanctam honorare & venerari mandavimus & mandamus;

Statuentes, ut ab universali Ecclesia in ejus honorem Ecclesiæ & altaria, in quibus sacrificia Deo offerantur, ædificari & consecrari, & singulis annis die quinta Octobris, quo ad cœlestem gloriam translata est, ejus officium, ut de sancta Virgine, ad præscriptum Romani Breviarii celebrari possit.

Eademque auctoritate omnibus Christifidelibus, vere pœnitentibus & confessis, qui annis singulis eodem festo die ad sepulcrum, in quo corpus ejus requiescit, visitandum accesserint, unum annum & unam quadragenam; iis vero, qui in ejusdem festi octava, quadraginta dies de injunctis eis, seu quomodolibet debitis pœnitentiis, misericorditer in Domino relaxavimus ac relaxamus.

Postremo gratiis Deo actis, quod Ecclesiam suam insigni hoc, novoque luminare illustrare dignatus esset, decantata in sanctæ Teresiæ honorem solemni sanctarum Virginum oratione, ad altare principis Apostolorum missam celebravimus cum ejusdem sanctæ Virginis commemoratione, omnibusque Christifidelibus tunc præsentibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam concessimus.

Decet igitur, ut pro tam insigni beneficio omnes cum omni humilitate benedicamus & glorificemus eum, quem decet omnis benedictio & honor & gloria & potestas in sæcula sæculorum, assiduis precibus ab

eo

CONSTIT. LXXXIV. A. D. 1621.

eo postulantes, ut per intercessionem electæ suæ a peccatis nostris faciem suam avertens, misereatur nostri, & respiciat nos, & ostendat nobis lucem misericordiarum suarum, & immittat timorem suum super gentes, quæ non cognoverunt eum, ut cognoscant, quia non est alius Deus, nisi Deus noster.

Ceterum quia difficile foret, præsentes nostras literas ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum definitionis, decreti, adscriptionis, mandati, statuti, relaxationis & voluninfringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vicesimo primo, quarto idus Martii, pontificatus nostri anno secundo.

✠ Ego Gregorius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

✠ *Ego Antonius Cardinalis Saulus Decanus.*
✠ *Ego Franciscus Maria Cardinalis a Monte Episcopus Portuensis.*
✠ *Ego Franciscus Sfortia Cardinalis Episcopus Tusculanus.*
✠ *Ego Alexander Cardinalis Montaltus Episcopus Albanensis, S. R. E. Vicecancellarius.*
✠ *Ego Octavius Episcopus Prænestinus Cardinalis Bandinus.*
✠
✠ *Ego Andreas Tituli sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Perettus.*
✠
✠
✠
✠ *Ego Johannes Baptista Tituli sanctorum Petri & Marcellini Presbyter Cardinalis Detus.*
✠
✠ *Ego Dominicus Tituli sanctorum XII. Apostolorum Presbyter Cardinalis Gymnasius.*
✠
✠ *Ego Carolus Tituli sancti Cæsarei Cardinalis Madrutius.*
✠
✠
✠ *Ego Scipio Tituli sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis Burghesius.*
✠ *Ego Maphæus Tituli sancti Onuphrii Presbyter Cardinalis Barberinus.*
✠ *Ego Johannes Garsia Tituli sanctorum Quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis Millinus.*

✠ *Ego*

✠ *Ego Marcellus Tituli sanctorum Quirici & Julittæ Presbyter Cardinalis Lantes.* CONSTIT. LXXXIV. A.D. 1622.

✠

✠ *Ego Fabricius Tituli sancti Augustini Presbyter Cardinalis Verallus.*

✠ *Ego Johannes Baptista Tituli sanctæ Cæciliæ Presbyter Cardinalis Lenius.*

✠ *Ego Dominicus Tituli sancti Martini in Montibus Presbyter Cardinalis Rivarola.*

✠

✠

✠

✠ *Ego Gaspar Cardinalis Borgia Tituli sanctæ Crucis in Hierusalem.*

✠ *Ego Robertus Tituli sancti Alexii Presbyter Cardinalis Ubaldinus.*

✠ *Ego Tiberius Tituli sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis Mutus.*

✠ *Ego Gabriel Tituli sancti Bartholomæi in Insula Presbyter Cardinalis de Trejo.*

✠

✠

✠

✠

✠

✠ *Ego Scipio Presbyter Cardinalis sanctæ Susannæ, S. R. E. Bibliothecarius.*

✠

✠

✠

✠ *Ego Guido Tituli sanctæ Mariæ de Populo Presbyter Cardinalis Bentivolus.*

✠ *Ego Petrus Tituli sancti Salvatoris in Lauro Presbyter Cardinalis Valerius.*

✠ *Ego Itelius Fridericus Tituli sancti Laurentii in Pane & Perna Cardinalis de Zolleren.*

✠

✠

✠ *Ego Julius Tituli sanctæ Mariæ super Minervam Cardinalis Roma.*

✠ *Ego Frater Desiderius Tituli sancti Clementis Cardinalis de Cremona.*

✠ *Ego Stephanus Tituli sanctæ Mariæ in Via Cardinalis Pignatellus.*

✠

✠ *Ego Franciscus Tituli sancti Matthæi in Merulana Presbyter Cardinalis Sacratus.*

✠ *Ego M. Antonius Tituli sancti Eusebii Presbyter Cardinalis Gozadinus.*

✠

✠ *Ego Alexander Tituli sanctæ Mariæ in Via Lata Cardinalis Estensis.*

✠

CONSTIT. LXXXIV.
A. D. 1622.

✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠ *Ego Carolus Emanuel sancti Nicolai in Carcere Tulliano Cardinalis Pius.*
✠ *Ego Mauricius sancti Eustachii Diaconus Cardinalis de Sabaudia.*
✠ *Ego Carolus sanctae Mariae in Domnica Cardinalis Medices.*
✠ *Ego Ludovicus sancti Hadriani Cardinalis de la Vallette.*
✠ *Ego Franciscus sancti Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Boncompagnus.*
✠ *Ego Hippolytus sanctae Mariae Novae Cardinalis Aldobrandinus.*
✠
✠
✠
✠
✠

N O T A.

Teresia, alias *Teresa*, a Jesu, Carolum Borromaeum jure subsequitur. Utrique enim instaurandae sanctioris disciplinae spiritum divinitus datum fuisse constat. Dei Virgo Abulae in Hispania Tarraconensi, alias Castella veteri, orta est die XII. Martii A. D. 1515. Obiit die IV. Octobris A. D. 1582. Libros coelesti doctrina refertos conscripsit, quos ex Hispano fere omnes translatos, nobiliores linguae suos fecerunt. Hi postremo Hispanice editi sunt in tomos IV. divisi, Bruxellis apud Jo. Foppens A. D. 1674. & 1676. quorum duos posteriores utilissimis notis suis illustravit venerabilis Dei servus Jo. Palafoxius Oxomensis Episcopus. Vide Nicolaum Antonium in Bibliotheca Hispana nova tomo II. pag. 239. Ceterum Gregorius XV. una cum beata Teresia quatuor alios Dei servos Sanctorum canoni adscripsit. Hi sunt

1 Philippus Nerius.
2 Ignatius Loyola.
3 Franciscus Xaverius.
4 Isidorus Agricola.

Non tamen Gregorius ipse harum Canonizationum Bullas vulgavit; sed priores tres Urbanus VIII. successor, quartam vero nunc feliciter sedens BENEDICTUS XIII. quam propterea cum ceteris bene multis, ab eodem Sanctissimo Pontifice vulgatis, postmodum in fine hujus Codicis proferemus.

URBA-

CONSTIT. LXXXV. A. D. 1623.

LXXXV.
URBANUS. VIII

Beatum Philippum Nerium Florentinum in Tuſcia, Congregationis presbyterorum Oratorii inſtitutorem, per Gregorium XV. Pont. Max. Sanctorum confeſſorum canoni adſcriptum fuiſſe promulgat.. Obiit Philippus die XXVI. Maji A. D. 1595.

URBANUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Const. LXXXV. A. D. 1623.

Rationi congruit & convenit æquitati, ut ea, quæ de Romani Pontificis providentia proceſſerunt, licet, ejus ſuperveniente obitu, literæ Apoſtolicæ deſuper confectæ non fuerint, ſuum debitum conſequantur effectum.

Dudum ſiquidem felicis recordationis Gregorius Papa XV. prædeceſſor noſter pie præmeditatus, quod ſupremus ille & diligens Pater familias, qui ab origine mundi plantavit vineam ſuam, univerſalem ſcilicet Eccleſiam, in eam quotidie non deſinat mittere operarios, quorum aſſiduitate culturæ, illa vepribus expurgata fructum afferat, vel centeſimum, vel ſexageſimum, vel triceſimum quoque, ante Incarnationem Verbi miſit in eam Patriarchas & Prophetas, viroſque ſanctiſſimos, qui portaverunt pondus diei & æſtus, poſt aſſumptam vero humanitatis noſtræ ſubſtantiam venit vocare noviſſimos, ſanctos vid licet Apoſtolos, qui vineam hanc & fidei fervore, & prædicationis verbo per univerſum propagarunt orbem, iiſque adjunxit non ſolum fortiſſimorum Martyrum exercitus, qui effuſo ſanguine illam irrigarunt uberrime, ſed etiam Confeſſorum laudabilem numerum, quorum ſanctitatis exemplo hæc vinea ubique terrarum odorem afflat ſuaviſſimum:

Inter quos paucis ante annis ſanctimoniam redolere ſatis conſtiterat beatum Philippum Nerium, Congregationis Oratorii fundatorem, cujus & vitæ puritas, & omnium virtutum congeries, & miraculorum gloria plurimum elucebat, ipſius beati Philippi catalogo Sanctorum adſcriptioni decrevit intendere.

Cumque jam ab ipſo die, quo dictus beatus Philippus obdormiverat in Domino, fama ſanctitatis & miraculorum ejus adeo creviſſet, ut ſtatim dignus canonizatione acclamaretur, & multi viri graves de illa promovenda cogitaſſent, & apud piæ memoriæ Clementem VIII. etiam prædeceſſorem noſtrum deſuper egiſſent, & ejuſdem Clementis præde-

CONSTIT. LXXXV. A. D. 1623.

cessoris auctoritate vivæ vocis oraculo concessa, statim, eodem ipsius beati Philippi obitus anno, in Urbe & extra eam fuissent receptæ informationes, & facti processus super illius virtutibus, sanctitate & miraculis.

Et successive coram similis recordationis Paulo V. pariter prædecessore nostro pro eadem canonizatione carissimus in Christo filius noster Ludovicus Franciæ & Navarræ Rex Christianissimus, & carissima etiam in Christo filia nostra Maria, ejusdem Ludovici Regis mater, ac dilecti filii, nobiles viri Senatus populusque Romanus, & Maximilianus utriusque Bavariæ, necnon Carolus Gonzaga Nivernensium, & dum in humanis agerent, Ferdinandus I. & post ejus obitum Cosmus II. Magni Etruriæ, eis subjectæ, Duces, & dilectæ in Christo filiæ, nobiles mulieres Christiana Cosmi mater, & Catharina Caroli præfati uxor, ac etiam dilecti filii Presbyteri dictæ Congregationis institissent;

Et Paulus prædecessor prædictus venerabilibus fratribus nostris, tunc suis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, super sacris Ritibus deputatis, per suas in forma brevis sub anulo piscatoris desuper expeditas literas commisisset, ut inquirerent in genere prius, ac deinde in specie super fama sanctitatis, virtutibus & miraculis dicti beati Philippi, formarent, juris ordine servato, processum;

Eoque diligentissime peracto, & facta per bonæ memoriæ Dominicum ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, Pinellum nuncupatum, relatione, ex processu videlicet in genere facto, plene constare de fama sanctitatis & miraculorum dicti beati Philippi, ac deveniri merito posse ad inquisitionem in specie;

Dictus Paulus prædecessor, bonæ memoriæ Francisco Peniæ Rotæ decano, & Horatio Lancellotto, ipsoque Horatio promoto ad Cardinalatus honorem, Alexandro Ludovisio, tunc in minoribus constituto, qui deinde ad summi Apostolatus apicem assumptus, Gregorius XV. prædictus fuit nuncupatus, ac venerabili fratri nostro Dionysio de Marquemont Ecclesiæ Lugdunensi postmodum præfecto, omnibus causarum palatii Apostolici tunc auditoribus, ut conjunctim, vel saltem duo eorum procedentes, inquisitiones & probationes hujusmodi facerent, factasque referrent, demandasset;

Dictique auditores commissarii, injuncto sibi officio diligenter perfuncti, totius negocii seriem in scriptis eidem Paulo prædecessori retulissent;

Et dictus Paulus prædecessor relationem, ut præfertur, factam una cum iteratis instantiis ac precibus dictorum Principum & Presbyterorum dictæ Congregationis Oratorii, ad prædictos Cardinales, ut præfertur, deputatos, remisisset, ac omnibus per bonæ memoriæ Robertum dictæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, Bellarminum nuncupatum, ad id specialiter electum, examinatis & relatis in octo Congregationibus, diversis temporibus habitis, de validitate processuum in specie factorum, tam in dicta Urbe, quam extra eam, & de fide, spe, caritate, virginitate, de prophetia, aliisque donis & virtutibus, de fama sanctitatis & miraculis quamplurimis tum in vita, tum post obitum dicti beati Philippi, plene constare, servatis servandis conclusum & decretum extitisset;

Idem Paulus prædecessor, ut in illius honorem, tamquam de Confessore non Pontifice, missa celebrari, & officium recitari in Ecclesia beatissimæ Virginis Mariæ & sancti Gregorii in Vallicella de Urbe licite

licite posset, indulsit, & successive indultum hujusmodi ad alias ejusdem instituti Congregationes in aliis Ecclesiis extra Urbem, canonice erectas, extendit. CONSTIT. LXXXV. A. D. 1623.

Dictoque Paulo prædecessore viam universæ carnis ingresso, prædictus Gregorius prædecessor, qui illi in Apostolatus ministerio successit, beati Viri sanctitatem (quippe qui virtutum illius excellentiam in minoribus, ut præfertur, constitutus, bene noverat) veneratus, & Christifidelium devotione, precibusque dictorum Principum instantius, quam unquam, repetitis permotus, negocium canonizationis illius perficiendum constituit;

Et adhunc effectum prædictis Cardinalibus dictæ Congregationis sacrorum Rituum mandavit, ut prædictos processus omni, qua decebat diligentia, rursus inspicerent, & universam causam sibi referrent:

Qui quidem Cardinales dictum Robertum Cardinalem denuo elegerunt, eoque ab humanis exempto, dilectum filium nostrum tunc ejusdem Gregorii prædecessoris, Petrum Paulum ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, Crescentium nuncupatum, in ejus locum subrogarunt: & negocio exactissime discusso, ac diligentissime examinato servatis similiter servandis, unanimiter congregati censuerunt plenissime constare tam de validitate processuum, quam de vitæ sanctitate, virtutibus & miraculis, tum in vita, tum post mortem dicti beati Philippi, itaut si dicto Gregorio prædecessori videretur, posset dictus beatus Philippus in Sanctorum numerum adscribi.

Cumque nihil jam superesset ulterius, idem Gregorius prædecessor voluit in consistorio suo secreto de his omnibus relationem fieri, & venerabilis frater noster, tunc suus, Franciscus Maria Episcopus Ostiensis, tunc Portuensis, & Cardinalis a Monte nuncupatus, suo & aliorum dictæ sacrorum Rituum Congregationis Cardinalium nomine summam processus exposuit, & ex rebus ab ipso beato Philippo præclare gestis selegit nonnullas, quas disertis plane verbis enarravit, ac se ceterosque dictæ Congregationis sacrorum Rituum Cardinales censuisse asseruit, dictum beatum Philippum, si ipsi Gregorio prædecessori visum foret, Sanctorum catalogo aggregari posse: in quorum sententiam reliqui omnes Cardinales, in dicto consistoriotunc assistentes, de quorum numero nos quoque tunc eramus, suo quisque suffragio ex ordine devenerunt.

Et successive idem Gregorius prædecessor ex antiquo Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, tunc suorum instituto, publico consistorio, in quo præter dictos Cardinales etiam venerabiles fratres nostri Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, ac alii Romanæ curiæ Prælati, & dicti Gregorii prædecessoris familiares dilecti filii convenerunt, convocato, dilectus filius Magister Johannes Baptista Spada junior, aulæ consistorialis advocatus de vita, virtutibus & miraculis dicti beati Philippi dixit, & nomine prædictorum Principum illius canonizationem suppliciter petiit: quibus auditis, dictus Gregorius prædecessor respondit, se precibus libenter assentiri.

Sed quoniam non audebat sancta Sedes librum æternæ vitæ perscrutari, nisi Spiritu sancto aperiente, velle se diutius immorari, ac maturius procedere, & propterea omnes in Domino rogavit, ut secum una orationibus, jejuniis ac eleemosynis divinæ voluntatis arbitrium explorarent.

Demum

CONSTIT. LXXV. A. D. 1623.

Demum vero, consistorio, quod semipublicum vocant, indicto, in quo prædicti omnes, ac etiam Sedis Apostolicæ notarii, & causarum dicti palatii auditores dilecti filii interfuerunt, omnes beatum Virum canonizandum esse publicis suffragiis judicarunt: quorum unanimi consensu audito, ipse Gregorius prædecessor aperiens os suum in benedictiones, gratias egit divinæ clementiæ, quod tantam contulisset gratiam servo suo;

Statuitque illum inter Sanctos referre una cum beatis Isidoro Agricola & Ignatio Loyola, ac Francisco Xaverio, necnon Teresia: de cujus quidem beati viri Philippi origine, vita, virtutum donis & miraculis aliqua ex multis in processu deductis recensenda duxit.

Est igitur natus beatus Philippus Florentiæ millesimo quingentesimo decimo quinto salutis anno, sedente Leone X. Pontifice Maximo, & in Ecclesia sancti Johannis Baptistæ baptismali fonte ablutus. Franciscum Nerium & Lucretiam Soldiam, honestissimæ vitæ, atque probatæ integritatis parentes habuit: a quibus adhuc puerulus optimis moribus imbutus, ab ipsa ineunte ætate ob præclaram, quam præferebat, naturæ indolem, non modo aliorum animos in sui rapiebat amorem, ut *Pippus bonus* appellaretur, sed, divina in omnibus juvante gratia, videretur de se magnum aliquid præponere.

Nam octo annos natus una cum asello, quem conscenderat, in cellam vinariam præceps delapsus, atque jumenti onere oppressus, ingenti admiratione, qui mortuus credebatur, extractus est vivus & incolumis.

Ubi vero ad annum pervenit ætatis decimum octavum, missus est a Patre ad oppidum sancti Germani, ut ibi apud Patruum, opibus abundantem, mercaturam exerceret: qui adolescentis optimi lætificatus adventu, ipsum brevi propter ejus probitatem in hæreditatem vocare constituit.

At vero Philippus cœlestium desiderio in dies ardentior, a Patrui gratia & benevolentia sibi timere cœpit, donec duobus annis transactis, mercaturæ nobilioris avidus, contempta viginti millium aureorum hæreditate ab illo oblata, Romam inde se contulit: ubi opportunum, & aptum ad solida virtutum officia nactus locum, pietatis operibus Philosophiæ ac Theologiæ studium adjunxit.

Et interim arctam vitæ viam ingressus, humi plerumque cubare, tenui victu, atque assiduo jejunio delectari, & aliquando per triduum ab omni cibo abstinere: septem præcipuas Urbis Ecclesias obire, & in cœmeterio, Calisti nuncupato, in oratione pernoctare sæpe consuevit.

Ac vix annum ætatis suæ vicesimum nonum attigerat, cum inter alia divinitus accepta dona, plane mirabilis cordis palpitatio fuit, ac fracturæ costarum: quæ publico medicorum testimonio præter naturæ ordinem obtigit, quasi mentis dilatato sinu, etiam caro dilataretur, & exultaret in Deum vivum.

Et ad animarum propterea subsidium se multo magis vocari sentiens, de solitariæ vitæ severitate divino nutu remittere cœpit, atque inter cujusque conditionis homines ea mente versari, ut publicis adhortationibus & privatis colloquiis Christo Domino quamplurimos lucraretur, nullo incommodo, nullo penitus devitato labore:

Eodemque fere tempore, quo sanctissimæ Trinitatis confraternitas ad peregrinorum & convalescentium commoditatem ipsius consilio, atque

atque opera fuit instituta, cum unoquoque mense quadraginta horarum supplicatio decreta esset, ipse totas pene noctes deducebat insomnes, & confratres ad orationem hortabatur, & exemplo mirifice incitabat. CONSTIT. LXXXV. A. D. 1623.

Cum vero ad tricesimum sextum annum pervenisset, confessarii jussu sacerdos factus, & audiendis fidelium confessionibus præfectus, in ædibus sancti Hieronymi, de Caritate nuncupati habitavit.

In cujus Ecclesia ad sacramentorum frequentiam, & ad dandam scientiam salutis semper intentus, in proprio etiam cubiculo pia de divinis collocutione illos erudiebat, qui ejus sese disciplinæ tradiderant.

Et in hoc ipso suorum progressu attendit animum Indias adeundi, ad viam Domini excolendam, & fructus uberiores, etiam profuso sanguine reportandos.

Ut autem ea de re supernum consilium exploraret, virum Cisterciensis ordinis pietate insignem consuluit, a quo revelante Deo admonitus est, ejus Indias Romæ futuras.

Quamobrem majori succensus ardore, non solum durissima peccatorum servitute pressos ad Christi Domini obsequium traducere studuit, verum etiam sedens in tenebris & umbra mortis infideles ad clarissimum fidei lumen adduxit: quo illustrati nonnulli Hebræi Christum recipere, & Hæretici ad catholicam veritatem redire non dubitarunt.

Certe de novatoribus revincendis, vel ad Romanam Ecclesiam reducendis maxime visus est fuisse sollicitus, cum bonæ memoriæ Cæsarem Presbyterum Cardinalem Baronium nuncupatum, adhuc in minoribus constitutum, ad opus Annalium per tot annos urgere non destitit, ut ipsemet postea Cardinalis scripserit, non se Annalium ecclesiasticorum, sed Philippum auctorem extitisse.

Jamque in Ecclesia sancti Hieronymi piis ac familiaribus colloquiis diu ad virtutes erudierat confluentes, cum ad majorem fructum ex verbi Dei semine percipiendum, ex filiis quos Christo genuerat, delectis nonnullis recolendæ memoriæ Gregorii XIII. etiam prædecessoris nostri, auctoritate, apud dictam Ecclesiam beatissimæ Virginis Mariæ, & sancti Gregorii Congregationem prædictam Oratorii fundavit.

Et congruentibus institutis a prædicto Paulo prædecessore postea confirmatis in presbyterorum sæcularium statu, absque voti ullius, vel promissionis vinculo, ad quatuor familiares sermones singulis in hebdomada feriis, excepta die Sabbati, divinis de rebus habendis, ad quotidianam sub vesperam in Oratorio publico orationem, ad sacramentorum frequentiam, & ad alias complures Christianæ pietatis exercitationes retinendas munivit ac stabilivit.

Ut autem speciatim tanti viri virtutes agnoscantur, & per viam salutis incedentibus subsidio esse valeant, non est omittendum, quod is fuit in primis caritate in Deum admirabili, ut internus ille ignis nonnumquam, dum attenderet ad divina, redundaret in corpus, & facies atque oculi scintillulis micarent, atque etiam ex improviso illa Apostoli verba sæpius usurparet, *Cupio*, sed mox animadvertens, suæ in Deum devotionis occultandæ gratia, reliquum sententiæ reticebat, nimirum, *dissolvi, & esse cum Christo*.

Perpetuo, atque ardenti studio venerandum Eucharistiæ colebat sacramentum, vel enim laicus, vel sacerdos celebrans, vel ægrotans in lectulo, illius quotidiana susceptione reficiebatur. Verum inter celebrandum

CONSTIT. LXXXV. A. D. 1623.

brandum fervidus ligneum altaris gradum quodam exultationis tremore concutiebat.

In ipsa Dominicæ passionis memoria, atque iniquorum hominum ingratitudine gemitus fundebat uberrimos, & miraculo tribuebatur, quod præ assidua lacrymandi consuetudine vim oculorum non emisisset.

Inter cetera, quibus ad hujusmodi caritatis gradum pervenit Philippus, summum fuit orationis studium, cui inexplicabili desiderio semper addictus, omnia Congregationis exercitia in eam quodammodo tendere curavit, ut inde merito *Oratorii* Congregatio fuerit appellata.

Hæc ipsa beati viri caritas miris modis redundabat in singulos cujusque conditionis homines. Nam omnium utilitati ac necessitati expositus, nullum sibi tempus certum esse voluit, in quo suæ parceret valetudini, & quod habitabat cubiculum, non pateret aliorum commoditati, summa lenitate excipiens ad se venientes, factus omnibus omnia, ut omnes Christo lucrifaceret.

Singulari præsertim industria per Christianæ lætitiæ semitas deduxit adolescentes, qua vel septem Urbis Ecclesias, vel Xenodochia, vel alia pia exercitia frequentantes, labore ac molestia ex parte levarentur.

Summa item assiduitate visebat ægrotantes, præsertim e suis, nec eos diserebat, dum nosset mortis periculum instare.

Tentationes diaboli repellebat mirabiliter, atque a plurimis, laborantibus in extremis, cum ipse accederet, proferretque verba: *Quis istic*? Dæmones ad vocem perterriti, sese in fugam visi sunt conjicere.

Curabat autem hominum saluti non solum interno, sed etiam externo subvenire subsidio, & numerosis plerumque familiis necessaria suppeditare, dotem indigentibus virginibus elargiri, egenis religiosorum domibus opem ferre, vinctis in carcere eleemosynas abundanter impertiri, ut merito Pater animarum diceretur & corporum: quem caritatis affectum etiam miraculis Dominus comprobavit.

Intempesta enim nocte panem deferens ad familiam, in egestate multa constitutam, in persunda foveam incidens, ab Angelo incolumis ereptus est: qui etiam alias Angelo sub specie pauperis eleemosynam sibi petenti omnem pecuniam, quam apud se habebat, prompto atque hilari obtulit animo.

Caritati virginitatis donum adjunctum habuit, quo multi, qui cum ipso versabantur, vel vultus atque oculorum intuitu, vel suavi fragantia, qua illius corpus redolere consueverat, recreabantur.

Solitus ipse pudicitiam ex odore, impudicitiam ex fætore dignoscere, soloque manuum contactu impuris tentationibus esse remedio.

Huic integerrimæ puritati sæpe humani generis hostis per impudicas mulieres tetendit insidias. Ipse vero ad orationem semper confugiens, victor gloriosus evasit.

Eam ob causam perpetuæ debitus abstinentiæ; loco prandii, tenui utebatur jentaculo, cui cœna succedebat non absimilis. Abstinuit semper a cujusvis generis lacticiniis, raro pisces, carnes vero rarissime degustavit. Potu fuit admodum tenui, aqua magis usus, quam vino. Ea demum erat potus, cibique parcitas, ut sustentari, medicorum attestatione, naturæ viribus non valeret; crederetur tamen

(præ-

(præsertim a suis) Eucharistiæ virtute vitam ad senectutem traduxisse.

Cum hujusmodi abstinentia conjunxit etiam rerum omnium mundanarum contemptum. Non modo enim hæreditatem ac patrimonium respuit, & quam multas sibi testamento relictas facultates, summa animi constantia repudiavit; sed etiam dum in ædibus sancti Hieronymi habitaret, nudis contentus cellulis, consueta stipendia recusavit.

Ab honoribus atque ecclesiasticis dignitatibus alienus, adduci numquam potuit, ut pensiones atque beneficia reciperet. Canonicatus in Urbe primos, Episcopatum & Cardinalitiam dignitatem a piæ etiam memoriæ Gregorio XIV. & prædicto Clemente, prædecessoribus nostris sibi oblatam, omnino recusavit.

Humillimus fuit, atque beati Francisci exemplo se maximum ex peccatoribus constanter affirmabat: ideoque contestari quotidie solitus Deum his fere verbis: *A me tibi caveas Domine. Te enim hodie traditurus sum, & omnia perpetraturus mundi peccata, nisi tua me gratia benigne protexeris.*

Cumque ægrotaret aliquando atque ipsum obsecrarent adstantes, ut suorum saltem beneficio, illam sancti Martini dirigeret ad Deum orationem: *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem*; summa animi demissione respondit: *Non sum ego sanctus Martinus, nec me talem unquam existimavi.* Quod si me vobis necessarium reputarem, perditum credere.

Atque hinc est, quod se rectoris & præpositi, necnon Congregationis, a se erectæ, fundatoris titulo ægre admodum tulerit appellari. Quinimo biennio ante obitum, Congregationis administrandæ munus deposuit.

Tantæ ejus humilitati patientia non defuit. Tranquillo semper animo excitatas tam adversum se, quam Oratorii sui exercitia persecutiones tolerans, in quibus etiam pro persecutoribus verus Christi imitator assidue deprecabatur, isque fuit precationum fructus, ut ex eis plurimos sola patientia ad Deum converterit; qui vero ab incœptis non destitere, divinam ultionem sint experti.

Magnæ insuper patientiæ extitit in perferendis diuturnis corporis infirmitatibus, quibus singulis fere annis divexabatur, ita ut ad extremum vitæ perductus, oleo sancto quater inunctus fuerit. Quo autem tempore ægrotabat, nulla unquam de doloribus habita querimonia, sed hilaris facie incredibilem animi lætitiam indicabat. Ab ipsa vero infirmitate quantumvis gravi, convalescere sæpe solebat repente prorsus, ac mirabiliter.

In Christiana mortificatione adeo præcellebat, ut merito habitus fuerit ejusdem virtutis singularis magister, & in primis, mentis discursum, quem ipse rationalem nominare consueverat, assidue comprimere & captivare intellectum in obsequium Christi studuerit, ideoque ea ipse plerumque faciebat & facienda proponebat aliis, quæ intuentibus, animi potius lenitatem atque stultitiam saperent.

Jam vero nonnulla etiam dona recensenda sunt, quibus beati Viri virtutes immensa Dei bonitas illustravit. Frequenter enim ecstasim raptusque divinos patiens, e terra sursum totus undique splendore circumfusus elevabatur.

Cœlestibus item visionibus dignabatur assidue. Dominicæ etenim Nativitatis nocte Christum in altari pueri specie intuitus est, & ali-

CONSTIT. LXXXV. A. D. 1623. quando in facratiffima hoftia Paradifi gloriam confpexit. Vidit etiam beatiffimam Virginem veteris Ecclefiæ fanctæ Mariæ in Vallicella tectum manibus fuftinentem, donec imminentis cafus ademptum eft periculum. Eamdem iterum vidit, cum anno ante obitum ægrotaret, quem ipfa fibi obviam fublatum in aera mirifice recreatum repente fanavit.

Quamplurium infuper confitentium atque amicorum animas evolantes in cœlum intueri, atque Angelos concinentes interim audire folitus erat, quin etiam interiorem eorum pulcritudinem, qui effent in ftatu gratiæ, divinitus agnofcebat.

Sanctorum Caroli Borromæi & Ignatii Loyolæ facies miris fplendoribus vidit corufcantes.

Ea erat prudentia præditus, & difcretione fpirituum ita excellebat, ut propterea cujufque conditionis homines ad ipfum, tamquam ad oraculum, confulendi gratia confluerent, & ipfimet fummi Pontifices prædeceffores noftri ejus confilium magni femper facerent.

Veras a falfis vifiones difcernebat. Et licet fæpiffime antiquus noftri generis hoftis horribili fe forma videndum offerens, deterrere ipfum conaretur, femper tamen fortis & invictus de eodem gloriofe triumphans, pacem, veramque tranquillitatem, qua fruebatur interius, retinuit.

In prophetiæ dono, & abfentium rerum, ac fi præfentes effent, prævifione, occultifque cordis humani divinitus dignofcendis, talis erat, ut de ipfo vere affirmari poffit: *non eft inventus fimilis illi*.

Illud etiam Philippo collatum a Deo fuit, ut dum uno effet in loco, in alio longe diftante, uno eodemque prorfus tempore nonnullis apparuerit.

Quapropter cum in ædibus fancti Hieronymi commoraretur, cuidam e fuis apud dictam Ecclefiam beatiffimæ Virginis Mariæ, & fancti Gregorii degenti, fe præfentem oftendens, fubfidio, quo indigebat, adfuit.

Et Romæ alias exiftens, quemdam ex numero fibi confitentium, in mare pene fubmerfum, mediis e fluctibus capillis apprehenfum liberavit.

Iterumque cum in Urbe maneret, tunc in humanis agentem Catharinam Ricciam, fub regula fancti Auguftini monialem, Prati in Etruria commorantem, longo temporis fpatio eft allocutus.

Inter hæc miram ad patranda miracula a præpotenti Domino confecutus gratiam, quamplurimos liberavit a quacumque detinerentur infirmitate.

Nonnullos enim folo fanctiffimæ Crucis adhibito figno; alios falutari manuum contactu, inter quos Clemens VIII. prædeceffor nofter graviffimi chiragræ doloribus oppreffus, fanus illico factus eft: & nobilis quidam Romanus a peftifera corporis contagione curatus. Alios præterea priftinæ fanitati reftituit fola orationis virtute.

Alios morbis, quibus tenebantur, tantum imperando, quod præcipue contigit Mariæ Felici a Caftro, in monafterio Turris fpeculorum moniali, quæ continua febri correpta, Philippo jubente, ftatim convaluit.

Alios remediis omnino contrariis curavit, quod dictus Cæfar Cardinalis eft expertus, cui ftomachi, & capitis debilitate ita laboranti, ut retinere vix cibum, atque orare nulla ratione poffet, impetravit, ut coram fe panem integrum cum malo citreo comederet: qui ftatim atque

atque fervi Dei mandatum executus eft, ftomachi atque capitis moleftiis fenfit fe omnino liberatum. CONSTIT. LXXXV. A. D. 1623.

Alii vero, rebus, quibus utebatur Philippus, morbo admotis, fanitatem priftinam recepere: inter quos Eugenia Manfueta de Colle Scipionis, naribus ulcere quodam decem & octo menfium fpatio horrendum in modum infectis, linteoli parte fervi Dei, adhuc viventis, fanguine refperfa, ulceri fumma fide appofita, confeftim curata eft.

Quin etiam conftat, mortuos fuiffe ejus voce vitæ reftitutos: quod Paulo Fabricii de Maximis filio contigit, qui mortuus, nomen illius inclamante Philippo, illico ad vitam rediit, & confeffione peracta, ab eodem interrogatus, an libens iterum e vita decederet, annuens, in pace quievit.

His virtutibus ac donis, quibus a Deo tam liberaliter auctus eft Philippus, tantæ extitit mortalibus admirationi, ut qui fervum Dei noffent, ejus fanctitatem ubique prædicarent, & prædicti prædecceffores noftri fummo honore ac veneratione profequerentur. Clemens prædeceffor prædictus ejus manus etiam ofculans, & Gabriel Paleottus in libro, quem fcripfit de bono fenectutis, Philippum, adhuc viventem, tamquam verum eximiæ fanctitatis atque virtutum omnium exemplar propofuerit: & Auguftinus dictæ fanctæ Romanæ Ecclefiæ Cardinalis, Veronenfis nuncupatum, libellum quem compofuit, beato Viro itidem vivente, *Philippum*, feu de lætitia Chriftiana, infcripferit. Summæ etiam venerationi habitus eft a fanctis Viris, & quamplurimis Dei famulis, ut a fancto Carolo, qui quotiefcumque eum adibat, ponere genua & manus ejus ofculo petere confuevit.

Verum ingravefcente jam ætate, cum incitato femper curfu fufceptam falutaris vitæ rationem feliciter profequutus effet, die mortis fuæ atque hora multifariam prædictis, plenus dierum VII. Kalendas Junii anno millefimo quingentefimo nonagefimo quinto, qua die Dominici corporis celebritas contigit, cum mane vehementi devotionis fpiritu, quafi præ lætitia concinens, facrofanctum miffæ facrificium celebraffet, & nonnullis adftantium, quorum confeffiones audierat, Euchariftiæ facramentum miniftraffet, confuetis exercitationibus de more expletis, poft mediam noctem, ea, qua prædixerat hora, omnipotenti Deo, cui fideliter fervierat, fpiritum placidiffime reddidit: & poft obitum quamplurimis, tam Romæ, quam alibi, gloriæ claritate illuftris apparuit.

Et fummo mane fervi Dei corpore in Ecclefia fuper feretrum expofito, mortis feliciffimæ fama jam divulgata, innumerabilis cujufque conditionis hominum illuc multitudo convenit: inter quos multi ex viris Principibus, Præfulibus, atque Cardinalibus confluxere: & toto bidui fpatio, quo corpus antequam conderetur in Ecclefia, pie refervatum eft ingenti populi frequentia, abfque intermiffione manus, pedefque exofculari, coronas, atque rofaria venerando corpori admovere non deftitit: & ii, quibus præ multitudine ad corpus non dabatur acceffus, feretrum, in quo jacebat ofculabatur.

Eo interim tempore multa funt, ejus fuffragantibus meritis, edita miracula.

Inter ceteros enim adolefcens una cum forore, ftrumis diu laborantes, fervi Dei manu loco admota, ubi morbus refidebat, ex templo curati funt.

Quemadmodum & mulier quædam a diutina difficultate refpirandi, & alii quamplures a variis infirmitatum generibus convaluere.

CONSTIT. LXXXV. A. D. 1623.

Post hæc, ubi selectiore in loco corpus reconditum est, ad ipsum venerandum populi concursus fieri, votivæ deferri tabellæ, donaria permulta appendi, ac suavissimus quidam odor a multis inde percipi cœpit.

Septem autem post annos integrum repertum, summa omnium lætitia translatum est in sacellum, erectum atque ornatum a quondam Nerio de Nigris, nobili Florentino, & Domicello Romano, cui Deus Sancti hujus intercessione filium concessit, Philippum propterea a parentibus nominatum: quem post menses decem & octo, gravi morbo correptum, mortique jam proximum beatus Vir sibi commendatum, pristinæ statim sanitati restituit.

Sed ne videamur singula recensere miracula, quibus servum suum mirificavit Altissimus, nosse satis erit, alios præcordiis ejusdem sanatos, ut Theodosiam monialem monasterii sanctæ Luciæ in Silice de Urbe, quæ splenis morbo, decem & quinque annos afflicta, extemplo curata fuit.

Alios vero capillis, ut puerulum natum mortuum, qui ut baptismo ablui posset, est revocatus ad vitam.

Alios quibusdam servi Dei coronis, ut Felicem Sebastianam, quæ a diuturnis crurium ulceribus statim convaluit.

Alios linteolis, ut Septimiam Neriam, quæ in interiori oculi parte ignito ferro incaute a sorore percussa, illæsa omnino remansit.

Et Josephum Sermejum, qui eum ob gravem infirmitatem eo devenisset, ut omnium judicio mox efflaturus animam crederetur, sanus repente factus, e lectulo, in quo jacebat incredibili omnium admiratione surrexit.

Alios aliis ejusdem reliquiis, gravissimis tentationibus ereptos, ut Stephanum Calcinardum, qui ab impurissima quadam femina sollicitatus, sancti Viri reliquiis, quas devotionis ergo secum deferebat, sibi pectus occulta quadam vi pereuti sensit & vocem ejus audiens increpantis se, ut a peccato caveret, atque inde festinus abiret, dicto obtemperans, continuo aufugit.

Nonnullos sola ejus vitæ lectione, ut Vincentium Valesium, qui vehementi vexatus tentatione, supradictum exemplum perlegens, ex animo Philippum compellans, his verbis affatus est: cur modo non idipsum mihi abs te Pater? Eodem temporis instanti discessit omnis illa permolesta mentis agitatio.

Quamplures miris apparitionibus, ut Drusillam Fantinam, quæ præcipiti casu prostrata, ac horribili capitis oculorum, & totius corporis collisione semiviva jacens, tribus servi Dei apparitionibus mirabiliter liberatur. Non absimile accidit Leonardo Rovello, cui sanitatem jam a medicis desperatam petenti, Philippus in sui festi pervigilio, noctu apparens, pronuncians que verba illa: *Fili vade in pace*, confestim præbuit: & adveniente die Leonardus accepti beneficii memor ad audientiam in ejus sacello missam, pro gratiarum actione, Ecclesiam adivit.

Multos sepulcrum ejus visitantes, veluti Claudiam Grignanam, quæ post longam sexennii infirmitatem, non valens in ipsa summa dolorum acerbitate loco se penitus movere, ad Philippi sepulcrum aliorum auxilio perducta, vovens de servando singulis annis in vigilia festivitatis ejus panis & aquæ jejunio, statim doloribus, quibus tenebatur, liberata est, & omnino sana per Ecclesiam nullius adminiculo incessit.

Deni-

Denique fere innumerabiles editis votis, ut fratres Johannem Baptistam Massiam de Valentia, ordinis sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, qui Neapoli cum esset, annumque ageret supra septuagesimum, vovens se Dei servo eadem prorsus hora, qua Romæ in ejusdem sacello sacrum votivum peragebatur, tribus desperatis infirmitatibus, quibus toto biennii spatio laboraverat, & ita consumptus fuerat, ut de facie vix amplius agnosceretur, repente curatus est. CONSTIT. LXXXV. A. D. 1623.

Præscripto itaque canonizationis die in festo sancti Gregorii Magni nuncupati, quarto videlicet idus Martii, pontificatus ipsius Gregorii prædecessoris anno secundo; iterum dictus Gregorius prædecessor est hortatus ad iteratas preces, jejunia & eleemosynas, ut in tanto opere exequendo lumen ejus, qui lucem habitat inaccessibilem, implorarent ad ea peragenda, quibus divinæ gloriæ honor & catholicæ Ecclesiæ fides augeretur.

Omnibus vero juxta sanctorum Patrum traditiones, sacrorumque canonum instituta, & Romanæ Ecclesiæ consuetudinem rite & recte peractis, dicta die, quarto idus Martii, idem Gregorius prædecessor, ad principis Apostolorum basilicam, cum Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Prælatis, & ipsius Gregorii prædecessoris familiaribus, necnon dilectis filiis, clero sæculari & regulari, ac maxima populi frequentia convenit, & post iteratas, primo, secundo ac tertio pro canonizationis decreto petitiones, per dilectum filium nostrum, tunc suum, Ludovicum Tituli S. Mariæ Transpontinæ Presbyter Cardinalem Ludovisium nuncupatum, nomine prædictorum, qui pro ea institerant, post sacros hymnos, litanias, aliasque preces & post imploratam Spiritus sancti gratiam; ad honorem sanctissimæ & individuæ Trinitatis, & fidei catholicæ exaltationem, & Christianæ religionis augmentum auctoritate ejusdem Dei omnipotentis, Patris & Filii & Spiritus sancti, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum decrevit & definivit, dictum Philippum Nerium Florentinum, dictæ Congregationis Oratorii fundatorem una cum beatis Isidoro & Ignatio ac Francisco, necnon Teresia prædictis Sanctum, & sanctorum catalogo adscribendum esse, prout adscripsit & aggregavit.

Statuens, ut ab universis Christifidelibus in ejus honorem Ecclesiæ & altaria, in quibus sacrificia Deo offerantur, ædificari;

Et quolibet anno dicta die illius obitus, septimo videlicet Kalendas Junii, festum ipsius, & officium, tanquam de Confessore non Pontifice, ad formam in rubricis Romani Breviarii præscriptam, solemniter celebrari possint.

Insuper eadem auctoritate omnibus utriusque sexus Christifidelibus, vere pœnitentibus & confessis, qui annis singulis ipsius festo ad sepulcrum, in quo corpus ejus requiescit, visitandum accesserint, unum annum & quadraginta dies; iis vero, qui in ejusdem festi octava id fecerint, etiam quadraginta dies de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis, misericorditer in Domino relaxavit.

Et decantato solemniter hymno, *Te Deum laudamus*, & divina ope implorata, sancti Philippi, & aliorum Sanctorum prædictorum meritis per peculiarem ad id orationem, quam dictus Gregorius prædecessor pie & solemniter recitavit, sacrosanctum missæ sacrificium, solemni pompa & ritu cum eorumdem Sanctorum commemoratione, ad altare principis Apostolorum celebravit, & omnibus Christifidelibus, tunc præsentibus plenariam omnium peccatorum indulgentiam & remissionem ad Dei laudem & gloriam Sanctorum ejus impertitus fuit.

Ne

CONSTIT. LXXXV. A. D. 1623.

Ne autem de decreto, definitione, adscriptione, aggregatione, statuto, relaxatione, aliisque præmissis, pro eo, quod super illis ipsius Gregorii prædecessoris literæ, ejus superveniente obitu, confectæ non fuerunt, valeat quomodolibet hæsitari, volumus & Apostolica auctoritate decernimus, quod decretum, definitio, adscriptio, aggregatio, statutum, relaxatio, impartitio, aliaque præmissa a dicta die quarto idus Martii, suum debitum sortiantur effectum, ac si super illis ipsius Gregorii prædecessoris literæ, sub datum ejusdem diei, confectæ fuissent, prout superius enarratur. Quoque præsentes literæ ad probandum plane decretum, definitionem, adscriptionem, aggregationem, statutum, relaxationem, aliaque præmissa, ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Ceterum quia difficile foret, præsentes nostras literas ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum voluntum & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vicesimo tertio, octavo idus Augusti, pontificatus nostri anno primo.

✠ Ego Urbanus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

✠
✠ *Ego Franciscus Maria Episcopus Portuensis Cardinalis a Monte.*
✠ *Ego Odoardus Episcopus Tusculanus Cardinalis Farnesius.*
✠ *Ego Octavius Episcopus Prænestinus Cardinalis Bandinus.*
✠ *Ego Johannes Baptista Episcopus Albanensis Cardinalis Detus.*
✠ *Ego Fridericus Tituli sanctæ Mariæ Angelorum Presbyter Cardinalis Borromæus.*
✠ *Ego Andreas Tituli sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Perettus.*
✠ *Ego Bonifacius Tituli sanctæ Mariæ in Transtiberim Presbyter Cardinalis Bevilaqua.*
✠
✠
✠ *Ego Dominicus Tituli sanctorum XII. Apostolorum Presbyter Cardinalis Gymnasius.*
✠
✠ *Ego Carolus Tituli sancti Cæsarii Presbyter Cardinalis Madrutius.*
✠ *Ego Scipio Tituli sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis Burghesius, Major Pœnitentiarius.*
✠ *Ego Johannes Garsia Tituli sanctorum Quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis Millinus.*

✠ *Ego*

✠ Ego Marcellus Tituli sanctorum Quirici & Julittæ Presbyter Cardinalis Lantes.

✠

✠

✠ Ego Johannes Baptista Tituli sanctæ Ceciliæ Presbyter Cardinalis Lenius.

✠ Ego Aloysius Tituli sancti Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis Capponius.

✠

✠ Ego Dominicus Tituli sancti Martini in Montibus Presbyter Cardinalis Rivarola.

✠ Ego Petrus Paulus Tituli sanctorum Nerei & Achillei Presbyter Cardinalis Crescentius, ejusdem sancti Philippi discipulus.

✠

✠ Ego Frater Augustinus Tituli sanctæ Mariæ de Aracœli Presbyter Cardinalis sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

✠ Ego Gaspar Tituli sanctæ Crucis in Hierusalem Cardinalis Borgia.

✠ Ego Felix Tituli sanctæ Anastasiæ Presbyter Cardinalis Asculanus.

✠ Ego Robertus Tituli sancti Alexii Presbyter Cardinalis Ubaldinus.

✠ Ego Tiberius Tituli sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis Mutus.

✠ Ego Gabriel Tituli sancti Bartholomæi in Insula Presbyter Cardinalis de Trejo.

✠

✠ Ego Julius Tituli sanctæ Sabinæ Presbyter Cardinalis Sabellus.

✠

✠ Ego Melchior Tituli sanctæ Mariæ de Pace Presbyter Cardinalis Klefelius.

✠ Ego P. Tituli sancti Thomæ in Parione Cardinalis Camporeus.

✠

✠ Scipio Presbyter Cardinalis sanctæ Susannæ, S. R. E. Bibliothecarius.

✠

✠ Ego Franciscus Cenninus Cardinalis sancti Marcelli.

✠

✠ Ego Guido Tituli sanctæ Mariæ de Populo Presbyter Cardinalis Bentivolus.

✠

✠

✠ Ego Julius Tituli sanctæ Mariæ super Minervam Presbyter Cardinalis Roma.

✠

✠ Frater Desiderius Tituli sancti Clementis Presbyter Cardinalis de Cremona.

✠ Ego Ludovicus Tituli sancti Laurentii in Damaso Presbyter Cardinalis Ludovisius, S. R. E. Vicecancellarius, & Summator Sanctissimi.

✠

✠

✠

✠ Ego

CONSTIT. LXXXV.
A. D. 1623.

✠
✠
✠ *Ego Cosmus Tituli sancti Pancratii Presbyter Cardinalis de Torres.*

✠
✠
✠
✠
✠ *Ego Carolus Emanuel sancti Nicolai in Carcere Diaconus Cardinalis Pius.*

✠ *Ego Mauricius sancti Eustachii Diaconus Cardinalis de Sabaudia.*

✠ *Ego Carolus sanctæ Mariæ in Domnica Diaconus Cardinalis Medices.*

✠ *Ego Alexander sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis Ursinus.*

✠
✠
✠
✠
✠ *Ego Franciscus sancti Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Boncompagnus.*

✠ *Ego Hippolytus sanctæ Mariæ Novæ Diaconus Cardinalis Aldobrandinus S. R. E. Camerarius.*

✠
✠

N O T A.

Sancti Philippi gesta tres illius Congregationis Presbyteri enarraverunt. I. Antonius Gallonius Latine. II. Jacobus Bacius Italice & postea Latine. III. Hieronymus Barnabæus Latine ex ipsis actis sive processibus. Socii Bollandiani primam Philippi Vitam ab se egregie illustratam, & tertiam quoque ediderunt tomo VI. Maji pag. 460. 524. Huic sanctissimo viro magna debemus. Ei quippe debemus Annales Ecclesiasticos a Baronio conscriptos. Debemus etiam summum Pontificem BENEDICTUM XIII. divinitus certe, atque ingenti prodigio nobis servatum, licet obrutum in ruinis episcopii Beneventani, cum reliqua civitate horrendo terremotu concussa A. D. 1688. Vide Pompeji Sarnelli Vigiliensis Episcopi Commentarium de Ecclesia Beneventana pag. 165. & 199. Hinc mira, & nunquam intermissa ejusdem Pontificis religio & pietas grati animi caussa erga tantum patronum: cujus festum diem de præcepto esse voluit. De Philippi instituto consulendus Baronius A. D. 57. §. CLXII. & tomo VIII. ante A. D. 590. Sed nullo pacto prætereundus idem Barnabæus in Vita Baronii, in qua frequens de Philippo est sermo.

IDEM

LXXXVI.

IDEM

URBANUS . VIII

B. Ignatium Loyolam a Guipuſcoa, alias Ipuſcoa, in Cantabris, Societatis Jeſu inſtitutorem, per Gregorium XV. Pont. Max. Sanctorum confeſſorum canoni adſcriptum fuiſſe promulgat. Obiit Ignatius die xxxi. Julii A. D. 1556.

URBANUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Constit. LXXXVI. A. D. 1623.

RAtioni congruit & convenit æquitati, ut ea, quæ de Romani Pontificis providentia proceſſerunt, licet ejus ſuperveniente obitu, literæ Apoſtolicæ deſuper confectæ non fuerint, ſuum debitum conſequantur effectum.

Dudum ſiquidem felicis recordationis Gregorius Papa XV. prædeceſſor noſter pie attendens, quod ineffabilis Dei bonitas & miſericordia, quæ miro conſilio ſuis quæque temporibus apte diſponit, & præteritis ſæculis ſive ad diſſeminandum Evangelium inter gentes, ſive contra ſubnaſcentes hæreſiarchas deſtinavit plures ſanctitate ac doctrina illuſtres viros, noviſſimis temporibus, cum pii Luſitanorum Reges in longinquas Indiarum terras ac remotiſſimas Inſulas late patentem vineæ Domini propagandæ aditum aperuiſſent, nec minorem Catholici Caſtellæ Reges novum in orbem ad Occidentem repertum patefacerent; veterem autem Religionem, omnemque illius ſanctitatem ac perfectioris vitæ profeſſionem Lutherus, monſtrum teterrimum, aliæque deteſtabiles peſtes blaſphemis eorum linguis in Septentrionis partibus corrumpere & depravare, ac Sedis Apoſtolicæ auctoritati detrahere conarentur, excitavit ſpiritum Ignatii Loyolæ, qui ex medio honorum curſu, & a ſæculari & terrena militia admirabili quadam ratione vocatus, ita ſe divino imperio regendum & formandum tradidit, ut demum nova Societatis Jeſu, quæ inter alia pietatis & caritatis opera Gentilibus convertendis, hæreticis ad fidei veritatem revocandis, & Romani Pontificis poteſtati tuendæ ex inſtituto ſe totam impendit, religione fundata, vitam admirabili ſanctitate traductam ſanctiſſimo pariter concluſerit exitu, ac plurimis ſit miraculis illuſtratus; ejuſdem Ignatii catalogo Sanctorum adſcriptioni, de qua dudum agebatur, decrevit intendere.

CONSTIT. LXXXVI.
A. D. 1623.

Quippe increbrescente in dies in diversis mundi partibus ipsius Ignatii sanctitatis fama & miraculorum gloria, cum claræ memoriæ Philippus II. & Philippus III. Hispaniarum Reges Catholici, & Maria similis memoriæ Maximiliani II. Romanorum Regis illustris, in Imperatorem electi, & Margarita dicti Philippi III. Regis, conjuges, necnon plures Ecclesiarum præsules & populi una cum dilectis filiis Præposito & aliis dictæ Societatis Religiosis, apud piæ memoriæ Clementem Papam VIII. etiam prædecessorem nostrum, oblatis illi processibus, per diversos locorum ordinarios, etiam auctoritate tunc existentis Sedis Apostolicæ in Regnis Hispaniarum Nuncii, super prædictis sanctitate & miraculis fabricatis, pro literarum remissorialium & compulsorialium, ad faciendos pro canonizatione progressus, concessione institissent;

Ipseque Clemens prædecessor oblatos processus & petitionem ad dilectos filios nostros, tunc suos, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales super sacris Ritibus deputatos, discutiendos commisisset, dictique Cardinales petitioni prædictæ satisfaciendum esse censuissent, si ita eidem Clementi prædecessori placuisset; & dictus Clemens prædecessor morte præventus nihil desuper constituere potuisset;

Similis recordationis Paulus Papa V. similiter prædecessor noster, repetitis per dictos principes ac præpositum & religiosos, ac novis, per claræ etiam memoriæ Henricum IV. Francorum & Navarræ Regem Christianissimum porrectis instantiis, permotus, prædicto Gregorio prædecessori, tunc in minoribus constituto, & officio auditoris causarum palatii Apostolici fungenti, ac dilectis filiis Alphonso Manzanedo & Johanni Baptistæ Pamphilio, etiam causarum earundem auditoribus, dedit in mandatis, ut causam hujusmodi in statu & terminis, quibus reperiebatur, reassumentes, conjunctimque procedentes, acta omnia & probationes perpenderent; &, si opus esset, alios testes super vita & miraculis ejusdem Ignatii per se & alios ab eis subdelegandos, de novo in genere reciperent, & super his suum ipsorum interponerent judicium: ut si ex iis constaret, inquisitiones, probationes ac processus hujusmodi esse legitime factos, causamque sufficienter esse instructam, ea posset ipse Paulus prædecessor exequi, quæ Sanctorum dogmata, & sacrorum canonum postulant instituta.

Unde dicti auditores, visis & diligenter discussis processibus coram eis exhibitis, censuerunt cum illis debere conjungi processus, auctoritate Apostolica conficiendos: & ad hunc effectum per se ipsos in Romana curia, & per nonnullos Archiepiscopos & Episcopos extra eam in diversis mundi partibus ab eis subdelegatos, juridicos processus super præmissis confici curarunt. Quibus, jussu ejusdem Pauli prædecessoris, ad eosdem Cardinales super sacris Ritibus, ut præfertur, deputatos transmissis, & per eos visis & perpensis, idem Paulus prædecessor, ex sententia eorumdem Cardinalium, quod dictus Ignatius beatus nuncupari, & de eo missa & officium de communi Confessoris non Pontificis celebrari posset, benigne concessit & indulsit.

Et deinde cum preces eorum, qui pro canonizatione ejusdem beati Ignatii institerant, fierent in dies auctiores; volens idem Paulus prædecessor in hujusmodi causa secundum consuetudinem sanctæ Sedis Apostolicæ procedere, eisdem auditoribus per speciale rescriptum mandavit, ut processus factos etiam de novo perpenderent, & alios testes super veritate præmissorum in specie diligentissime examinarent, & ipsi Paulo prædecessori referrent. Quod

Quod quidem mandatum auditores prædicti exequi, prout par erat, volentes, causam similiter de novo excutere cœperunt: & alios quamplures testes super eisdem præmissis per se ipsos receperunt in dicta curia; & per alios ab eis subdelegatos extra eam examinari curarunt: ac nonnulla jura ad causam facientia ex archivo dictæ Societatis extraxerunt: & Alphonsus ac Johannes Baptista auditores prædicti, necnon dilectus filius noster Franciscus, ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Sacratus nuncupatus, tunc, tanquam Archiepiscopus Damascenus, unus ex auditoribus causarum dicti palatii locumtenens, & in locum dicti Gregorii prædecessoris, qui jam ad Ecclesiam Bononiensem assumptus fuerat, subrogatus, in pluribus Congregationibus inter eos habitis, de novo fabricatos, & alios processus prædictos etiam perpenderunt: illosque legitime confectos, ac probationes in eis contentas rite & recte peractas, ac sanctitatem & miracula satis, superque probata fuisse prædicto Paulo prædecessori retulerunt.

Cumque, ipso Paulo prædecessore viam universæ carnis ingresso, dictus Præpositus ejusdem Societatis humiliter apud Gregorium prædecessorem prædictum institisset, ut ad ulteriora in canonizatione ejusdem beati Ignatii procedere dignaretur; idem Gregorius prædecessor illius petitionem benigne audiens, relationem, ut præfertur, factam, ad eosdem Cardinales, super prædictis sacris Ritibus deputatos, recognoscendam etiam remisit.

Cumque pendente dictæ relationis discussione, supervenissent carissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum & Navarræ Regis Christianissimi primum, mox vero nobilis viri Maximiliani utriusque Bavariæ Ducis, & successive etiam carissimi in Christo filii nostri Ferdinandi Romanorum Regis in Imperatorem electi preces accessissent, dictique Cardinales relationem prædictam comprobassent, venerabilis frater noster Franciscus Maria Episcopus Portuensis, ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, a Monte nuncupatus, rei summam, suamque & aliorum, ut præfertur, deputatorum Cardinalium sententiam in nostro, tunc ejusdem Gregorii prædecessoris consistorio secreto, exposuit: & alii, qui in illo consistorio aderant, Cardinales, dilecti filii nostri, in eandem sententiam devenerunt, posse videlicet dictum Gregorium prædecessorem, juxta sacros dictæ S. R. E. ritus, dictum beatum Ignatium inter Sanctos referre.

Quare idem Gregorius prædecessor ad ulteriora procedi mandavit. Voluerat autem ipse Gregorius prædecessor nonnulla ex iis, quæ in processibus & actis de vita, sanctitate & miraculis ejusdem beati Ignatii constabant, in eodem consistorio recenseri, videlicet:

Natus est beatus Ignatius in ea Hispaniarum regione, quæ ad Pyrenæum pertinet, ad oppidum Aspeithiæ Pampilonensis diœcesis, anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo primo, ex Beltramo Loyola & Maria Sanchez, nobilibus, catholicis & piis parentibus: qui simili pietate filium educandum curarunt.

Adolescens ille factus, cum esset eximia & animi & corporis indole, missus fuit in claræ similiter memoriæ Ferdinandi Regis Catholici curiam, ubi cum inter honorarios pueros aliquandiu mansisset; ad tunc existentem Navarræ Proregem, in civitate Pampilonensi degentem, se contulit, & rei militari operam dare cœpit. Cumque dicta civitas ab exercitu Gallorum obsideretur; ipsi Ignatio ante alios dimicanti lapis, ex muro bombardæ vi excussus, lævam læsit tibiam; dexteram

CONSTIT. LXXXVI. A. D. 1623.

vero ita confregit, ut semivivus corruerit: quorum vulnerum acerbam, gravem & diuturnam curationem ita patienter tulit, ut omnibus esset domesticis admirationi. Cumque eidem, in lecto affixo, libros profanos, tunc sic Deo volente, non repertos, petenti, nonnulli pii libri legendi causa porrecti fuissent, ex eorum lectione tam ardenter fuit incensus, ut ingenti sui odio concepto, decreverit Christi & Sanctorum vestigia sequi, Hierosolymam proficisci, ut sacra illa loca veneraretur, & fideles in spiritu promoveret, ac infideles ad Evangelium adduceret.

Curatis ergo vulneribus, patriam, parentes, res omnes fluxas & caducas reliquit: & Christo deinceps militaturus ad monasterium beatæ Mariæ de Monte Serrato ordinis sancti Benedicti Vicensis diœcesis perrexit; ibique generali confessione peracta, gladio & pugione in templo ejusdem monasterii suspensis, aspera talari tunica indutus, fune præcinctus, nudo capite, baculum manu gestans, totam eam noctem, cui dies festus Angelicæ salutationis illuxit, ante aram ejusdem beatæ Mariæ Virginis inter preces & lacrymas vigilavit: seque penitus divino cultui, novum exinde militiæ genus sequuturum, addixit.

Minoressam inde vicinum oppidum petiit, & ad hospitale sanctæ Luciæ divertit, & in eo, & quodam specu, ad præterfluentis amnis ripam sito, faciens dignos pœnitentiæ fructus, pauperem, atque asperam vitam transegit inter egentes & sordidos homines, quibus etiam humillimis inserviebat obsequiis.

Post aliquod vero tempus almam Urbem nostram, & successive Venetias, ac postmodum Hierosolymam contendit: & perlustratis sacris locis, ibidem permanere, & animarum saluti incumbere vetitus, rediit ad partes Hispaniarum. Et quo melius posset in spiritu proximis utilitatem afferre, triginta jam natus annos, grammaticæ primo in civitate Barcinonense, & deinde Compluti Philosophiæ & Theologiæ per annum cum dimidio operam dedit: ac demum Parisiis omnia illa studia repetiit, ex eleemosynis victitans, & officia caritatis, humilitatis & pœnitentiæ non intermittens; sociis ejusdem propositi, inter quos fuit Franciscus Xaverius, vir Sanctus & Indiarum Apostolus, collectis, & voto cum eis nuncupato, ut consummatis studiis incœptis, evangelica contenti paupertate, Hierosolymam omnes adirent; unanimi, ac summo conatu saluti proximorum inservituri: quod si per annum navigandi se non offerret occasio, vel Hierosolymis permanere prohiberentur; illo voto absoluti Romam irent, & suam ipsorum operam summo Pontifici in auxilium spirituale proximi offerrent.

Verum cum ex studiorum laboribus & vigiliis gravem stomachi morbum Parisiis contraxisset; jussu medicorum & ex sociorum consilio, in patriam rediit anno ejusdem Domini millesimo quingentesimo tricesimo quinto: ibique per tres menses in hospitali sanctæ Mariæ Magdalenæ ostiatim victum emendicans, & pauperibus inserviens, tempus sedulo traduxit.

Quo transacto, cum convaluisset, Venetias, quo socii ex composito venire debebant, etiam ipse profectus, in ea civitate ad sacerdotium promoveri voluit: & paupertatis, castitatisque in manibus Hieronymi Veralli Archiepiscopi Rossanensis, in ea tunc Sedis Apostolicæ Nuncii, votum emisit.

Et elapso anno, inter eos condicto, & navigatione in Palæstinam, propter pacem inter Turcas & Venetos per id tempus sublatam, interclusa; Romam cum sociis venit anno millesimo quingentesimo trice-

tricesimo septimo, ubi a quondam Quirino Garzonio Romano cive, in quadam ipsius Garzonii vinea sub monte Pincio receptus hospitio, constitutam operam piæ similiter memoriæ Paulo III. pariter prædecessori nostro, ad animarum salutem obtulit paratissimam.

CONSTIT. LXXXVI. A. D. 1623.

Quam causam quo uberius & cumulatius tractare posset, dictam Societatem a se institutam ad tria cum aliis religionibus communia vota quarto adjuncto, per quod peculiarem polliceretur Romano Pontifici obedientiam in missionibus, non petito viatico, etiam ad Infideles, Turcas, Hæreticos, Schismaticos & quoscumque alios obeundis, a prædicto Paulo III. prædecessore confirmandam euravit: eamque postmodum optimis etiam constitutionibus & legibus stabilivit: & in Præpositum generalem electus, summa cum prudentia & probitatis laude moderatus est.

Ac post multos labores, *Jesum* appellans, in eadem Urbe pie obdormivit in Domino, pridie Kalendas Augusti anni ejusdem Domini millesimi quingentesimi quinquagesimi sexti, vir vere, quem prælegerat Dominus, ut eorum dux foret, qui portarent ejus sanctissimum nomen coram gentibus & populis, & infideles ad veræ fidei cognitionem inducerent, ac rebelles hæreticos ad illius unitatem revocarent, suique in terris Vicarii auctoritatem defenderent.

Ornavit enim illum Dominus magnitudine & excellentia fidei, & maxima spe communivit, ut satis, superque ejus testantur actiones.

Assiduum autem obsequium, quod pauperibus & ægrotis exhibuit in hospitalibus; & eleemosynarum distributio, quas a piis personis suo ipsius studio corrogabat; maxima etiam cura & studium, quod jam inde a principio suæ conversionis in eo posuit, ut rudes & pueri doctrinam Christianam perdiscerent; & detentorum in carcere visitatio ac sublevatio, quam instituit, & exercuit accurate; necnon per universum terrarum orbem missiones, quas fecit; & Domus, Ecclesiæ & Collegia, quæ erexit; & in dicta Urbe, præter scholas grammaticæ & humaniorum literarum, quas gratis aperuit, collegium Germanicum, ac orphanorum & catechumenorum domus, & sanctæ Marthæ ac sanctæ Catharinæ monasteria, aliaque loca pia, quæ excitari curavit; & dissidentium reconciliatio, salubria consilia data; & spiritualia exercitia ab eo composita; sacramentorum frequentationes procuratæ; injuriarum denique remissio, & pro inimicis oratio, quam ardenter amaret proximum propter Deum, plane demonstrant.

Deum autem ipsum quantopere diligeret, patet ex illa summa cura & diligentia, qua studuit propter Deum proximo in spiritualibus & temporalibus semper benefacere: & ex maxima vigilantia, qua curavit cor suum mundum custodire. A sua enim conversione nullum in eo deprehensum est dictum, factumve, quod censeri posset esse peccatum mortale. Omnes suas cogitationes, verba & opera in Deum, tanquam in finem, referebat, & ad Deum, & Dei gloriam & honorem destinabat. Atque hæc verba, videlicet: ad majorem Dei gloriam, uti symbolum, in ore semper habebat.

Prudentia quoque fuit in eo admirabilis. In negociis enim ad Dei honorem peragendis prius quidem omnia Deo commendabat: deinde solerti habita consultatione, & rationibus ad examen vocatis, congruentia ad optatum finem adhibebat præsidia, & eo pacto contingentia mala facile declinabat.

CONSTIT. LXXXVI. A. D. 1623.

Ejus erga Deum & homines justitiam, aspera vita & voluntariæ pœnitentiæ, quibus offenso jam Deo satisfacere se putabat, spiritus devotio & religio, qua Deo reddidit debitum cultum & honorem, gratitudo quoque, quam erga suos & Societatis benefactores continuo ostendit, & pura veritas, quæ ex ejus ore sine ulla fallacia, fuco, fictione, aut obscuritate procedebat, cum cordis puritate & simplicitate satis commendant. Animi præclara magnitudo ex pœnitentiis, obsequio erga ægrotos, ex operibus caritatis, a quibus propter labores & difficultates, irrisiones, injurias & contumelias non recessit; sed in illis constanter usque ad optatum finem perseveravit.

Patientia vero admirabilis & mansuetudo ex multis & ingentibus laboribus, ex opprobriis, confusionibus & persecutionibus, libenter & alacriter pro Dei amore perpessis, ex gratiarum actione in maledicentes relata, & beneficiis in injuriantes collatis apparent.

Jejunium ipse adeo coluit, ut eo tempore, quo fuit Minorestæ & Barcinonæ, per totam jejunans hebdomadam, exceptis diebus Dominicis, solo pane vesceretur, & aquam biberet: & propter continuatas orationes & abstinentias semel & iterum debilis, ac fere sine viribus est inventus.

Castitatis fuit adeo diligens custos in se & in aliis, ut in constitutionibus Societatis voluerit illam suis esse tam perfecte servandam, ut eniti debeant corporis, mentisque munditia, Angelicam puritatem imitari.

Profundæ etiam humilitatis non obscura dedit indicia, dum se ad novæ vitæ genus accingens, noluit suum audire germanum, sibi familiæ nobilitatem, opes, & in militia strenuitatem ac futuram in de gloriam repræsentantem: sed statim atque ex morbo & vulnere convaluit, sæculo nuntium remisit. Idem etiam denotatur, quia in patriam valetudinis causa rediens, cum se a quodam jam cognitum esse animadvertisset, timens honorem, quem & germanum, & incolas Aspeithiæ sibi exhibituros esse intelligebat, noluit cum eo, a quo cognitus fuerat, via recta Aspeithiam proficisci; sed per montes & semitas obliquas solus illuc accessit, & nobile palatium cum vilitate humilis hospitalis libentissime commutavit: nullisque precibus adduci potuit, ut domum paternam ingrederetur.

Denique non solum vanam mundi gloriam, sed se etiam ipsum egregia magnanimitate contempsit. Renunciatus enim Præpositus generalis Societatis, tamdiu id muneris subire recusavit, quoad ejus confessarius ei, ut demandatum reciperet officium, imperavit. Et post receptum munus, ut eos, quos in constitutionibus ad humilitatem hortabatur verbo, firmaret exemplo. Primum quidem in coquinæ ministeriis aliquot versatus est dies: tum docere aggressus est pueros & rudes doctrinam Christianam.

Excellentem vero famuli sui sanctitatem comprobari voluit etiam Altissimus supernaturali splendore vultus, quem dum viveret aliquando viderunt beatus Philippus Nerius, & quondam Oliverius Manareus Flander, ejusdem Societatis religiosus;

Ac testimonio miraculorum: quorum plura etsi ab eo vivente facta, in processibus recensentur, insigniora tamen post ejus felicem dormitionem edita probantur.

Isabella enim Rebelles monialis, ordinem sanctæ Claræ in monasterio sanctæ Elisabethæ Barcinonensi ejusdem ordinis expresse professa, annos

annos nata sexaginta septem, dum aliquid operis alto in loco molitur, repente tam gravi casu ad terram est collapsa, ut coxendicis, seu femoris os, quod maximum est in humano corpore, totum fuerit confractum: & per quadraginta dies & ultra adhibitis per medicum & chirurgum, eventu plane irrito, medicamentis; ac dolore & febri, quæ ex confractione supervenerant, non cessantibus, ægrota apud omnes erat citra ullam salutis opem, quæ saltem naturalibus parari posset remediis, ut eadem die moritura crederetur. Petita tamen pia cum religione, & impetrata reliquia beati Ignatii, & super coxendicem applicata, statim sana est reddita: & coxendicem ac tibiam prius tumentem, atque immobilem expedite ac sine dolore movere cœpit; & die proxima surrexit, ac libere & perfecte ambulavit.

Johannes Leida Majoricensis in valde acutam & periculosam febrim inciderat. Augebat periculum maxima stomachi nausea. Post duodecimum vel tertiumdecimum diem aucto periculo, cum Deo sese per merita beati Ignatii impense commendasset; sequenti nocte somno excitatus, magno splendore circumfusum cubiculum vidit, & uxorem inclamans, *nonne*, inquit, *vides me a beato Ignatio sanatum?* Et illucescente die sanus, & valens sine alicujus auxilio e lecto surrexit, & vestibus se induit, ac in gratiarum actione templum Societatis expedite adiit.

Hieronymus Honuphrius Etruscus, incola oppidi Gandiæ Valentinæ diœcesis, puer decennis, cum lethale in supercilio prope tempora vulnus accepisset, propter quod totius oculi tumor, & vehemens febris accesserant; & post adhibita per mensem integrum per chirurgum, ex artis præscripto, medicamenta, vulnus non solum non solidaretur; sed adeo latum & profundum esset, ut linamentum digitale inserendum esset; ac tanta sanies, & putredo flueret, ut chirurgus ipse miraretur, & crederet, os aliquod intus confractum; & alterum chirurgum etiam vocari jussisset, & ambo coram infirmo convenissent; remotis fasciis, quibus vulnus erat opertum & obligatum, præter omnem expectationem, meritis beati Ignatii, cui mater pueri voto jam facto illum commendaverat, vulnus illud penitus obductum, clausum & solidatum invenerunt.

Magdalena Talavera, in eodem oppido Gandiæ commorans, cum per tres annos gravibus laborasset obstructionibus, quæ in hydropisim, quam confirmatam appellant, terminaverant; ejusque ventrem adeo tumentem & inflatum reddiderant, ut se de loco ad locum movere non posset, nisi permoleste; videns remedia per duos medicos adhibita sibi nihil profuisse, ad divina confugit subsidia: & voto Deo facto, ac imagine dicti Beati ventri admota, statim melius se habuit, depulsusque est morbus obstructionis & hydropisis ita prorsus, ut intra tres vel quatuor dies detumuerit venter, & exinde illa se bene habuerit.

Ferdinandus Pretel de Mendoza, cum in febrim incidisset tertianam, quæ mox in duplicem, deinde in pestilentem una cum mentis stupore, & extraordinariis horroribus, ex humorum abundantia, & virium naturalium defectu accidentibus, degeneraverat; & multis purgationibus incassum adhibitis, vis morbi adeo aucta esset, ut a medicis destitutus, in supremo jam mortis discrimine versaretur; rite confessus & communione instructus, ac sacro perunctus oleo, manibus tenens imaginem beati Ignatii, quam collo pendentem gestabat, & ex toto corde illi se commendans convalescere cœpit, & morbo est liberatus.

Anna

CONSTIT. LXXXVI. A. D. 1623.

Anna Barzellona fere sexagenaria, cum toto biennii spatio morbo paralysis graviter vexata immobilis esset ad omne opus laboris; & gradus ascendere, aut ex illis descendere non posset, nisi scipionibus innixa; & insuper novus apoplexiæ in altero latere morbus accessisset; humanis remediis omnino destitutam se intelligens, voto nuncupato, melius se habere cœpit: & toto illo die ac nocte insequenti inchoata valetudo ita est aucta, ut jam illucescente mane sana omnino ad Ecclesiam collegii dictæ Societatis accurrerit expeditissime, gratias Deo ac beato Ignatio reddituræ.

Johannæ quoque Claræ & Noqueræ, mulieri Majoricensi, annos natæ quinquaginta sex, cæcitate laboranti videndi facultatem reddidit beatus Ignatius.

Bartholomæus Contesti chirurgus adeo acerbis & diuturnis capitis doloribus opprimebatur, ut præ nimio dolore sæpe ad terram alliderετur. Accessit in oculorum altero tam gravi inflammatio, ut alterum etiam divexaret, itaut ne tenuissimum quidem lucis radium perferre, aut aliquantulum quiescere posset: ob idque in tenebroso conditus cubiculo inde non egrediebatur,& eo deventum est,ut ex intolerando dolore non dubitaret affirmare, quod si quidam chirurgus jam defunctus in humanis ageret, oculum sibi erui jussurus esset. Religione demum eximia erga Beatum istum incensus, illius reliquiam ad se adferri jussit; & in puncto, quo fuit illa delata, bene se habuit, capitis & oculorum cessavit dolor, visum recuperavit, & lucis splendorem sine ulla offensione sustinuit. Utque intelligeretur, subitam curationem divinæ virtuti atque intercessioni beati Ignatii tribuendam esse; bis, terve sacra reliquia e cubiculo exportata, dolor rediit: eademque in cubiculum reducta, illico morbus discessit: quo facto admonitus Bartholomæus, sacram reliquiam penes se retinuit, atque ita intra tres vel quatuor dies ita perfecte sanatus est, quasi nunquam ægrotasset.

Quo audito Columna Cortei & Vich, quæ capitis dolore ita vexabatur, ut neque noctu quiesceret; & superveniente in uno oculorum tanto cruciatu, ut palpebram attollere non posset, & cœca denique remansisset; misit qui eandem reliquiam ad se deferret: qua allata, & super oculos, prævia invocatione ejusdem Beati, imposita, palpebra, quæ prius per chirurgos aperiri non poterat, confestim ultro, ac per se cœpit aperiri. Cessavit dolor, lucis splendorem Columna pertulit, & intra tres dies paulatim visum omnino recuperavit, & perfecte convaluit.

Johanna quoque de Aragona & Pignatella, Ducissa Terræ Novæ, quæ quatuor jam menses vehementissimo dolore cruciabatur ex tumore & duritie alterius mammillæ; eoque reducta erat, ut neque pedes, neque brachia movere posset, quin sibi viscera transfigi quodammodo viderentur; ad opem ejusdem Beati confugiens, & illius imaginem religiose de mane venerata, & illi se commendans, vespere ejusdem diei sana sine tumore, sine duritie & sine ullo doloris sensu reperta est.

Demum his & quamplurimis aliis permotus idem Gregorius prædecessor ex antiquo Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, tunc suorum, instituto, publico prius, in quo præter prædictos Cardinales etiam venerabiles fratres nostri Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, ac alii Romanæ curiæ Prælati, & dicti Gregorii prædecessoris familiares dilecti filii convenerunt, & dilectus filius Nicolaus Zambeccarius,

carius, aulæ pontificiæ consistorialis advocatus dicti beati Ignatii merita & principum ac populorum super hujusmodi canonizatione vota retulit; CONSTIT. LXXXVI. A. D. 1623.

Et successive altero, quod semipublicum vocant, in quo prædicti omnes, ac etiam Sedis Apostolicæ notarii, & causarum dicti palatii auditores, dilecti filii, interfuerunt: & omnes, quod dictus beatus Ignatius canonizandus esset, publicis suffragiis judicarunt; convocatis consistoriis; toto cordis affectu exultans in Domino, eundem beatum Ignatium, una cum beatis Isidoro Agricola & Francisco Xaverio inter Sanctos referendum duxit.

Præscripto itaque canonizationis die in festo sancti Gregorii, Magni nuncupati, quarto videlicet idus Martii, pontificatus ipsius Gregorii prædecessoris anno secundo iterum dictus Gregorius prædecessor est hortatus ad iteratas preces, jejunia & eleemosynas, ut in tanto opere exequendo lumen ejus, qui lucem habitat inaccessibilem, imploraret ad ea peragenda, quibus divinæ gloriæ honor & catholicæ Ecclesiæ fides augeretur.

Omnibus vero juxta sanctorum Patrum traditiones, sacrorumque canonum instituta, & Romanæ Ecclesiæ consuetudinem rite & recte peractis, dicta die quarto idus Martii idem Gregorius prædecessor ad principis Apostolorum basilicam cum Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Prælatis, & ipsius Gregorii prædecessoris familiaribus prædictis, necnon dilectis filiis, clero sæculari & regulari, ac maxima populi frequentia convenit, & post iteratas, primo, secundo ac tertio pro canonizationis decreto petitiones per dilectum filium nostrum, tunc suum, Ludovicum Tituli sanctæ Mariæ Transpontinæ Presbyterum Cardinalem Ludovisium nuncupatum, nomine prædictorum, qui pro ea instpetierant, post sacros hymnos, litanias, aliasque preces & post imploratam Spiritus sancti gratiam, ad honorem sanctissimæ & individuæ Trinitatis, & fidei catholicæ exaltationem, & Christianæ religionis augmentum auctoritate ejusdem Dei omnipotentis, Patris & Filii & Spiritus sancti, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum, decrevit & definivit, dictum Ignatium Loyolam prædictæ Societatis fundatorem, una cum Isidoro & Francisco præfatis, ac beatis Philippo, necnon Teresia, Sanctum, & Sanctorum catalogo adscribendum & aggregandum esse, prout adscripsit & aggregavit;

Statuens, ut ab universis Christifidelibus in ejus honorem Ecclesiæ & altaria, in quibus sacrificia Deo offerantur, ædificari;

Et quolibet anno dicta die illius obitus, pridie Kalendas Augusti festum ipsius, & officium, tanquam de Confessore non Pontifice, ad formam in rubricis Romani Breviarii præscriptam, solemniter celebrari possint.

Insuper eadem auctoritate omnibus utriusque sexus Christifidelibus, vere pœnitentibus & confessis, qui annis singulis ipsius festo ad sepulcrum, in quo corpus ejus requiescit, visitandum accesserint, unum annum & quadraginta dies; iis vero, qui in ejusdem festi octava id fecerint, etiam quadraginta dies de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis, misericorditer in Domino relaxavit.

Et decantato solemniter hymno, *Te Deum laudamus*, & divina ope implorata, sancti Ignatii, & aliorum Sanctorum prædictorum meritis per peculiarem ad id orationem, quam dictus Gregorius prædecessor pie & solemniter recitavit, sacrosanctum missæ sacrificium, solemni

CONSTIT. LXXXVI. A. D. 1623.

pompa & ritu cum eorumdem Sanctorum commemoratione, ad altare principis Apostolorum celebravit, & omnibus Christifidelibus, tunc præsentibus, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem ad Dei laudem & gloriam Sanctorum ejus impertitus fuit.

Ne autem de decreto, definitione, adscriptione, aggregatione, statuto, relaxatione, impartitione, aliisque præmissis, pro eo, quod super illis ipsius Gregorii prædecessoris literæ, ejus superveniente obitu, confectæ non fuerunt, valeat quomodolibet hæsitari, volumus & Apostolica auctoritate decernimus, quod decretum, definitio, adscriptio, aggregatio, statutum, relaxatio, impartitio, aliaque præmissa a dicta die quarto idus Martii, suum debitum sortiantur effectum, ac si super illis ipsius Gregorii prædecessoris literæ, sub datum ejusdem diei, confectæ fuissent, prout superius enarratur; quodque præsentes nostræ literæ ad probandum plene decretum, definitionem, adscriptionem, aggregationem, statutum, relaxationem, impartitionem & alia præmissa, ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Ceterum quia difficile foret, præsentes nostras literas ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam utriusque voluntatum nostrarum & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vicesimo tertio, octavo idus Augusti, pontificatus nostri anno primo.

✠ Ego Urbanus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

✠
✠ *Ego Franciscus Maria Episcopus Portuensis Cardinalis a Monte.*
✠
✠
✠ *Ego Octavius Episcopus Prænestinus Cardinalis Bandinus.*
✠ *Ego Johannes Baptista Episcopus Albanensis Cardinalis Detus.*
✠
✠ *Ego Andreas Tituli sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Perettus.*
✠ *Ego Bonifacius Tituli sanctæ Mariæ in Transtiberim Presbyter Cardinalis Bevilaqua.*
✠
✠
✠
✠ *Ego Dominicus Tituli sanctorum XII. Apostolorum Presbyter Cardinalis Gymnasius.*

✠ *Ego*

CONSTIT. LXXXVI. A. D. 1623.

✠ *Ego Carolus Cardinalis Tituli sancti Cæsarii Madrutius.*

✠ *Ego Scipio Tituli sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis Burghesius, Major Pœnitentiarius.*

✠ *Ego Johannes Garsia Tituli sanctorum Quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis Millinus.*

✠ *Ego Marcellus Tituli sanctorum Quirici & Julittæ Presbyter Cardinalis Lantes.*

✠

✠ *Ego Johannes Baptista Tituli sanctæ Ceciliæ Presbyter Cardinalis Lenius.*

✠

✠

✠

✠ *Ego Dominicus Tituli sancti Martini in Montibus Presbyter Cardinalis Rivarola.*

✠

✠

✠

✠ *Ego Gaspar Tituli sanctæ Crucis in Hierusalem Cardinalis Borgia.*

✠ *Ego Frater Felix Tituli sanctæ Anastasiæ Presbyter Cardinalis Asculanus.*

✠

✠ *Ego Tiberius Tituli sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis Mutus.*

✠ *Ego Gabriel Tituli sancti Bartholomæi in Insula Presbyter Cardinalis de Trejo.*

✠

✠ *Ego Julius Tituli sanctæ Sabinæ Presbyter Cardinalis Sabellus.*

✠ *Ego Melchior Tituli sanctæ Mariæ de Pace Presbyter Cardinalis Kleselius.*

✠

✠

✠ *Ego Scipio Presbyter Cardinalis sanctæ Susannæ, S. R. E. Bibliothecarius.*

✠

✠

✠

✠ *Ego Guido Tituli sanctæ Mariæ de Populo Presbyter Cardinalis Bentivolus.*

✠

✠

✠

✠

✠

✠ *Frater Desiderius Tituli sancti Clementis Presbyter Cardinalis de Cremona.*

✠

✠ *Ego Ludovicus Tituli sancti Laurentii in Damaso Presbyter Cardinalis Ludovisius, S. R. E. Vicecancellarius.*

✠

✠

✠

CONSTIT. LXXXVI. A. D. 1623.

✠

✠ *Ego Cosmus Tituli sancti Pancratii Presbyter Cardinalis de Torres.*

✠

✠

✠

✠

✠ *Ego Carolus Emanuel sancti Nicolai in Carcere Diaconus Cardinalis Pius.*

✠ *Ego Mauricius sancti Eustachii Diaconus Cardinalis de Sabaudia.*

✠

✠ *Ego Alexander sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis Ursinus.*

✠

✠

✠

✠

✠ *Ego Franciscus sancti Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Boncompagnus.*

✠ *Ego Hippolytus sanctæ Mariæ Novæ Diaconus Cardinalis Aldobrandinus S. R. E. Camerarius.*

✠

✠

N O T A.

Ascoitia, opidulum Ipuscoæ regionis in Cantabris, Hispania Tarraconensis, olim regni Navarræ populis ad Pyræneum, protulit celeberrimum confessorem Ignatium, presbyterorum Societatis Jesu parentem, cujus Vitam primus Hispanice exhibuit Patrus Ribadeneira, Italice postea conversam a Johanna Jolito, hujusque elegantibus typis expressam Venetiis A. D. *1586.* in forma quarti. Idem subinde argumentum latina etiam pertractavit Johannes Patrus Maffejus, & postmodum complures alii, quos nominatim recensere non attinet. Quæ Ignatius ad unam Dei gloriam per alumnos suos propagandam scripsit, memorantur in Auberti Miræi Scriptoribus sæculi XVI. cap. 1. inque Nicolai Antonii Bibliotheca Hispana nova tomo 1. pag. 473. Bruno Loherus monachus Carthusianus Ignatio viventi honorifica nuncupavit Henrici Harphii ordinis Minorum, qui floruit Paullo II. Pont. Max. Theologiam mysticam seu Cantici Canticorum explicationem, Coloniæ per Arnoldum Birckmannum A. D. *1556.* in forma folii excusam ipso anno, quo vir Sanctus in cœlum migravit: de qua Theologia consulendus est Bellarminus in Catalogo, & VVaddingus in Scriptoribus ordinis Minorum pag. *164.*

IDEM

LXXXVII.

IDEM

URBANUS . VIII

B. Franciscum Xaverium, a Xaverio Navarræ opido, Societatis Jesu presbyterum atque Indiarum Apostolum, per Gregorium XV. Pont. Max. Sanctorum confessorum canoni adscriptum fuisse promulgat. Obiit Franciscus die 1I. Octobris A. D. 1552.

URBANUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Const. LXXXVII A. D. 1623.

Rationi congruit & convenit æquitati, ut ea, quæ de Romani Pontificis providentia processerunt, licet ejus superveniente obitu, literæ Apostolicæ desuper confectæ non fuerint, suum debitum consequantur effectum.

Dudum siquidem felicis recordationis Gregorius Papa XV. prædecessor noster pie præmeditans, quod unigenitus & coæternus æterni Patris Filius, cum de regalibus sedibus in hunc mundum, ut salutem humani generis operaretur, descendisset, semen bonum verbi sui in agro orbis terrarum seminaverat, ut omnium cœlestium virtutum, & ad extremum æternæ vitæ fructum credentibus germinaret: quodque cum pro divinæ hujus segetis incremento, pretiosissimum sanguinem suum, ignominiam Crucis voluntarie subjens, effudisset; ac perfecto demum opere, ad quod missus fuerat, super omnibus cœlorum sublimitatibus ad dexteram Patris in sæculorum æternitate consessurus ascendisset, plurimos servos & amicos suos in terris reliquerat, qui laboribus, vigiliis, atque ad ipsius exemplum proprii sanguinis effusione divinam hanc excolentes sementem, messem quamuberrimam in horreum ejus congregarent; ejusque fines eousque dilatarent, donec juxta promissionem Patris, omnes gentes, & termini terræ darentur ei in hæreditatem & possessionem. Et, quamvis verbum ejus semper a generatione in generationem prosperatum esset; attamen quando ab æternis temporibus prædestinatum beneplaciti ejus tempus advenerat, ut abundare faceret, quasi imbrem inundantem, misericordiam suam magnam super universum semen filiorum Adam; gloriamque Crucis suæ usque ad ultimum terræ, & in mari longe propagaret; vere admirabilis facta erat potentia ipsius, cum, revelatis incognitis antea tribubus & linguis ac populis & nationibus, messem

magnam

CONSTIT. LXXXVII. A. D. 1623.

magnam atque uberem aperuerat, atque in ea operarios multiplicave rat; tantaque fructuum abundantia labores eorum compleverat; ut ipsis annunciantibus, evangelicæ prædicationis sonus usque ad extremos orbis terrarum fines penetrasset; & a solis ortu usque ad occasum, ab aquilone & mari magnum nomen Domini Dei nostri in universis gentibus redditum esset. Inter ceteros vero, quos ad perficiendum voluntatis suæ sacramentum in tantarum gentium vocatione Dominus præordinaverat, egregius servus ejus Franciscus Xaverius, novus Indiarum Apostolus, gloria sanctitatis & meritorum splendore præcipue emicuerat. Qui, cum a juventute sua perfecte coram Deo ambulasset spretisque, ac conculcatis divitiis, ac sæculi dignitatibus, ac semetipso juxta verbum Domini, abnegato, animam suam pro nomine Domini nostri Jesu Christi tradidisset; dignus inventus erat, qui a Spiritu sancto in tam insigne opus assumeretur: ac, tanquam aliorum dux divina providentia constitutus, Apostolicis charismatibus affluenter decoraretur: etiam ob signa Apostolatus, quæ in eo in omni patientia, in signis & prodigiis ac virtutibus manifesta facta erant, novarum gentium Apostolus unanimi totius Christiani orbis consensu meruerat appellari. Ac propterea decebat, ut tantum Dei famulum, qui pro gloria ejus, & animarum Domini nostri Jesu Christi sanguine redemptarum salute, innumeros maximosque labores atque ærumnas perpessus erat; ingentiaque terra marique subiverat pericula: quem Deus adeo magnificaverat, ut nomen ejus honorabile esset apud omnes gentes;

Idem Gregorius prædecessor pro suo pastorali munere vere Sanctum & electum Dei, in militanti Ecclesia declararet; ejusque virtutes, tanquam eximias & præcellentes, universis Christifidelibus imitandas proponeret, ut populus Christianus actiones suas ad honorem Dei, ipsius exemplo, dirigens; eum apud Deum & Dominum Jesum Christum in ejus necessitatibus habere mereretur intercessorem: atque, ut omnes Christifideles promptius ad laudandum Deum omnipotentem secundum multitudinem magnitudinis ejus excitarentur; devotionisque ardor erga tantum Dei famulum augeretur, dum ejus in terris cœlestem, & laudabiliter actam vitam orbi terrarum explicaret & patefaceret; in primis & ante omnia præmitteret, quod natus erat insignis hic Dei servus Navarræ in opido Xaverio Pampilonensis diœcesis, maternæ ditionis loco, nobilibus ac piis progenitoribus. Qui cum ipsum ab infantia timere Deum, ac ab omni peccato abstinere edocuissent; ubi ætas demum adoleverat, Luteciam Parisiorum, studiorum gratia, eundem miserant. Quibus cum alacriter operam daret, post haud multum temporis de eo domum revocando pater cogitare cœperat. Quod cum tunc in humanis agens Maria Magdalena ejus soror, quæ monasterium monialium opidi civitatis nuncupati Gandiæ, ordinis sanctæ Claræ, Discalceatarum nuncupatarum, Valentinæ diœcesis non sine ingenti sanctitatis fama tunc regebat, persensisset; Fratris vocationem divinitus edocta, per literas cum Patre vehementius egerat, ut Francisci studia omni ope, etiam cum rei domesticæ detrimento, foveret. Eum enim incognitarum gentium Apostolum divina providentia præordinatum esse prævidebat.

Cumque Luteciæ commoraretur, in familiaritatem sancti Ignatii insinuatus, ac postmodum in socium ipsius, qui id ardentibus precibus a Deo ad ingentem Ecclesiæ utilitatem præstandam postulaverat, adscriptus, eoque duce ingressus erat arctam viam, quæ ad vitam ducebat.

Ut

Ut enim ſpiritu vivificaretur, carnem ſuam, ad antiquorum ſanctorum Patrum exemplum, ſeveriſſime mortificaverat.

Interdicto enim ſibi non ſolum carnis & vini, ſed panis etiam tritici, vilibus tantummodo ac inſulſis cibis, iiſque quam parciſſime, uſus erat: quin etiam frequenter integro biduo triduoque ab omni cibo prorſus abſtinuerat: aliquando vero omnes majoris hebdomadæ dies uſque ad Sabbatum Paſchatis jejunus tranſegerat, ſomnoque breviſſimo vires reficere conſueverat, humi, vel lectulo viliſſimis ſtragulis contecto, jacens. Corpus ſuum ferreis flagellis adeo diverberabat; ut ſæpe copioſus ſanguis efflueret: aliquando autem, funiculis arctiſſime conſtrictis lacertis, & coxendicibus, iter aggreſſus erat: cumque plures dies in eo cruciato perſeveraſſet, vincula adeo corpori ejus infixa erant; ut præ doloris magnitudine viribus deſtitutus, in via concideret: ac, niſi præcipuo Dei beneficio, abſque ulla humana ope, diſrupta fuiſſent; de ejus vita omnino deſperatum fuiſſet.

Quam præclare vero in ejus animo reliquæ Chriſtianæ virtutes effulſiſſent; quam potenter ſcuto fidei protectus omnia nequiſſimi ignea tela extinxiſſet; & quam firmiter in Deo ſperaſſet; & ſacramentorum frequentia, quibus non ſolum ſemetipſum, ſed & alios etiam ſumma cum devotione ac indefeſſa aſſiduitate paſcebat: & verbi Dei aſſidua prædicatio, qua tam ingentem orbis terrarum partem illuminaverat, inſigniter atteſtabantur. Sed inter ceteras ejus virtutes, quaſi ſidus matutinum, præcipue reſplenduerat caritas, quæ in omnibus quidem ejus actionibus, præſertim tamen cum ægrotis inſerviret, manifeſtabatur. Eo etenim dilectionis ardore erga inopes infirmos, qui in domibus hoſpitalibus morabantur, ſe gerebat; ut raro ab eis diſcederet, tantaque ſenſuum mortificatione, quantumvis ſordidiſſima miniſteria peragebat; ut aquam ſæpius, qua horribilia & incurabilia ulcera laverat, ebibiſſet. Cum vero de vita periclitarentur, tunc cibi ſomnique prorſus oblitus, & præter proprias vires a Deo confortatus, veluti a commiſſa cuſtodia nec die nec nocte diſcedebat: illiſque ſanctiſſima Eccleſiæ ſacramenta, ceteraſque ſpirituales alimonias præbebat.

Quæ adeo libenter atque hilariter exequebatur; ut deliciæ ejus deſervire ægrotis ac morientibus eſſe dicerentur; & quaſi aliquod talentum, ſibi divinæ benignitatis munificentia creditum, negotiaretur: aſſiduamque hanc erga ægrotos curam ac vigilantiam toto vitæ ſuæ tempore ubicumque moraretur, exercuerat. Sed & per eandem caritatem, quæ per Spiritum ſanctum diffuſa erat in corde ipſius, adeo ad Deum accedebat, tantoque ſpiritus fervore in oratione perſeverabat; ut hujuſmodi cibo intentus, quo interiorem hominem reficiebat, noctes integras tranſigeret: nec, cum in navi eſſet, atque in aperto vitæ diſcrimine in ſummis tempeſtatibus verſaretur, deſiſteret, aut quidquam animo commoveretur: fieretque aliquando talis ſuper eum mentis exceſſus; ut oculis in cœlum defixis, divina vi a terra elevaretur; vultu adeo inflammatus, ut angelicam prorſus caritatem repreſentaret: nec divini amoris perferre valens incendium, ſæpius exclamaret: *ſatis eſt, Domine, ſatis eſt.*

Cum vero ſacroſanctum miſſæ celebraret ſacrificium, ſæpenumero a ſenſibus uſque adeo abalienabatur; ut nec miniſtri veſtem ſuccutientes, niſi poſt diuturnam moram, excitare poſſent. Quin etiam aliquoties altius cubito a terra elatus, ab univerſa adſtantium multitudine, miraculi magnitudinem obſtupeſcente, ac ſervi Dei ſanctitatem

ſuſpi-

CONSTIT. LXXXVII. A. D. 1623.

suspiciente, conspectus fuerat. Nec solum vigilans vir sanctus Deum in corde, & ore habebat; sed & dormiens in ipso requiescebat. Frequenter enim in somnis sanctissimum nomen Jesu cum summa mentis dulcedine proferre audiebatur. Cumque tam singularibus floreret virtutibus, atque in dies a Deo potioribus augeretur muneribus; non modo non extollebatur, sed crescebat in eo semper virtus humilitatis: adeo ut infima quæque domus officia semper, tanquam omnium postremus, obiret. Vestibus vero adeo pannosis ac vilibus utebatur; ut pueris quandoque deridiculo esset. Venerabatur autem eximie vir Dei non Episcopos modo, sed Sacerdotes quoscumque: sancto vero Ignatio, tunc Præposito suo, non nisi flexis genibus scribebat. Honores vero, ac laudes hominum adeo horrebat; ut amplissimam Apostolici nuncii dignitatem, qua instructus in Indias a summo Pontifice missus fuerat, quam studiosissime occultaret: nec nisi semel ea potestate, necessitate coactus, usus fuerat. Ceterum tantus vir insigne stadium a Deo consequutus erat, in quo gloriose usque ad consummationem cursus & coronam justitiæ, decertaret.

Cum etenim claræ memoriæ Johannes Lusitaniæ Rex a piæ memoriæ Paulo Papa III. tunc dicti Gregorii, nunc etiam nostro respective prædecessore, nonnullos ex Ignatii sociis postulasset, quos ad Orientales Indias, ut in vastissimis illis regionibus verbum Dei disseminarent, transmitteret; idem Pontifex sancti Ignatii hortatu, ad tantum opus peragendum Franciscum Xaverium elegerat: quem etiam Apostolici nuncii dignitate, & amplissima potestate decoraverat. Cumque viatici nomine plurima ei a Prætore regio pararentur; homo, qui pro viatico ac pera de Dei benignitate, in cujus Evangelii opus segregabatur, præsumebat; nunquam adduci potuerat, ut quidquam præter vilissimum centonem, acciperet: & in navi super funem nauticam dormiebat, ac e mendicato vivebat: ægrotis in vilissimis ministeriis indefessa caritate, noctu diuque serviebat.

In Indiam ut pervenerat, statim, nec modico quidem tempore ad quietem post longissimam ac difficillimam navigationem sumpto, ad prædicandum illis gentibus Evangelium se accinxerat: & indutus virtute ex alto, Apostolico spiritus fervore ministerium, quod sortitus erat, tanto cum fructu exequebatur, ut gratia Dei efficaciter verbo ejus cooperante, non solum Christianorum mores depravatos ad meliorem frugem passim toto Oriente revocaret; sed multa centena hominum millia, qui in tenebris & in regione umbræ mortis ambulabant, ad agnitionem veræ lucis perducti, regenerationis lavacro mundarentur.

Nam præter Indos, Brachmanes & Malabares, in quorum regnis Apostolica prædicatio, quæ antiquis temporibus illic viguerat, sed hostis humani generis fraude ex omnium memoria prorsus abolita erat, Xaverii prædicatione revixerat. Ipse primus Paravis, Malais, Jais, Acenis, Mindanais, Malacensibus & Japonibus Evangelium Christi annunciaverat: multique illarum nationum Reges & magni Principes, ingenti cum fidei nostræ emolumento, suavi Christi jugo colla subdiderant.

Incredibilia autem videbantur, quæ propter nomen Domini nostri Jesu Christi toleraverat. Per diversa etenim regna in vastis illis orbis terrarum spatiis semper pedibus, & sæpius nudis, per arenas calidas pergebat: per spinas longissima itinera conficiebat: contumeliis

sæpe-

sæpenumero, probris & illusionibus, quin etiam verberibus & lapidibus appetitus, in periculis hostium, in periculis itinerum versatus, sæpe naufragus vigilias, frigus & nuditatem, sitim, famemque perpessus erat, contractis ob assiduos ac intolerabiles labores gravissimis morbis: nec enim, Apostoli exemplo, animam suam faciebat pretiosiorem quam se, dummodo consummaret cursum suum, & ministerium verbi, quod acceperat, testificari Evangelium gratiæ Dei. CONSTIT. LXXXVII. A. D. 1623.

Signa vero & prodigia, quibus Dominus Apostolorum suorum sermonem in nascentis Ecclesiæ exordiis confirmavit ad illius novæ sobolis incrementum; in manu etiam servi sui Francisci misericorditer renovaverat. Subito enim a Deo diversarum ac incognitarum gentium linguas, quas non noverat, edoctus, disertissime, quasi in iisdem terris educatus esset, loquebatur: & acciderat quandoque, ut eum, ad diversarum nationum populos concionem habentem, unusquisque eodem tempore lingua sua, in qua natus erat, magnalia Dei loquentem, cum stupore & ecstasi audiret: eoque miraculo multitudo magna commota reciperet verbum Dei. Hinc post præmissa, ad Christifidelium ædificationem aliqua ex insignioribus prodigiis & signis, quibus prædicationem & gesta ipsius Dominus illustraverat, recensere præstat.

Et primum illud memorandum videbatur; quod, cum numerosus Badagarum exercitus in exitium Christianorum, a Francisco baptizatorum immineret: atque omnia atrocitatis exempla se in Christianos editurum minaretur; ipse solus, fide armatus procedens obviam, ac severe eorum impietatem increpans, steterat illico immobili vestigio universus exercitus, deterritus (ut milites ducesque referebant) ab homine quodam magno, nigris vestibus induto, qui juxta Franciscum stabat; cujus majestatem ac splendorem, vultu oculisque micantem, ferre non poterant. Itaque vir Sanctus quos Christo pepererat, a cæde ac direptione liberaverat.

Successive apud Comorinum promontorium, cum in quadam Ecclesia servus Dei infidelibus concionaretur, ac propter duritiam cordis eorum nihil proficeret; facta oratione, jussit sepulcrum, in quo pridie defunctus tumulatus fuerat, aperiri: ac populo significans, ad comprobandam Christianæ fidei veritatem, mortuum, Dei voluntate rursum victurum; linteo, quo cadaver involutum erat, rescisso, ac rursus precibus ad Deum fusis, mortuo, ut viveret, imperaverat: qui statim stupentibus omnibus surrexerat vivus: quo tam insigni miraculo commoti qui aderant, tum alii multi, crediderant in Deum.

Eodem postea loco mendicus quidam Beato viro occurrerat ulceribus plenus: cujus plagas Franciscus magno caritatis affectu lavans, atque aquam, qua eas laverat, ebibens, ac deinde Deum, Patrem, misericordiarum, ut illius pauperis misereretur orans; e vestigio ab omni plaga atque ulcere, Dei munere, pauper ipse omnino liber surrexerat.

Sed & puer quidam Mutani in Orientali India pestilenti febre vita sublatus, ac linteo insutus de more gentis, viginti quatuor horis asservatus, flentibus parentibus ferebatur ad sepulcrum: quos ut vir Dei vidit, misericordia motus super eos, Deum omnipotentem, ut puerum vivificaret, genibus flexis precatus fuerat: atque aqua benedicta aspersum, rescisso linteo, signo Crucis signaverat: apprehensaque manu ejus, in nomine Domini Jesu Christi vivum atque incolumem

CONSTIT. LXXXV I. A. D. 1623. parentibus restituerat: erecta illo in loco ad tantæ rei memoriam conservandam, ab incolis magna cum celebritate Cruce.

Et successive apud opidum Combuturæ in ora Piscariæ puer alius in puteum delapsus, suffocatusque, maximo cum matris & cognatorum ejulatu efferebatur: cumque ex proxima Ecclesia Franciscus occurrisset, misertus eorum, in genua provolutus, oculisque in cœlum fixis, Deum pro vita pueri precatus, eum, apprehensa manu in nomine Domini Jesu Christi surgere jusserat: & confestim puer surrexerat vivus: quem Sanctus vir reddiderat matri suæ, stupentibus omnibus, ac maximo cum clamore Deo gratias agentibus: quibus ipse præcepit, ne cui rem gestam narrarent.

Insuper dum in Japonia Insula Franciscus Christi fidem prædicaret; accesserat ad eum mercator quidam a multis annis cœcus, petens, ut sibi a Deo, ut videret, impetraret. Franciscus, recitato super eum Evangelio, signum Crucis oculis ejus impresserat: qui eodem temporis momento lucem amissam recuperaverat. Postero vero die, reversus ad eum cum uxore ac universa familia, genibus advolutus gratias agens, & Christianam fidem professus, ad baptismi gratiam una cum suis omnibus pervenerat.

Exierat autem tam illustris miraculi fama per omnem terram illam: ac multi, relictis Idolis suis conversi erant ad verum Deum & Jesum Christum Filium ejus. Cumque servus Dei ad Sinas in magna navi, qua quingenti vehebantur, navigaret; cessaverant adeo venti, ut quatuordecim diebus navis eodem loco hæsisset immota. Cumque inter ceteras difficultates, aquæ penuria valde laboraretur, multique jam siti deficerent; vir Sanctus omnia navis vasa marina aqua impleri jusserat: fusisque instanter ad Deum precibus, super ea signum Crucis fecerat: ac repente aqua illa salsa, dulcis salubrisque effecta erat. Quo miraculo plures, qui in navi erant, infideles, crediderant in Deum: quin etiam aquæ illius, quæ abunde superfuerat, potu plurimi per multas Indiarum provincias variis, quibus vexabantur, morbis, sanati fuerant.

Ad easdem Sinas contendens, cum, sævissima orta tempestate, omnes de se actum esse existimarent; & Gubernator navis, ne repentinæ vis procellæ scapham auferret, validis eam rudentibus ad onerariam alligari jussisset; non multo post, abruptis retinaculis, scapham tempestas abstulerat, tanto impetu, ut pene temporis momento, omnium conspectum effugisset: & prout quisque cognatos & necessarios in scapha habebat, certatim eorum casum deplorare cœperant. Franciscus ergo universos collacrymantes, bonum eos habere animum jusserat: ac prædixerat, fore, ut ante triduum filia remearet ad matrem, significans, scapham ad onerariam redituram, prout, Deo dante, apparere visa fuerat, & recte ad onerariam tendere, & sponte ad illius latus accedere; atque ita apte se applicare, ut illi omnes, qui in ea erant, commode excepti fuissent: quæ etiam in mediis fluctibus, nemine illam retinente, tamdiu steterat, quoad religaretur ad navim, attonitis omnibus ex miraculo remanentibus.

Ad Moluchas Insulas etiam Franciscus advenerat; ubi magno spiritus fervore verbum Dei primus annunciabat: atque in urbe Tolo vigintiquinque millia hominum baptizaverat: qui, cum suasu tyranni cujusdam, Christi fidem deseruissent, Ecclesiam solo æquassent, Cruces, sanctorumque imagines confregissent & conculcassent; Franciscus, zelum

zelum Domini zelatus, viginti Lusitanos, ac quadringentos circiter indigenas ad ultionem tanti sceleris incitaverat: eoque duce ac victoriæ sponsore, tam pauca militum manus adversus Urbem munitissimam, Christo rebellem, expeditionem aggrediebatur. Sed cum prope Urbem pervenissent, substiterat vir Dei, ac orationi se dederat: statimque vicinus mons magnum emiserat incendium: adeoque ingentem cineris ac pumicum vim eructaverat; ut Urbis atque arcis, quæ in edito sita erat, muros æquasset: horribilisque propterea terræ motus totam Urbem concusserat, plurimasque domos subverterat: quibus malis exterriti incolæ, deserta Urbe, in proximas silvas confugerant. Urbs itaque a Francisci militibus facile capta erat. Cives vero ad ejus pedes prostrati, acceptaque salutari pœnitentia, delicti veniam impetrarant. CONSTIT. LXXXVII. A. D. 1623.

Ulterius, cum inter easdem Insulas Franciscus navigaret, ac sævissima orta esset maris tempestas; ad eam sedandam, Crucifixi imaginem, quam collo appositam gestare solebat, undis immiserat: quæ vi procellæ e manibus excussa, in profundum maris, non sine magno ejus mœrore, delapsa erat. Sed lætificaverat Dominus animam servi sui. Nam cum ad terram applicuisset, ac secus littus iter faceret; marinus Cancer ex undis subito prosilierat: atque ante pedes ipsius steterat, eandem Crucem morsibus elevatam gerens: & Franciscus in genua provolutus,eam devote susceperat, ac diuturna oratione ob tam egregium munus Deo gratias egerat.

Prophetico etiam spiritu Deus servum suum, quem in lucem gentium dederat, illuminaverat: atque adeo insigne donum plurimis manifestaverat exemplis. Atque inter cetera, cum Aceni populi, inter quos etiam Turcæ erant multi, sexaginta navium classe vecti, Christianorum naves concremassent, ac multos crudelissimis suppliciis affectos enecuissent; ducenti ac triginta milites, in octo naves distribuiti, Francisco suadente, ac in nomine Domini exercituum victoriam promittente, classem barbarorum insecuti erant: transactoque jam mense, cum nullus ab ipsis nuncius adveniret, consternatis omnibus, jamque de civium suorum salute desperantibus; Franciscus in ipsa conflictus hora classium congressum, ac insignem Christianorum victoriam, haud secus, ac si præsens esset, in concione narraverat: ac diem, quo tantæ rei nuncius adventurus esset, prædixerat. Quæ omnia, cum ingenti omnium admiratione, eo ipso, quod designaverat tempore, certis nunciis approbata fuerant.

Cumque duæ naves eodem tempore e portu solvissent; prædixerat Franciscus, suborta magna maris tempestate, alteram naufragium passuram, alteram vero (& in hac ipse reperiebatur) extra omne maris periculum in navali dissolvendam: quam prædictionem utrinsque exitus comprobaverat, cum alterius fragmenta non multo post conspecta fuissent; altera vero, multis tute peractis itineribus, cum, publicato vaticinio, sancti Patris navis vocaretur, ac ubicunque appelleret, cum plausu exciperetur; demum, post multos annos in navali, ut reficeretur, subducta, sponte corruerat.

Grassante quoque pestilentia in Lusitanorum ac Hispanorum classibus, quæ ad Amboinam insulam appulerant, cum Sanctus vir ægrotis de more ministraret, a Johanne de Arausio, ut vinum sibi ad eorum usum elargiretur, petierat: quod Arausius gravatim, timens, ne sibi deesset, miserat: quem Dei servus admonuerat, ut in caritatis operibus

CONSTIT. LXXXVII. A. D. 1623.

largior esse vellet: brevi etenim fore, ut vita defungeretur, ejusque omnia bona in usus pauperum cederent. Cumque post non multum temporis spatium, ad Ternatem Insulam, quæ ducentis amplius milliaribus a loco distabat, adventasset, ac missæ sacrificium celebraret; versus ad populum, *orate* (dixerat) *pro anima Johannis de Arausio, qui modo expiravit*. Stupentibus omnibus post duodecimum demum diem supervenerat, qui visionem Sancti viri verissimam fuisse, nunciata Arausii morte, declaraverat.

Mercatori cuidam Meliapore discessuro, ac munusculum aliquod, tanquam benevolentiæ signum, a se postulanti, servus Dei beatæ Mariæ Virginis coronam precariam e collo detractam elargitus erat, affirmans, fore, ut, quandiu illam penes se haberet, ab omni maris periculo incolumis esset evasurus. A portu itaque mercator solvens, naufragium fecerat: cumque in tabulata, ex lignis raptim composita, cum nonnullis aliis vectoribus exiliisset; in alto mari, alienato a sensibus animo, visus esset sibi cum ipso servo Dei Francisco in eo loco, in quo coronam precariam prædictam acceperat, colloqui. Quinto demum die, ex quo desilierat in illa tabulata, ab ea animi ecstasi, velut ab alto somno experrectus, cum neque tabulata, neque socii unquam comparuissent, in littore Nagapatani prope Meliaporem salvum & incolumem se repererat.

Petro Vellio autem, qui summa voluntate in quoddam caritatis opus pecuniam viro Dei elargitus fuerat, promiserat fore, ut nunquam ei necessaria deessent, ac mortis horam divinitus præcognosceret: quorum utrumque acciderat. Nam, quamvis Petrus maxima perpessus esset rei familiaris detrimenta; semper tamen ab omnibus summam liberalitatem expertus erat: ac, transactis demum multis annis, revelata sibi mortis hora, se in Ecclesia in feretro composuerat: auditaque missa ac precibus, quas pro animæ suæ salute recitari jusserat, ibidem statim in pace obdormiverat.

Demum vir Dei, consummato feliciter peregrinationis suæ cursu, fama sanctitatis clarus & bonis operibus plenus, cum ei benedictionem Patriarchæ Abrahæ Dominus spiritualiter elargitus esset, ut multarum gentium pater efficeretur; & filios, quos Christo Jesu genuerat, super stellas cœli & super arenam, quæ est in littore maris, multiplicatos videret; & ex eis plurimos proprio sanguine laureatos ad cœlestia regna præmisisset; Orientalium Indiarum Apostolus ab universis Indiæ regnis, totoque Christiano orbe appellatus; dum aditum Evangelio in vastissimo Sinarum Imperio quærebat, assiduis laboribus, quos ultra humanas vires pro gloria Dei toleraverat, confractus; in Insula prope Sinas, die secunda Decembris anni Domini millesimi quingentesimi quinquagesimi secundi ad cœlestem gloriam, perpetuo cum Deo regnaturus, evolaverat.

Defuncti corpus viva calce perfusum, ut exesa carne ossa in Indiam exportarentur, inclusumque arca lignea sepultum fuerat: quod, post quatuor menses effossum, ita recens, ac tractabile, vestimentisque adeo integris, ac si nuper esset tumulatum, repertum extiterat. Et quamvis nullo odoramentorum genere curatum fuisset, divino tamen munere eam odorum fragrantiam spirabat; ut esset super omnia aromata. Calce itaque rursus injecta, Malacam, quæ in Orientali India Urbs est celeberrima, delatum extiterat.

In qua cum sævissima pestis plurimos quotidie conficeret; ingenti bene-

beneficentia adventum ejus Deus insigniverat. Nam, sacro corpore in Urbem illato, adeo omnis contagio desierat; ut ea deinceps nullus omnino correptus fuisset. Arca itaque rursus aperta, integrum sicut antea, eandemque odoris suavitatem diffundens, repertum etiam fuerat. Cumque in novo loculo conderetur; ex humero, ob arculæ brevitatem paulum compresso, recens sanguis effluxerat. Nono demum post obitum mense, sepulcro iterum patefacto, rursus, ut antea, divina virtute a corruptione immune, ac cœlestibus perfusum aromatibus inventum; velo, quo facies ejus operta fuerat, ob ingestæ terræ pondus, recenti eruore conspersо. Nova itaque arca, sericea aureaque veste contecta, pretiosissimum pignus inclusum, in Indiam ad Coccini portum delatum erat, confluentibus undique ad honorandum communis in Christo Jesu parentis corpus, plurimis earum gentium populis. Inde Goam insigni celebritate translatum, a prorege, ac omnibus civium ordinibus maxima frequentia ac devotione exceptum, & in Ecclesia Societatis Jesu, ut populorum devotioni satisfieret, validis cancellis inclusum, omnium oculis per triduum expositum remanserat: ejusdemque proregis jussu ab insigni medico, deindeque Vicario Goano, visitatum ac pertentatum, omni ex parte incorruptum, integris etiam intestinis, compertum fuerat, manante etiam ex parvo inflicto vulnere, recenti cruore. CONSTIT. LXXXVII. A. D. 1623.

Quo tempore, cum mulier quædam affectu devotionis incitata, specie osculantis pedis digitum, ut illum abscinderet, morsu apprehendisset, statim sanguis effluxerat. Sed Altissimi benignitas non his modo mirabilibus Sanctum suum in conspectu omnium populorum mirificaverat; sed omni tempore ingentia præstabat beneficia his, qui ejus intercessionem fideliter implorabant, ut plurimis exemplis, præsertim vero infra insertis, manifestum erat.

Puer quidam Goæ natus, qui utrumque pedem a nativitate adeo aridum, & crura sicca habebat, ut illis non posset insistere, sed manibus reptare cogeretur, ad servi Dei sepulcrum ab educatrice perductus, singulis novem diebus visitare statuerat. Cumque votum cœpisset adimplere; tertia jam die, qua sepulcrum visitabat, puer in ejus gremio existens, repente ferream sepulcri cratem manibus apprehendens, suis stare pedibus, & ambulare cœperat, & statim omnino sanus evaserat: & intra novem dies, quos promiserat, crura carne repleta fuerunt: & sic semper valens & sanus deinde vixerat.

Cottatæ, Indiæ Orientalis civitate, unius mensis infans mortuus ad sepulturam curatus erat. Voverant itaque cum ingenti fide parentes, se insigne donum, si puer reviveret, sepulcro servi Dei oblaturos, ac Francisci nomen ei imposituros. Repente infans aperire oculos, brachia pedesque movere ac vagire cœperat: ac paulo post non vivum modo, sed & omnino sanum atque incolumem filium receperunt: redditisque cum ingenti gaudio votis, tam insigne miraculum per totam illam regionem divulgarant.

In eadem Urbe cœco cuidam Sanctus per quietem apparuerat: eumque monuerat, ut ad Ecclesiam ejus visitandam, oculorum lumen ibi recepturus, pergere non differret. Paruerat fideliter homo: ac, dum per novem dies ante Francisci imaginem orabat, repente discussa omni cœcitatis caligine, sanatus erat, & perfecte viderat.

Quin etiam leprosus quidam in eodem loco magna fiducia ad Sancti Intercessionem confugerat, proprioque corpore, oleo lampadis,

quæ

CONSTIT. LXXXVII. A.D. 1623.

quæ ad ejus imaginem ardebat, perunćto; dum proſtratus orabat, repente a lepra mundatus atque omnino ſanus effećtus erat.

Eandem virtutem experta erat Franciſca Rebelles, quæ a multo tempore ſanguinis fluxum ac ventris tumorem cum ingenti dolore patiebatur. Lampadis enim ante ejus imaginem pendentis identidem ſe oleo ungens, ſtatim adeo perfećte convaluerat, ut nullas amplius eorum morborum ſenſiſſet reliquias.

Frequenter enim acciderat, ut lampades ad eandem ſervi Dei imaginem appenſæ, aqua tantum benedićta infuſæ, haud ſecus ac ſi oleo plenæ eſſent, arderent, lucerentque: ſtupentibus etiam infidelibus, quos ad tantæ rei miraculum conſpiciendum, non ſine magno fidei noſtræ incremento, Chriſtiani invitabant.

Cum fruſtra omnes medicæ artis opes expertus eſſet Gundiſalvus, Coccinenſis civitatis incola, ut inveterato cancri morbo, quod pećtus ejus aſſiduis doloribus vexabat, mederetur; ad divinam opem converſus, omnipotentis Dei miſericordiam, ut ſe beati Franciſci meritis ſanum faceret, imploraverat. Imaginem igitur ejus, ære excuſam, ulceri applicuerat, eodemque momento ab omni plaga incolumis evaſerat. Ejuſdem Urbis civis Emmanuel Rodriguez pedes habebat ulceribus plenos, ac ob nervorum contraćtionem adeo debiles, ut illis inſiſtere non valeret: quibus malis & gravis, & periculoſa dyſenteria acceſſerat. Medicis itaque de ejus vita diffidentibus, cum ad interceſſionem famuli Dei Franciſci æger confugiſſet; eadem imagine corpus ſuum in formam Crucis ſignaverat; & aquam, in qua eadem merſa fuerat, ebiberat: talemque divinæ virtutis ſenſerat effećtum; ut intra tridui tempus ab omnibus morbis incolumis integram conſequutus fuiſſet ſanitatem.

Ejuſdemmet ſervi Dei imaginis præſentem agnoverat virtutem Maria Diaz. Septem etenim annis cœcitatem ac paralyſim perpeſſa, ſignum Crucis debilitatis membris impreſſerat; eaque, ejuſdem imaginis immerſione, aqua ſanćtificata laverat: necdum ſeptem prætierant dies, eum oculorum lumen, ac totius corporis cœleſti dono acceperat incolumitatem.

Hincque faćtum erat, ut, cum tot tantiſque ſignis ſervum ſuum omnipotens Deus in brachio excelſo clarificaret; & per univerſum jam terrarum orbem tot mirabilium præconia longe lateque diffunderentur; ac propterea non ſolum Chriſtifidelium erga ipſum devotio magna ſuſciperet incrementa; ſed multorum etiam infidelium corda ad agnoſcendum Deum & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum illuminarentur; Johannes Luſitaniæ Rex prædićtus zelo devotionis accenſus, inſtiterat, ut a diverſis locorum ordinariis ſuper ejus ſanćtitate & miraculis proceſſus fierent. Qui cum diligenter munus ſuum expleviſſent; ac procedentibus temporibus omnia aćta ad hanc ſanćtam Sedem tranſmiſſa fuiſſent; recolendæ memoriæ Paulus Papa V. etiam prædeceſſor noſter, tunc ſuus, inſtante pro ſervi Dei canonizatione etiam claræ memoriæ Philippo III. Hiſpaniarum Rege Catholico; deputavit bonæ memoriæ Horatium Lancellottum tunc Rotæ auditorem, eoque ad Cardinalatus honorem ſublimato; dilećtum filium magiſtrum Johannem Baptiſtam Coccinum ejuſdem Rotæ decanum, & pariter bonæ memoriæ Franciſcum Sacratum, tunc Archiepiſcopum Damaſcenum & auditoris Rotæ locumtenentem, ac deinde ſanćtæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem: qui & antiquos proceſſus examinarent, & novos aućtoritate

Apo-

Apoſtolica faciendos, quatenus ipſis videretur, decernerent; atque omnia eidem Paulo prædeceſſori una cum eorum ſententia referrent. CONSTIT. LXXXVII. A. D. 1623.

Qui literas remiſſoriales ad diverſos Prælatos, in Hiſpaniarum, Luſitaniæ & Indiarum Regnis conſtitutos, decreverant: atque ipſi interim in curia novos teſtes examinarant. Cumque prædicti Judices partibus ſuis perfuncti eſſent; eiſdem auditoribus proceſſus a ſe confectos tranſmiſerunt. Qui omnibus ſumma cum maturitate per plurimum temporis ſpatium (ut negocii gravitas poſtulabat) conſideratis ac perpenſis; eidem Paulo prædeceſſori retulerant, juxta canonicarum ſanctionum decreta, abunde conſtare de vitæ ſanctimonia, ac eximiis virtutibus ſervi Dei Franciſci, deque miraculis, quæ tam eo vivente, quam poſt felicem ejus obitum, ejus meritis & interceſſionibus Deus omnipotens operari dignatus erat: dignumque videri, ſi eidem placeret, ut in ſanctorum Confeſſorum catalogo aſcriberetur.

Cumque interim prædictus Paulus prædeceſſor humanitatis debitum perſolviſſet; & prædictus Gregorius prædeceſſor ad ſacrum Apoſtolatus apicem divina providentia aſſumptus fuiſſet; ac pro parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri, tunc ſui, Philippi III. Hiſpaniarum Regis Catholici inſtanter requiſitus eſſet, ut negocium hujuſmodi promovere, ac ad ulteriora procedere dignaretur; accederentque aliorum Principum ac Prælatorum, & totius Indiæ cleri, idem ſuppliciter expoſcentium preces; prædictus Gregorius prædeceſſor, ut in re tam gravi ea, qua decebat, maturitate progrederetur; prædictorum auditorum relationem ad ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſacris Ritibus Præfectos, ut rurſus totum negocium quamdiligentiſſime diſcuterent, remiſit.

Quod cum illi accurate perfeciſſent, ac pro ſervi Dei canonizatione omnes unanimiter cenſuiſſent; bonæ memoriæ Franciſcus Maria Epiſcopus Portuenſis, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis de Monte nuncupatus, totius proceſſus ſummam, & ſuam, collegarumque ſententiam coram dicto Gregorio prædeceſſore, & venerabilibus fratribus noſtris, tunc ſuis, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, in conſiſtorio ſuo ſecreto expoſuit. Quibus auditis, reliqui Cardinales ad ulteriora fore procedendum communi ſuffragio pronunciarunt. Igitur, cum in publico conſiſtorio quondam Julius Zambeccarius, tunc aulæ conſiſtorialis advocatus, plurima de hujus ſervi Dei vita & virtutibus enarraſſet; atque ejuſdem Hiſpaniarum Regis Catholici preces pro eadem canonizatione expoſuiſſet; utque ad eam procedere dignaretur, humiliter ſupplicaſſet, dictus Gregorius prædeceſſor prædicti Regis pietatem & religionis zelum plurimum in Domino commendans, ſuper re tanta eoſdem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales atque Epiſcopos in Romana curia præſentes conſulendos eſſe reſpondit.

Atque interim Cardinales & Epiſcopos prædictos intimo cordis ſui affectu vehementer in Domino hortatus eſt, ut in omni humilitate & lacrymis, in jejuniis & eleemoſynis, expoſcerent ab eo, qui eſt via & veritas, ut dirigere dignaretur greſſus ſuos in ſemitis ſuis, ut ingrederetur in veritate ſua; ut quod beneplacitum eſſet in conſpectu ejus, intelligere ac perficere eo auxiliante valeret. Sequenti itaque ſemipublico conſiſtorio, ad quod non Cardinales modo, ſed etiam Patriarchas, Archiepiſcopos atque Epiſcopos in curia præſentes convocari mandavit; præſentibuſque etiam Sedis Apoſtolicæ notariis, necnon

ſacri

CONSTIT. LXXXVII. A. D. 1623.

sacri palatii Apostolici causarum auditoribus; cum plurima de egregia viri Dei Francisci Xaverii vita ac miraculis enarrasset; & quanta insignis hic Dei servus pro nomine Domini nostri Jesu Christi pertulisset, quantoque cum proventu (Domino incrementum dante) per incognitas nationes verbum ejus disseminasset, exposuisset; commemoratis etiam instantiis, quæ coram dicto Gregorio prædecessore tum a Rege Catholico, tum ab aliis etiam Reipublicæ Christianæ Regibus & Principibus fiebant; cum singulorum sententias requisisset, omnes uno ore benedicentes Deum, qui honorificantes se glorificat, servum ejus Franciscum Xaverium canonizandum esse, atque inter sanctos Confessores adscribendum censuerunt.

Quorum omnium audito consensu exultavit in Deo salutari nostro, gratias agens ei, qui est gloria virtutis nostræ, in cujus beneplacito contra omnes adversarias potestates exaltatur cornu nostrum: qui Ecclesiam suam in diebus istis hoc lumine illustrare, ac novo patrocinio munire dignatus esset. Canonizationis itaque publicavit diem infrascriptum, eosdemque fratres & filios nostros paterna caritate monuit, ut bonis operibus inhærentes, precarentur Deum misericordiarum, ut super eos sereno vultu respicere, & eorum actiones ad voluntatem ejus perficiendam dirigere dignaretur.

Demum, peractis omnibus, quæ ex sacris constitutionibus, ac Romanæ Ecclesiæ consuetudine peragenda erant, quarto idus Martii, pontificatus sui anno secundo in sacrosancta principis Apostolorum basilica, cum eisdem Cardinalibus, necnon Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, Romanæ curiæ Prælatis, officialibus & familiaribus suis, clero sæculari & regulari, maximaque populi frequentia convenit. Ubi repetitis pro canonizationis decreto, nomine ejusdem carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici, a dilecto filio nostro, tunc suo, Ludovico Tituli sanctæ Mariæ Transpontinæ Cardinali Ludovisio nuncupato, ejus secundum carnem nepote, per Julium Zambeccarium advocatum prædictum, petitionibus; decantatis sacris precibus ac litaniis, & Spiritus sancti gratia, humiliter implorata, ad honorem sanctissimæ & individuæ Trinitatis, ac fidei catholicæ exaltationem, auctoritate omnipotentis Dei, Patris & Filii & Spiritus sancti, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum, ac sua, de eorumdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum in Romana curia præsentium consilio ac unanimi consensu, gloriosæ memoriæ Franciscum Xaverium, de cujus vitæ sanctitate, fidei sinceritate, & miraculorum magnitudine ac frequentia plene constabat; Sanctum esse definivit, & sanctorum Confessorum catalogo adscribendum esse decrevit & adscripsit; illumque ab universis Christifidelibus, tanquam vere Sanctum, honorari ac venerari mandavit:

Ac ut ab universali Ecclesia in ejus honorem Ecclesiæ & altaria, in quibus sacrificia Deo offerantur, ædificari & consecrari; & singulis annis die secunda Decembris, quo ad cœlestem gloriam vocatus est, ejus officium, ut de sancto Confessore, ad præscriptum Romani Breviarii celebrari posset, statuit: eademque auctoritate omnibus Christifidelibus, vere pœnitentibus & confessis, qui singulis annis eodem festo die ad sepulcrum, in quo corpus ejus requiescit, visitandum accederent, unum annum & unam quadragenam; iis vero, qui in ejusdem festi octava, quadraginta dies, de injunctis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxavit.

Po-

Postremo gratiis Deo cum exultatione actis, quod Sanctum suum in conspectu omnium gentium honorificasset, ac tam insigni splendore Ecclesiam suam decorasset; cantata in sancti Francisci honorem solemni Sanctorum Confessorum oratione, ad altare principis Apostolorum missam celebravit, cum ejusdem sancti Confessoris commemoratione, omnibusque Christifidelibus præsentibus, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam elargitus est. CONSTIT. LXXXVII. A. D. 1623.

Ne autem de definitione, decreto, adscriptione, mandato, statuto, relaxatione, aliisque præmissis, pro eo, quod super illis ipsius Gregorii prædecessoris literæ, ejus superveniente obitu, confectæ non fuerunt, valeat quomodolibet hæsitari, volumus & Apostolica auctoritate decernimus, quod definitio, decretum, adscriptio, statutum, relaxatio, impartitio, aliaque præmissa a dicta die quarto idus Martii suum debitum sortiantur effectum, ac si super illis ipsius Gregorii prædecessoris literæ sub datum ejusdem diei, confectæ fuissent, prout superius enarratur; quodque præsentes literæ ad probandum plene definitionem, decretum, adscriptionem, aggregationem, statutum, relaxationem, & alia præmissa, ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Ceterum quia difficile foret, præsentes nostras literas ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum decreti & voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vicesimo tertio, octavo idus Augusti, pontificatus nostri anno primo.

✠ Ego Urbanus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠ *Ego Dominicus Tituli sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Gymnasius.*
✠

 ✠ *Ego*

salutare sanctitatis exemplum intueri propius, novumque apud Dei misericordiam interpretem & intercessorem præsentibus in periculis ac necessitatibus invocare præcipue possit, ejusque precibus pacem & tranquillitatem in diebus suis, placato Domino, sperare. Seorsum autem nostro nomine pro eo, ac debemus, immortales gratias humillime habemus atque agimus eidem divinæ benignitati. Jam vero ut Thomæ sanctitas testimonio etiam nostro innotescat; CONSTIT. LXXXVIII. A. D. 1658.

Vir iste sanctissimus ortum habuit in castro Fontisplani Toletanæ diœcesis anno a salute orbis reparata millesimo quadringentesimo octogesimo octavo, ex honestis & catholicis parentibus, Alphonso Thoma Garcia de Villanova, ejusdem diœcesis oppido, & Lucia Martinez Castellana, adeo caritati deditis, ut nunquam ab se vacuo sinu egenum abire permiserint.

Ac veluti ingenito quodam pietatis & misericordiæ sensu, ex matris alvo secum delato, & sub ejusmodi parentibus educatus, antea visus est se Deo dicare, quam Deum posset per ætatem cognoscere. Nunquam negavit pauperibus Christi quod peterent, & oculos viduæ expectare non fecit; nec buccellam suam solus comedit; sed comedit pupillus ex ea. Nam jentacula, ad gymnasium proficiscenti dari solita esurientibus partiebatur; ac pauperum nuditatem commiseratus, sæpe domum repetebat, sago, thorace, pileo, caligis & pallio denudatus; matrem quandoque enixe precatus, ut pauperi supervenienti consuetæ ac quotidianæ eleemosynarum distributioni paratum sibi prandium adjiceret, spondens ea die, se minime comesturum: quo obtento, pio & innocenti jejunio satur, mentem divina esurientem cœlestibus dapibus recreabat. Et exinde ad xenodochia reficiendis languentibus ova recens edita deferebat; usque adeo a teneris unguiculis in egenos effusus, ut pullos ipsos gallinæ sublatos Christi Domini pauperculis distribueret: ac messoribus aliquando præfectus, egenis spicas colligentibus, non illorum solum, sed proprium, ac sibi destinatum cibum partiretur. Semper tamen parentum imperio æque subditus, quantum caritas in Deum laudabiliter suaderet, ab eorum mandatis non declinabat.

Optavit enim & datus est ei sensus, invocavit, & venit in eum spiritus sapientiæ, quo agente, Patrem luminum & domi, & in templis assidue precabatur, & concupiscentiam carnis robusto atque integro sanctitatis rigore calcavit, castigans corpusculum suum & in servitutem redigens, cilicio & flagellis domans: quibus ab eo per oblivionem in cubili quandoque relictis, & a matre non sine admiratione repertis, evidenter patuit in eo, a tritura sementem, a vindemia palmitem, a pomis radicem præveniri. Quam sane in se ipsum privatam & tacitam severitatem pari etiam modestia condiebat. Adeo enim modestus fuit, ut nunquam e terra oculos levare consueverit, adeoque castus & pudicus, ut ad extremum usque spiritum virgo permanserit, neque unquam ex ejus ore verbum prodierit, quod puritatem pectoris non redoleret.

Intelligens autem fore, ut ii, qui docti fuerint, quasi splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates fulgeant; Compluti in collegio sancti Ildephonsi in disciplinis & facultatibus, omnique virtutum genere doctores ipsos facile superavit. Logicas subinde & Theologicas quæstiones explanavit. Jam vero satis in Christiana palæstra edoctus, ac Evangelici memor effati.

CONSTIT. LXXXVIII. A. D. 1658.

effati: *Qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus*; audito parentis obitu se cathedræ ornamento, & commodis abdicavit; ac integrum patrimonium virginibus alendis addixit: quo illis erectum fuit xenodochium in oppido Villanovæ, adhuc hospitale Archiepiscopi nuncupatum.

Interim inclinavit aurem suam, ut audiret loquentem in se Dominum, & dicentem: *obliviscere populum tuum, & domum patris tui*. Unde cum annum septimum & vigesimum ageret, ne sæcularium strepitu curarum a perfecta cum Deo unione distraheretur, duxit eum Dominus in solitudinem, ut ibi loqueretur ad cor ejus, ibique ordini Eremitarum sancti Augustini in Salmantino conventu nomen dedit die vicesima quarta Novembris millesimi quingentesimi decimi sexti; ac peractis per annum mira austeritate vitæ religionis rudimentis, recurrente mox eadem die vicesima quarta Novembris ibidem solemnem professionem emisit; & æmulatus charismata meliora, eam brevi religiosæ perfectionis metam attigit, ut, vix biennio elapso, ejusdem conventus sit Prior renunciatus. Inde vero Prioris conventus sancti Augustini Burgensis, visitatoris provinciarum Castellæ & Bæticæ, Provincialis definitoris ejusdem provinciæ Castellæ, & Prioris conventus Vallisoletani munia iis vitæ ac morum exemplis obivit, eoque zelo labefactatam regularis disciplinæ integritatem restituit, ut numero reformatorum ordinis adscribi promeruerit.

Inter hæc volente Altissimo rigare montes de superioribus suis, jussus est talentum sibi a Domino creditum non abscondere in terra, sed ut sapientissimus dispensator, in communem utilitatem convertere. In prædicto igitur percelebri Salmantino conventu ex obedientia Magistrum sententiarum, & religiosis sui ordinis & exteris advenientibus exposuit, sancti Thomæ doctrinam secutus; ad quod & nominis similitudo & religionis consuetudo eum hortabantur: eoque doctore, tantus fuit discipulorum profectus, ut cum sanctum bellum principibus & potestatibus tenebrarum indicere decrevisset, eos dignos invenerit, quos ad expugnandas Mexicanas infidelitatis arces, dum ipse postea provincialis officio fungeretur, ad Apostolicam formam plane conformatos, ut Angelos veloces ad gentem Christianæ religionis penitus ignaram transmitteret; eos accendens proposito gaudio, aut futuræ illarum a Deo aversarum mentium conversionis, aut proprii pro Christo effusi sanguinis laureæ consequendæ: quorum primum non sine magno Christianæ Reipublicæ emolumento clementissimus Dominus felicissimo eventu per illos comprobare dignatus est.

Dum in istis versatur, Spiritus Domini super eum pauperibus evangelizare misit eum. Nam e Cathedra ad Suggestum ex obedientia translatus, visus est populis tuba vitæ & vox cœlorum; ac proinde vas electionis, ut portaret nomen Jesu coram Regibus & Principibus. Propterea Carolus V. Imperator eum sibi a concionibus singulariter elegit: cujus Apostolicus spiritus omnibus omnia factus, sapientibus & insipientibus verbi divini pabulum erogavit, itaut una omnium voce Spiritus sancti organum proclamaretur.

His permoti idem Carolus V. & Philippus II. Hispaniarum Rex Catholicus labefactatam Valentinæ Ecclesiæ ex diuturna viduitate disciplinam, Thoma tantum Præsule ad eam proposito, restitui posse pie crediderunt. Verum, ne, ut antea Granatensis Ecclesiæ infulas recusaverat, eo quod elegisset abjectus esse in domo Dei sui, etiam

Valen-

Valentinæ curam suscipere abnueret, ubi Imperatoris ac Regis voluntatem non satis urgere compertum fuit, iisdem petentibus, a suo superiore adactus, cellam cum lacrymis deserens, Valentiam sese contulit; & in conventu sanctæ Mariæ de succursu ordinis sancti Augustini, equo descendens, fastu solemnis ingressus vitato, pedes cum socio simplicis religiosi habitu indutus ad Cathedralem perrexit; atque hæc humilitatis fundamenta jecit, ut ecclesiastici præsulis culmen quo profundius stabiliret, eo solidius & sublimius eveheret.

In hoc Cathedræ fastigio bonus iste Pastor animam suam posuit pro ovibus suis; & licet gladius persecutoris eum non abstulerit, martyrii tamen palmam non amisit. Ecclesiasticam enim disciplinam, & laicorum mores, coacta Synodo provinciali, multis affectus injuriis instauravit. Mox ad ovium suarum salutem promovendam conversus, plurimos ad vitæ semitam æque prudentis ac ignitæ caritatis vi exhortando, jejunando, orando, proprium etiam sanguinem iteratis flagellationibus fundendo revocavit; ut vere dicere posset: die, noctuque æstu urgebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis.

Et quamvis suaviter animos ad honestatem sectandam allicere studuisset, fortiter tamen finem attingere non prætermisit. Nam & invictum animum in tuendis Ecclesiæ juribus, & ecclesiastica restituenda & conservanda auctoritate, ostendit; illis verbis usus, se gloriosam magis mortem, quam odibilem vitam amplecti, nec supplicia pro ecclesiastica immunitate ex debito pastoralis officii in libertatem vindicanda timere, aut fugere: quod ex animo dictum ostendit, cum regio ministro minitanti rerum temporalium expoliationem, imperterrita respondit: tunc magis locuples ero, cum temporali subsidio liber ad cellam lætus remigrabo, ubi Divum Augustinum parentem meum inveniam, a quo non nisi invitus, & lacrymans discessi. Delinquentes debitam pœnam subire, censuris coegit ecclesiasticis, eximia caritate exæstuans, & se pro suis holocaustum offerens, quos obsecrando & arguendo corrigere non posset. Iisdem enim adstantibus, se usque ad sanguinem flagellando, semetque cum lacrymis increpando, cujus peccatis fieri dicebat, si non resipiscerent: sic compungebat, ut eos ad pœnitentiam & meliorem frugem reduceret.

Ita tamen mira benignitate caritatis excellentia, prudentiæ suavitate plures tum ex clero, tum ex populo in viam timoris Domini reduxit, ut ubi malo suorum familiarium exemplo, ne alii infici possent vereretur, egregius puritatis amator, neque ad horam ullum impudicitia fœdatum domi suæ detinuerit. Quin, & ipsum fratris filium lasciviæ culpa notatum domo expulit, & patriam repetere sine mora coegit.

Quapropter sic in labore & ærumnis, in vigiliis & jejuniis arguens, obsecrans, increpans, in omni patientia & doctrina omnibus omnia factus est, ut omnes lucrifaceret, & alter veluti Paulus, divinus intellectus, & divini amoris cereus nuncuparetur: adeoque Dei amore flagrabat, ut passim dicere soleret, sibi propemodum tolerabilius videri, se in Infernum demitti, quam non diligere Deum; & præ ignibus & tormentis illud unum expavescere, quod, qui cruciantur in Inferno, Deum oderunt.

Et ecce data est ei pax fœderis Domini, & fuit illi pactum sacerdotii sempiterni, quia zelatus est pro Deo suo, & expiavit scelus filiarum Israel; & quia misericordiam habuit, erudivit, quasi Pastor gregem suum,

CONSTIT. LXXXVIII. A. D. 1658.

suum, Christo Domino dilectus, & obtemperans pavit agnos, pavitque oves ipsius. Adeo enim fuit in pauperes liberalis, & pareus erga se ipsum, ut quo egenis, quorum se parentem gerebat, largius subveniret, laceras indueret vestes, quas propriis manibus farciebat; unicum pileum proprio usui domi asservaret, cubiculum storeis vestitum incoleret, super farmentis in terra quiesceret, sæpe pauperes convivas ex eadem patina, cibum sumere permitteret; ipse vero adeo parce comederet, ut senio & infirmitate confectus, unico, eoque modico ferculo mensam instrui permiserit; & Oeconomo secus cum precibus suadenti, sæpius responderit, iniquum esse, ut servus pinguiori cibo, quam Domini sui pauperes vesceretur. Lintea e proprio cubili desumens, & indusiis se ipsum exuens, ea pauperibus largiebatur, ratus ea, quæ pauperum erant, citra injuriam illis denegari non posse: in quo sui sanctissimi Patriarchæ Augustini perfectus extitit imitator, & filius, quod nil suum æstimavit, imo totum reputavit commune cum fratribus: unde, & sancti Gregorii Magni vestigia secutus, catalogum pauperum omnium penes se retinebat, ut singulis pro egestate consulere posset. Præterea puellis egenis dotem pro conditione suppeditabat. Cumque Mauri prædati essent oppidum Collera suæ diœcesis, & plurimos incolas captivos duxissent, ingentem aureorum vim in illis e jugo servitutis redimendis liberaliter profudit. Cumque experientia didicisset, pauperes fœminas natorum in publica via projectorum vitam negligere; ad se pueros afferri curavit, & grandem pecuniæ summam in iis alendis & educandis impendit.

Tria erexit collegia, quæ pinguibus dotavit proventibus: primum Valentiæ, alterum Compluti, tertium Oriolæ: a quibus viri tum probitate, tum doctrina præstantes plurimi prodiere.

Insignem hanc viri, secundum cor suum, pietatem ille idem piissimus Dominus, qui & facit mirabilia magna solus, & est mirabilis in Sanctis suis, singularibus testimoniis divinæ suæ dexteræ præter consuetum causarum secundarum ordinem operantis, acceptissimam sibi esse confirmavit; ad sublevandam enim miserabilis feminæ familiam factum est, ut subcustos frumenti archiepiscopalis ab eo mitteretur ad horreum, quod paulo ante vacuum penitus reliquerat: quo cum pervenisset, e januæ rimis grana exuberantia cum subœconomo, & aliis conspicatus est; & dum januam aperire student, magna vi frumenti compressam vix totis viribus impellentes reserare potuerunt: quamobrem stupore perculsi magnis vocibus inclamant miraculum. Tumque Thomas eo accurrens, cunctis silentium præcipiens, mulieri triticum elargitus, vescere, ait, & omnipotenti gratias age, qui tibi illud paravit.

Ad hæc conscius, se missum, ut mederetur contritis corde, producto super pauperem quemdam Cæsaraugustanum quadraginta jam annis paralysi laborantem, & fulcimentis insistentem signo sanctissimæ Crucis dicens: confide, & dic gratias Deo, qui dignatus est tibi salutem impartiri, consolidavit bases & plantas ejus, ita ut paralyticus se erigeret, undique validus, rejectisque fulcimentis ad pedes ejus procumberet: cui sanctus Archiepiscopus silentium indixit, ac Deo gratus, ut esset, & pro se preces funderet, hortatus est.

Memor etiam promissionis Christi Domini: si quid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis; nunquam ad conciones habendas perrexit, aut conversionis alicujus provinciam suscepit, nisi Deum prius effusis preci-

precibus exoraffet, ut divina gratia dura peccatorum corda emollire dignaretur; mox ab hujufmodi oratione confurgens, eo fervore, ardentique zelo peccatores corripuit, ut quamplurimos ad pœnitentiam, & perfectioris vitæ femitam revocaverit; quos tactos dolore cordis intrinfecus ad confeffarii pedes illico accurrere impellebat. Contigit etiam, ut coram dicto Rege Philippo II. agens de ineffabili fanctiffimæ Trinitatis myfterio eo ufque exerexit mentem, ut Archiepifcopus Granatenfis, vir doctrina ac pietate præditus, dixerit fe non putaffe eo illum fefe potuiffe attollere, quod quæ audiffet, humanum intellectum longe excederent; hujufce vero & aliarum quamplurium concionum codex, fe fuperftite, nunquam Thomæ fingularis modeftia, ut typis committeretur, præbuit affenfum.

Continuam infuper Dei fervus mentis elevationem patiebatur, itaut a concionibus aliifque facris functionibus abftinere cogeretur; exinde mundi gloriam ea ratione devitans. Quem tamen in noviffimo loco interius recumbentem, altius qui eum ad nuptias invitaverat non fine magna gloria coram difcumbentibus afcendere compulit; in ipfa enim Afcenfionis Dominicæ celebritate cum divinis officiis intereffet, ad antiphonam nonæ; & videntibus illis elevatus eft; ipfe quoque e terra fublatus prorfus immobilis integro duodecim horarum fpatio omnibus videntibus permanfit; quafi jam felix illa anima fuo itineri ad Deum fe accingeret.

Tandem his, multifque aliis meritis plenus in febrim incidit, ac cum peculium domefticum jamdiu in piis ufibus confumpfiffet, quæ pauperrimæ fuppellectili fupererant, inter pauperes familiares partitus eft; oblitus vero cujufdam Commentarienfis patrisfamilias egeni, cubile in quo ægrotans jacebat, cum nil aliud ipfi fupereffet, ei donavit, & tunc quod fuum erat, auferret, hortabatur; at renuentibus familiaribus ipfum fuper ftoream ponere, ut fieri poftulabat, mira humilitate per vifcera Jefu Chrifti a Commentarienfi ejufdem cubilis ufum ad mortem ufque precatus eft, ut qui aliis pauperibus totus vixerat, in alieno decedens pauperrimus moreretur.

Cumque orans & vigilans expectaret adventum Domini fui, Epifcopus Segobricenfis ultimum adventare vitæ terminum nunciavit, cui exhilaratus gratias egit & addidit: *lætatus fum in his, quæ dicta funt mihi: in domum Domini ibimus*; ufurpans etiam illud fancti Martini; *Si adhuc populo tuo fum neceffarius, non recufo laborem. Sin minus, cupio diffolvi & effe tecum*. Tum vero cum per oeconomum quinque millium aureorum fummam fupereffe fignificaretur, eam pauperibus diftribui mandavit, cumque intellexiffet omnibus civitatis pauperibus abunde effe fubventum, & adhuc mille & quingentos aureos reliquos effe, ad immortalitatis bravium terrenis omnibus affectibus expoliatus anhelans, fic conqueftus eft: cur me hic detinetis adhuc, ne ad fruendum bonum, quod mihi paravit Dominus, evolem? Properate, opus abfolvite, ne ipfe diutius hic in labore anxius detinear, fed tandem in pace Chrifti requiefcam. Et certior factus jam omnia confummata, ipfe fuum jam confummaturus curfum, Deo gratias agens, addidit: nunc lætus ad agonem propero, nudus cum nudo, nil habens unde tenear, ftrenue luctaturus: juffitque fe facro oleo muniri, & clerum vocari, cui fumpto fanctiffimæ Euchariftiæ facramento, fanctitatem vitæ, & perpetuam erga fanctam Sedem Apoftolicam obedientiam ex teftamento legavit.

CONSTIT. LXXXVIII. A. D. 1658.

Demum semel adhuc sub speciebus sacramentalibus venerari cupiens Deum Salvatorem, quem mox facie ad faciem sese intuiturum sperabat; in suo cubiculo sanctum sacrificium confici, & interim sibi Dominicæ passionis Evangelium secundum Johannem legi voluit; eoque cum alta contemplatione audito, ac mira pietate & humilitate augustissimo Sacramento, erga quod semper devotissimus extitit, ad elevationem adorato, præ gaudio vim lacrymarum profundens inchoavit canticum; *nunc dimittis servum tuum Domine secundum verbum tuum in pace*; eoque absoluto, subdidit; *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*, quæ cum diceret, expiravit die VIII. Septembris vespere Nativitatis beatissimæ Virginis, cujus dum viveret, amore languebat; anno salutis millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto, ætatis suæ LXVIII.

Clerus & populus, qui ad Deum confugerant indicta supplicatione generali pro suo languente pastore, in Ecclesia sancti Thomæ Apostoli stationem peregerunt; adeoque universalis ploratus invaluit, ut cleri cantus non audiretur; & ad antiphonam; *Non sumus digni a te exaudiri*; cantores dolore & commiseratione commoti illam præ lacrymis absolvere nequiverint. Mox audito pulsu campanæ illius obitum nunciantis, ita planctus omnium erupit, ut cujusvis conditionis homines, quasi amentes per vias discurrentes, patrem se amisisse conquererentur.

Corporis vero aspectu in tam ingenti jactura idem populus adeo se levari posse putabat, ut illud pontificalibus indumentis, & florum corona, virginitatis ejus insigni, ad præfatam Ecclesiam sanctæ Mariæ de Sucursu ordinis sancti Augustini delatum, humo tradi non permisisset, nisi fratres ejusdem monasterii sepulturæ clanculum mandassent. Talis autem erat gratia ejus corporis emortui, ut viventi haud absimile appareret.

Successive tamen multa sunt ejus suffragantibus meritis edita miracula, Domino cooperante, & servi sui usque ad mortem fidelis, vitæ sanctitatem confirmante sequentibus signis.

Duo etenim mortui ad vitam revocati fuere. Paulus Franciscus Cardona post septem mensium febrim extinctus, & Sperantia Valeria decem quoque mensium febri consumpta non solum vitæ, sed etiam integræ sanitati restituti sunt.

Marcella de Lizania tertium annum agens trimestri morbo distillationis in pectore affecta, vehementi & assidua tussi ita afflicta, ut erumpente e pectore sanguine cibum sumere, aut sumptum retinere non posset, distillatione etiam ad ejus oculos descendente remediis omnibus ad ejus curam adhibitis, spe ad salutem pristinam redeundi prorsus destituta, ad sepulcrum Thomæ delata postera die, hora, qua sacrum pro ejus sanitate celebrabatur, sanata est, & de cubili surgens ad matrem incolumis, quasi nunquam passa fuisset ophthalmiæ morbum, clarissimis oculis festina contendit.

A carcinomate Franciscam Nadal liberavit; & Catharinæ Vincentiæ Roselon innumerabilibus plagis per quinquennium cruciatæ insperatam salutem reddidit.

Petrum Antonium Sutorem ex nervorum contractione per biennium claudicantem jamque inutilem sanavit.

Jacobus Cervera cœmentarius, ulceribus insanabilibus plenus, ab eo sanatur. Vincentius Cyprer nervis ex paralysi solutis sanitatem pariter impetravit.

Arida

Arida ubera Catharinæ Montaltæ, admotis floribus, quibus servi Dei sepulcrum respersum erat, ad infantulum sustentandum lacte illico affluere visa sunt.

Ludovico Lemosy per sex annos adeo pedibus laboranti, ut sæpissime cubili immobiliter inhæreret, bases & plantas consolidavit.

Quatuordecim annorum hernia Johannem Tibicinem afflictum pristinæ sanitati restituit.

Septennem puellam Vincentiam Mattheù in puteum delapsam, in aquis per tres horas submersam, eripuit incolumem.

Quibus coruscantibus signis lux effulsit, ostenditque venerandum esse in terris quem in cœlis adeo acceptum advocatum humana haberet infirmitas.

Agimus igitur omnipotenti Deo quam maximas possumus gratias & repletum est gaudio cor nostrum & lingua nostra exultatione, quod nullis nostris suffragantibus meritis, sed inscrutabili sapientiæ suæ arcano hanc servi sui canonizationis celebritatem per nostræ humilitatis ministerium toti orbi splendescere præordinaverit. Cum enim jam ab ejus felici occasu per universas gentes & nationes ipsius sanctitas celebraretur, & ipsius nomen apud Christifideles magno in honore esset, operante Domino per intercessionem ejus tot miracula, quæ etiam in dies una cum ejus veneratione augebantur, via parabatur a Patre luminum Thomæ clarificationi.

Propterea ab ordinario processus informativus sacrorum Congregationi Rituum exhibitus fuit anno millesimo sexcentesimo octavo, & accedentibus precibus etiam claræ memoriæ Philippi III. Hispaniarum Regis Catholici, necnon præsulum, procerum, deputatorum Regni Valentiæ, ac totius ordinis Eremitarum sancti Augustini tertio repetitis, ceterisque de more peractis responsum fuit a prædicta Congregatione, plane constare de validitate processuum, de virtutum excellentia, de fidei puritate, vitæ sanctimonia, miraculorum operatione, fama sanctitatis & frequentia populi ad servi Dei sepulcrum; ac propterea posse (si summo Pontifici placuisset) imposterum nuncupari Beatum, & de eo, tamquam de Confessore Pontifice quotannis in Regno Valentiæ a Religiosis utriusque sexus ordinis sancti Augustini, & in civitate Valentia a clero tam sæculari, quam regulari recitari officium & missam celebrari.

Quibus annuit felicis recordationis Paulus Papa V. prædecessor noster, ac desuper literas in forma brevis concessit, & prædictum indultum mox extensum fuit ad omnes utriusque sexus religiosos prædictos Regnorum Castellæ, Aragoniæ & Cathaloniæ, necnon ad oppidum Villænovæ, & tandem ad omnes pariter utriusque sexus religiosos ordinis sancti Augustini, ubique terrarum existentes.

Eodemque anno duobus aliis insuper approbatis miraculis, censuit eadem Congregatio tuto posse Sedem Apostolicam ad solemnem ejusdem Beati canonizationem quandocumque juxta S. R. E. ritum, & sacrorum canonum dispositionem procedere.

Verum supervenientibus novis decretis recolendæ memoriæ Urbani Papæ VIII. etiam prædecessoris nostri, siluit causa usquequo fuit facta præmissorum omnium relatio similis memoriæ Innocentio X. itidem prædecessori nostro, & ab eo deputatus in relatorem tunc in humanis agens bonæ memoriæ Fridericus sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Cornelius nuncupatus, & signata commissio reassumptionis causæ,

 deman-

CONSTIT. LXXXVIII. A. D. 1658.

demandatum etiam fuit dicto Cardinali Cornelio relatori, cum dilecto filio Hilarione Rancato, & quondam Terentio Alciato consultoribus examen operum ejusdem servi Dei Thomæ, & facta relatione, decretum, in illis nihil contra fidem & bonos mores, nec aliquam doctrinam a catholico sensu alienam contineri.

Postea decretæ literæ remissoriales ad probandum ea, quæ supervenerant post indultam venerationem, & directæ literæ venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopo Valentino & Segobricensi & Dertusensi Episcopis, & transmissis ad Urbem processibus, in locum prædicti Cardinalis defuncti subrogatus est dilectus filius noster Johannes Baptista Cardinalis Pallotta nuncupatus dicti ordinis sancti Augustini protector; a quo iisdem processibus in Congregatione prædicta relatis, ab eaque mature discussis, declaratum est, abunde constare de validitate, de relevantia, de incremento cultus, ac etiam de duobus aliis miraculis de novo patratis; & sic adimpleta esse omnia ea, quæ novis decretis expetebantur.

Accedentibus carissimi in Christo filii nostri Philippi IV. Hispaniarum Regis Catholici, venerabilium etiam fratrum nostrorum Archiepiscoporum & Episcoporum Regnorum Hispaniæ, necnon eorumdem procerum, ac etiam totius ordinis Eremitarum sancti Augustini precibus, quibus a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris prædictis, & a nobis id sæpius postulaverant & postulabant.

Reliquum erat, ut de more universam causam Cardinales, quibus id commissum fuerat, recenserent, & pro rei gravitate recognoscerent. Id quod cum recte fideliterque præstitissent, idemque omnes sensissent; prædictus deinde Johannes Baptista Cardinalis de vitæ sanctitate, virtutibus & miraculis servi Dei Thomæ, necnon de actis omnibus, in eadem Rituum Congregatione coram nobis habita plenissime retulit.

Mox per venerabilem etiam fratrem nostrum Julium Episcopum Sabinensem S. R. E. Cardinalem Sacchettum similiter nuncupatum, dictæ Congregationis præfectum, totius summa processus in consistorio nostro secreto plene relata, sua, collegarumque sententia exposita, reliqui Cardinales, qui aderant, unanimi suffragio eamdem sententiam approbarunt.

Quapropter sequenti publico consistorio, in quo pro canonizatione dicti beati Thomæ verba fecit dilectus etiam filius Marcus Antonius Burattus nostræ consistorialis aulæ advocatus, & nomine prædicti Philippi Regis, necnon prædictarum universitatum & regnorum, ac totius ordinis Eremitarum nobis humiliter supplicavit.

Nos in tam gravi causa, Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos & Episcopos, qui tunc aderant, hortati sumus, ut eleemosynis, jejuniis & orationibus sedulo incumberent, quo divina voluntas clarius nobis elucesceret.

In semipleno postmodum consistorio ex more accersitis non solum Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis prædictis, sed præsentibus nostris & Sedis Apostolicæ notariis, ac sacri palatii nostri Apostolici causarum auditoribus, de vita & miraculis beati Thomæ, quæ opportuna visa sunt, proposuimus: omnesque ad ejus canonizationem deveniendum esse aperte suffragiis confirmarunt. Nos itaque unanimi consensu audito aperuimus os nostrum in benedictionibus; & Dei nutum ac voluntatem sequuti, justum & debitum esse censentes, ut

quos

quos Deus honorat in cœlis, nos venerationis officio laudemus & glorificemus in terris, diem canonizationis indiximus; cunctos adhortati, ut junctis nobiscum precibus, eleemosynis, jejuniis & sacrificiis Spiritus sancti gratiam nostræ humilitati in tam alto negocio impetrare studerent. CONSTIT. LXXXVIII. A.D. 1658.

Tandem cum nihil aliud desideraretur eorum, quæ ex sanctorum Patrum auctoritate, sacrorum canonum decretis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ antiqua consuetudine, ac novorum decretorum præscripto agenda & observanda erant, hodie in sacrosancta beati Petri Apostolorum principis basilica, in qua solemni ritu cum ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, & dilectis filiis Romanæ curiæ Prælatis, officialibus & familiaribus nostris, clero sæculari & regulari, ac maxima populi frequentia mane convenimus; post repetitas pro canonizationis decreto petitiones nomine ejusdem Philippi Regis, a dilecto etiam filio nostro Hieronymo Tituli sanctæ Mariæ Transtiberim Presbytero Cardinali Columna similiter nuncupato, per Marcum Antonium advocatum prædictum, post sacros hymnos, litanias, aliasque preces post Spiritus sancti gratiam rite imploratam, ad honorem sanctissimæ & individuæ Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicæ & Christianæ religionis augmentum, auctoritate Domini nostri Jesu Christi, beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra, matura deliberatione præhabita, & divina ope sæpius implorata, ac de venerabilium fratrum nostrorum Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum in Urbe existentium, consilio beatum Thomam de Villanova Archiepiscopum Valentinum Sanctum esse decrevimus & definivimus, ac Sanctorum catalogo adscripsimus, prout præsentium tenore decernimus, definimus & adscribimus; statuentes, ab Ecclesia universali quolibet anno die decima octava Septembris memoriam ejus inter sanctos Confessores Pontifices pia devotione recoli debere. In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen.

Eademque auctoritate omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus & confessis, qui singulis annis in die festo ipsius sancti Thomæ ad sepulcrum, in quo ejus corpus requiescit, visitandum accesserint, septem annos & totidem quadragenas, de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxavimus in forma Ecclesiæ consueta.

His peractis Deum Patrem æternum, Regemque gloriæ Christum Dominum Patris sempiterni Filium, & sanctum Paraclitum Spiritum, unum Deum, unumque Dominum laudibus & confessionibus venerati, sacroque hymno, *Te Deum*, solemniter decantato, peculiari in honorem beati Thomæ oratione precati sumus per ejusdem merita, atque ad altare sancti Petri Apostoli missam celebravimus cum ejusdem Sancti commemoratione, omnibusque Christifidelibus tunc præsentibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem concessimus.

Dignum igitur, & justum est, nos gratias agere, & gloriam dare Deo viventi in sæcula sæculorum, qui benedixit conservum nostrum in omni benedictione spirituali, ut esset sanctus & immaculatus coram ipso. Et cum illum dederit nobis quasi fulgentem solem in templo suo in hac nocte peccatorum, & tribulationum nostrarum, adeamus cum fiducia thronum divinæ misericordiæ, ore & opere supplicantes, ut

CONSTIT. LXXXV.II. A. D. 1658.

ut sanctus Thomas universo Christiano populo prosit meritis & exemplis; precibus adsit & patrocinio, & in tempore iracundiæ fiat reconciliatio.

Ceterum quia difficile foret, præsentes nostras literas ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum decreti, definitionis, adscriptionis, mandati, statuti, concessionis, elargitionis, relaxationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quinquagesimo octavo, Kalendas Novembris, pontificatus nostri anno quarto.

✠ Ego Alexander Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

✠

✠ *Ego Franciscus Episcopus Portuensis Cardinalis Barberinus S.R.E Vicecancellarius.*

✠ *Ego Bernardinus Episcopus Prænestinus Cardinalis Spada, Congregationis Indicis & confinium Præfectus.*

✠ *Ego Julius Episcopus Sabinensis Cardinalis Sacchettus Signaturæ Justitiæ Præfectus.*

✠ *Ego Martius Episcopus Albanensis Cardinalis Ginettus sanctissimi Domini nostri Papæ Vicarius.*

✠ *Ego Antonius Barberinus Episcopus Tusculanus Cardinalis Antonius S. R. E. Camerarius.*

✠

✠

✠

✠ *Ego Hieronymus Tituli sanctæ Mariæ Transtiberim Cardinalis Columna Archipresbyter Lateranensis.*

✠ *Ego Johannes Baptista Tituli sancti Petri ad Vincula Cardinalis Pallottus.*

✠ *Ego Franciscus Maria Basilicæ sanctorum XII. Apostolorum Cardinalis Brancatius Episcopus Viterbiensis.*

✠ *Ego Uldericus Tituli sanctæ Anastasiæ Cardinalis Carpineus.*

✠ *Ego Marcus Antonius Tituli sanctæ Mariæ de Pace Cardinalis Franciottus.*

✠

✠

✠ *Ego Frater Vincentius Cardinalis Tituli sancti Clementis de Florentiola.*

✠ *Ego Julius Tituli sanctæ Priscæ Cardinalis Gabriellius Episcopus Asculanus.*

✠ *Ego*

✠ *Ego Cæsar Tituli sanctorum Quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis Facchenettus Episcopus Spoletanus.*

✠

✠

✠ *Ego Angelus Tituli sanctorum Quirici & Julittæ Cardinalis Georius.*

✠

✠ *Ego Nicolaus sanctæ Mariæ Angelorum Cardinalis Ludovisius, Major Pœnitentiarius.*

✠

✠ *Ego Fridericus Tituli sancti Martini in Montibus Cardinalis Sfortia.*

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠ *Ego Aloysius Tituli sancti Alexii Cardinalis Homodeus.*

✠

✠ *Ego Jacobus Tituli sanctæ Mariæ Transpontinæ Presbyter Cardinalis Corradus.*

✠

✠

✠ *Ego Marcellus Tituli sancti Stephani in Monte Cœlio Cardinalis Sanctacrucius Episcopus Tiburtinus.*

✠ *Ego B. Tituli sanctorum Nerei & Achillei Cardinalis Aldobrandinus.*

✠ *Ego Johannes Baptista Spada Tituli sanctæ Susannæ Cardinalis sanctæ Susannæ nuncupatus.*

✠

✠ *Ego Franciscus Tituli sanctæ Mariæ in Via Cardinalis Albitius.*

✠

✠ *Ego F. Tituli sanctæ Mariæ de Populo Cardinalis Chisius.*

✠

✠

✠

✠

✠ *Ego Julius Tituli sancti Xysti Cardinalis Rospigliosius.*

✠ *Ego Nicolaus Tituli sancti Eusebii Cardinalis a Balneo.*

✠

✠ *Ego F. Tituli sancti Johannis ante Portam Latinam Presbyter Cardinalis Paulutius.*

✠

✠ *Ego Virginius sanctæ Mariæ in Vialata Diaconus Cardinalis Ursinus.*

✠

✠ *Ego Vincentius sancti Eustachii Diaconus Cardinalis Costagutus.*

✠

✠ *Ego Paulus Æmilius sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis Rondininus Episcopus Assisiensis.*

✠ *Ego*

CONSTIT. LXXXVIII.
A. D. 1658.

✠

✠ *Ego Benedictus sanctorum Cosmæ & Damiani Diaconus Cardinalis Odescalcus.*

✠ *Ego Laurentius sancti Angeli in foro Piscium Diaconus Cardinalis Raggius.*

✠

✠

✠ *Ego Carolus Barberinus S. R. E. Cardinalis Diaconus sancti Cæsarii.*

✠

✠

✠ *Ego Decius sancti Adriani Diaconus Cardinalis Azzolinus.*

✠

✠

✠

✠

✠

✠

G. Gualterius.

Visa de Curia P. Ciampinus.

P. Ciampinus.

Loco ✠ plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

N O T A.

Hujus sanctissimi Præsulis Vitam Latine scripsit Nicasius Baxius Antverpiensis, Hispanice vero Hieronymus Cantonus Eremita Augustinianus. Thomæ conciones sacræ Complutensibus typis Ferdinandi Ramirez A. D. 1581. in forma folii prodierunt, quarum novam editionem postmodum adornavit Johannes Baptista de Pinnis Eremita Augustinianus Romæ typis Angeli Bernabò A. D. 1659. in forma folii. Vide Nicolaum Antonium de Thoma agentem in Bibliotheca Hispana nova tomo II. pag. 255.

IDEM

CONSTIT. LXXXIX.
A. D. 1665.

LXXXIX.

IDEM

ALEXANDER . VII

Sanctorum confessorum pontificum canoni adscribit BEATUM FRANCISCUM DE SALES Allobrogem, Episcopum Gebennensem, qui obiit die XXVIII. Decembris A. D. 1622.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Ecclesia catholica, etsi compluribus munita præsidiis, firmata propugnaculis, & armata militibus, Inferorum insultantium portas non reformidat; eo tamen post Christi merita potissimum sustentatur auxilio, quod servorum Dei sanctitas assiduo subministrat. Nam cum hoc veluti ingenitum mortalibus sit, ut exempla magis, quam documenta sequantur, mirum est, quantum alterum ex his in Ecclesia Domini proficiat. Idcirco Christus Jesus, verus Dei, verusque hominis filius, unum atque alterum pro duplicis suæ naturæ hypostasi ineffabiliter adimplevit. Hinc illius verba, si quando doctrinam loqueretur: *doctrina mea non est mea, sed ejus, qui misit me Patris*: & hæc alia, si quando agenda proponeret: *exemplum dedi vobis, ut quemadmodum feci vobis, ita & vos faciatis.* CONST. LXXXIX. A. D. 1665.

Quæ cum ita se habeant, antecessores nostri Spiritu sancto instructi laudabilem in Ecclesia morem induxere, nempe in excelso loco sanctitatem constituendi, ut veluti lumen illius lucis vicarium, quæ de se dixit: *Ego sum lux mundi*, & *qui sequitur me, non ambulat in tenebris*; non *sub modio* absconditum, sed *in candelabro* elatum luceat coram hominibus, eosdemque a veneratione ad imitationem via strata ad cœlestis & triumphantis Hierosolymæ nunquam interituras delicias dirigat, inferatque. Et sane viros de Christiana republica morum sanctimonia, & fidei prædicatione benemeritos, debitis, hoc est divinis honoribus non prosequi, quicquid sibi velit impietas, indecorum, ac justitiæ absonum haberetur.

Nos igitur his de causis veterem Romanorum Pontificum consuetudinem secuti, post fusas ad Deum preces, auditasque venerabilium fratrum nostrorum sententias, inter nomina catholicæ Ecclesiæ veneranda, Franciscum de Sales Episcopum Genevensem, doctrina celebrem, sanctitate admirabilem, ætatique huic nostræ contra hæreses medicamen, præsidiumque, referre, Numine inspirante, decrevimus.

CONSTIT. LXXXIX. A.D. 1665.

Natus est Franciscus duodecimo Kalendas Septembris anno reparatæ salutis sexagesimo septimo supra millesimum ac quingentesimum, ablutusque sacro Baptismatis fonte in oppido Salesiano Ducatus Sabaudiæ Gevevensis diœcesis, suæ domus hæreditario, ab ipsis incunabulis nobilitate conspicuis, pietatem hausit, infantiamque non more solito inter crepundia, sed agente pietatis spiritu inter altariola, quæ sibi ipse adornaverat suæ præludens sanctitati angelicæ, exegit; tantumque caritatis erga pauperes concepit, ut nisi aliquid illis erogaret, in lacrymas se effunderet. Ab infantia ad pueritiam per pietatis simul, ac sapientiæ gradus evasit: orationi vacabat inter studia literarum; non fora, sed templa solitus invisere, & effugiens commercia improbitatis, non nisi semina probitatis vel excipiebat, vel serebat. Inde sacro chrismate roboratus ad altiora tum virtutis, tum doctrinæ ornamenta complectenda se contulit, ut opportunius atque utilius divinæ gratiæ instrumentum fieret. Sortitus enim animam bonam, eandem optimam reddidit accuratiore studio tum literarum, tum morum. Humanioribus literis in collegio Annessiensis perceptis, Philosophiæ, Theologiæque arcana in Academia Parisiensi didicit non sine ingenti virtutum ac sanctimoniæ profectu. Nam simul frequentabat sodalitatem Deiparæ addictam in Gymnasio Societatis Jesu, ibique non solum octavo quoque die sacra mensa animam reficiebat, sed omnia pietatis exercitamenta exhibebat, præsertim ea, quæ ad cultum ejusdem Deiparæ pertinebant, adeo ut ante ejus simulacrum, quod in æde sanctæ Mariæ Græcorum colitur, supplex votum perenne virginitatis nuncupaverit. Hoc voto veluti pharmaco salutari roboratus, ad jurisprudentiam capessendam accessit Patavium, ubi non unam sensit voti opem elusis artibus nonnullorum condiscipulorum, qui per impudentiam illi obtulerant impudicarum mulierum illecebras, quas & saliva in illarum faciem conjecta, & mente constanter repugnante, dejecit. Absoluto studiorum curriculo Romam se contulit, ut antiquæ ibi vigentis pietatis vestigia recognosceret atque novis moribus exprimeret, & nactus par suæ religioni ac fidei theatrum, traxit e cœlo incredibilem spiritum ad perficiendam omni ex parte molem sanctitatis, ab infantia incohatam, & in juventutis æstu non modo conservatam, sed auctam.

Igitur sui & mundi victor in patriam remigravit, ut fructus legeret literarii laboris. Nec spem fefellit aut suam, aut civium. Certe Granerius id temporis Episcopus Genevensis, eo conspecto, illico præsensit messem, quam ejus adventus afferebat, exclamavitque divinans non sine gaudio, habere se jam successorem suum. Statim ei patuit liber campus, amplissimusque ad animas excolendas, quo sponte ferebatur. Quamvis enim, ut parenti obsequeretur, advocatorum supremorum partes susceperat, mox ubi sensit se ad nuptias per votum abdicatas vocari, abjecit senatoriam togam, & sacerdotio per omnes sacri ordinis gradus initiatus, majoris Ecclesiæ Præpositus Annessii renunciatus est, illud semper in ore & mente repetens, *quicquid pro æternitate non est, vanitas est*. Omne studium convertit ad æternitatem, ubique ferendam: instituta societate sanctissimæ Crucis de pœnitentibus, adductis ad Ecclesiæ catholicæ gremium magni nominis hæreticis: & præterea sumpto divini verbi gladio, quo armatus ac potens, Episcopo jubente, adorsus est hæresim Calvinianam in Caballicensibus, aliisque finitimis populis grassantem. Incredibile dictu est, quo animi ardore, qua pectoris constantia, qua mentis alacritate, quam firma in

Deum

Deum fiducia, quam robusta in proximum caritate pugnaverit ac vicerit. Ferunt, eum ex vertice arcis Allingianæ aliquando conspexisse enormem catholicæ religionis stragem, quam in subjectis circum terris hæresis ediderat, ac tanto fuisse pietatis studio agitatum, ut emisso cordis altissimo suspirio non potuerit sibi temperare, quin mox Tononum ejus provinciæ caput se contulerit, ibique erecto veritatis vexillo, per patientiam & doctrinam omnibus omnia factus jacentem religionem sustinuit, & dominantem impietatem fregit ac dejecit, quasi alter David. Sed illud in primis egregie gessit, quod nusquam, nec unquam negocium fidei desperaverit, sed major laboribus, impedimenta omnia si non poterat tollere, vel effugiebat vel eludebat. Prohibitus Tononi sacrum conficere, in arcem Allingianam memoratam quatuor milliaribus distantem quotidie ibat, ut ibi sacrificaret, atque eadem de causa flumen Druentiæ trajiciebat, singulis diebus per trabem glacie concretam manibus ac pedibus repens. Vexatus calumniis, & ubique tanquam publicæ quietis perturbator, seductor populorum, & plane veneficus conclamatus, nullo infamiæ metu, nullo insidiarum strepitu, nullo vitæ discrimine adduci potuit, ut tentatam fidei catholicæ restitutionem aliqua ratione omitteret: neque usquam adhibuit in consilium eam, quam prudentiam humanam, seu nominis æstimationem vocant, sed evangelici dicti memor, cum haud liceret palam, aperteque vivere, ac fidem contestari, in obvias ubique latebras sese abdebat, ut post modicum silentium insurgeret adversus hæresim vehementius, nunc in furnis, nunc in maceriis, nunc in horroribus silvarum, nunc in profundo, altissimoque gelu continebat impetum zeli, absconditus, velut in Domini tabernaculo, quo insidiantibus hæreticis, incompertus validius insultaret.

Inde animo excelso, sublimique, manifesta mortis sibi intentatæ argumenta irridens, abnuebat præsidia, & custodiam militum, adeo ut rogatus a Barone Ernanciano arcis Allingianæ præfecto, ut nonnisi militari manu stipatus ex arce prodiret, responderit, non alio militum satellitio esse opus, quam eo, quod divina providentia destinaverat. Imo cum idem assereret, hæreticos vi coercendos, ostentaretque tormenta bellica & militare subsidium, quo posset Franciscus uti ad eosdem hæreticos, vel comprimendos, vel ad meliorem frugem revocandos, ingenue professus fuit, quam alte de divini verbi potentia sentiret, affirmans, opus non esse machinis, ubi Deus ejus verbum audiri permitteret. Neque Deus tantam ejus fiduciam fraudavit. Nam cum sicarii complures immissi ad eum de medio tollendum, tandem Franciscum nacti, strictis gladiis cædem facturi in eum irruissent, ejus præsentia & lenitate permoti, dejecti ac exarmati fuere. Nunquam enim Deus eos sinit cadere, qui spe divinæ providentiæ fidem sustinent. Propterea de cœlesti patrocinio jam ob innumera experimenta certus, maluit agere Dei causam, quam exequi imperium parentis, a quo jubebatur vitæ tot insidiis appetitæ consulere, suamque domum repetere, ubi per quietem ac securitatem fas erat Deo, superisque liberius vacare.

Quin studiosius, accuratiusque in Ecclesiæ defensionem incubuit, & cum voce prohiberetur, adjuvare populorum fidem cœpit ex scripto, pluribus confectis libellis, evulgatisque thesibus, intime hæresim percellere, tantumque effecit, ut Tononi parochiam erexerit, & paulo post cum insigni religionis catholicæ incremento plures ad veritatis lumen viros doctrina celebres, quorum præcipue auctoritate mendacium

CONSTIT. LXXXIX. A. D. 1665.

nitebatur, adduxerit. In hoc tamen fidei augumento prudentiæ modum retinuit, ne liberius agens aucta perderet. Itaque curionis partes agens, & Eucharistiæ sacramentum ad catholicos in vitæ discrimine positos deferens, ne quid injuriæ sacrosanctæ Eucharistiæ sectarii inferrent, eam gestabat argentea theca inclusam e collo pendulam, ipse interim pileo tectus, pallio circumvolutus, gravi passu, neminem de via salutans, venerandus incedebat.

Hisce artibus præstans, jussus fuit a Clemente VIII. felicis recordationis prædecessore nostro adire Theodorum Bezam Calvinianæ hæresis acerrimum ministrum, ac propugnatorem, & cum solo solus agere, ut ea ove ad Christi ovile reducta complures alias revocaret: quod sane eximie Franciscus præstitit. Genevæ non sine vitæ periculo cum Beza congressus, qui tamen, ut ex merito confutatus veritatem fassus est, ita ex scelere, arcano Dei judicio, indignus fuit, qui ad Ecclesiam rediret.

Interea Tononum & circumjectam regionem dira lues invasit cum enormi civium clade, in qua Franciscus tam amanter, tam constanter, tam industrie corpora, animosque tum subsidiis, tum documentis procuravit, ut omnibus, & stupori & amori fuerit, præsertim cum omnia pecuniæ adjumenta, præcipue ab Episcopo Granerio impartita, recusasset. Quapropter Episcopus his certissimis sanctimoniæ indiciis compulsus, eum sibi coadjutorem episcopalis curiæ destinavit, rogavitque memoratum prædecessorem nostrum Clementem, ut Franciscum, quem Romam ob catholicæ fidei negocia mittebat, hujusmodi dignitate ornaret, quod idem Clemens libentissime præstitit, cognitaque ejus doctrina, per examen de more interrogata, eumdem ad pedes devolutum amplexans, his verbis dimisit. Vade, fili, & bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui. Deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide.

Igitur hoc ornamento, tanquam novo & potentissimo præsidio instructus, in omne studium amplificandæ religionis catholicæ, & hæresis imminuendæ sese effudit. Annessium regressus, omnia solus obire loco Episcopi absentis, instituere seminarium, ac sanctam domum Tononi erigere artium officinam & mercium emporium, ut cives & finitimos a Genevensium commercio averteret, gnarus, populos maxime corrumpi per commercia cum impiis habita. Neque illi nova exercendæ constantiæ argumenta defuere. Inimicus zizaniorum sator excitaverat inter Gallos & Sabaudos bellum, cujus occasione usi Genevenses hæretici, specie auxilii, quod Gallis afferebant, Chablasio & Torniaco occupatis, inde curiones catholicos expellunt; ac præterea missis in pagos, & finitima oppida Calvinianæ hæresis prædicantibus, venenata semina ubique jaciunt, & catholica sata excindunt: quod ubi Franciscus advertit, non immemor illius divinæ sententiæ: *si consistant adversum me castra, non timebit cor meum: si insurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo*; fortiter ac religiose irrumpit in castra, ductusque a militibus more bellico ad Vitriacum regiarum excubiarum præfectum, ab eo exceptus perquam honorifice fuit, ac dimissus cum regiis literis, quibus præcipiebatur, ne quicquam in religionis negocio innovaretur; quicquid vero novi inductum foret, in pristinum revocaretur.

Neque contentus hac victoria, per quam amissa revocaverat, aliam retulit, per quam damna intulit hæresi, religioni vero incrementum attulit,

attulit. Cum enim ager Gexensis sub Gallorum dominio esset, ad Regem Lutecian se contulit, ab eoque literas obtinuit, quibus liceret ipsi eo in agro habere de catholica veritate conciones, quarum gratia & efficacitate plurimos Ecclesiæ subjecit. Valebat enim summa & efficacissima dicendi potentia, quam illi e cœlo conciliaverat summa cordis innocentissimi sanctitas, adeo ut Christianissimus Rex neminem ad Jacobi Regis Angliæ animum conciliandum, atque ad veritatem flectendum aptiorem Francisco existimaverit, & Paulus V. prædecessor noster felicis recordationis aliquot post annos eumdem allegaverit ad componendas discordias, quæ subortæ fuerant inter Albertum & Claram Eugeniam Archiduces, & Clerum comitatus Burgundiæ.

Quamvis autem ardentissimum fuerit ejus in procuranda re catholica studium, dum coadjutor fuit, laxavit nihilominus universas habenas caritati, cum audita hinc parentis, hinc Episcopi Granerii morte, quorum primi potestas quotidie ad domestica revocabat, & alterius reverentia, ne quid nimium sibi arrogare videretur, cohibebat: concessam sibi tandem quocumque pietas impelleret, eundi facultatem cognovit. Sic plena potius auctoritate integras Episcopi partes suscepit, cavere ne grex ac diœcesis improborum, hæreticorumque more luporum insidiantium incursibus pateret, ordinare clerum, statuere familiam religiosis moribus compositam, sanctorum Patrum, veterumque Episcoporum exempla sibi proponere, cuncta episcopalis vitæ momenta suis virtutibus, functionibusque animare, Synodum cogere, ecclesiasticæ disciplinæ leges vel restituere, vel sancire, ac potissimum catholicæ religionis sinceritati consulere, qua mores catholicorum informando, qua sectariorum dogmata evertendo, qua deceptas oves, ad ovile reducendo: quod adeo offendit Calvinianos pseudoministros, ut cum duos nobiles viros Gexenses ad Ecclesiæ gremium evocasset, illi rabie, ac furore acti venenum ei propinaverint: quod tamen irritum fuit, implorata per votum Deiparæ ope, & tantum abfuit, ut propterea incepto desisteret, ut constantius desudaverit in concionibus habendis, quarum vi Divione, Gratianopoli, Parisiis & alibi pl•res insignes viros fidei catholicæ restituit, ac præcipue Claudium Buccardum Lausannæ publicum Theologiæ professorem, Franciscum Ducem Diguerianum Delphinatus Proregem, Barberium & Jacobum Philippum celebres Calvinianæ sectæ pseudoministros. In his autem concionibus, ut constaret a se nonnisi animarum salutem quæri, pecuniam, quæ esset. vel loco alimenti, vel excellentiæ testimonio, recusavit omnem, nullo Principum offerentium respectu, & tam generose, ut Ducissæ de Longavilla peram aureis plenam impertienti, palam cum respueret, dixerit, gratis dandum quod gratis accipitur, nec nllam expetendam pro fidei præconio mercedem præter pretiosam illam, quam cultoribus vineæ promisit Dominus.

Notum est enim, cum magni eleemosynarii munere apud Christinam Sabaudiæ Ducissam fungeretur, nil præter hujus nominis dignitatem voluisse, & non solum quicquid honorariæ mercedis solitum erat dari modestissime recusasse, verum etiam pretiosissimum adamantem valoris quingentorum nummorum ab eadem Christina Ducissa dono acceptum pauperibus destinasse iis verbis usus: hoc pro pauperibus nostris Annessiensibus bonum erit.

Sed ejus constantia debuit gravioribus experimentis muniri, ut fides probaretur. Duo enim sunt, quæ maxime fidem concutiunt, damnum

CONSTIT. LXXXIX. damnum & lucrum: utrumque illi propositum roboravit, fidem non infregit.

A. D. 1665. Jussus a Gallorum Rege Gexium ire, & cum Barone Luxensi Regio in ducatu Burgundiæ locumtenente de religionis catholicæ usu, exercitioque in eam regionem inducendo agere, cum Rhodanus, qui trajiciendus erat, ut Gexium peteret, imbribus exundans, certum afferret vitæ discrimen, Genevam intrepide pertransiit, nec habitu Episcopi deposito, nec Episcopi diœcesis nomine dissimulato, unica tantum orationis armatura munitus, atque inde post horam discedens, Gexium appulit. Impii homines, ut hoc religionis negocium turbarent, statim apud Ducem Sabaudiæ accusant Episcopum, quod de transferendis in Regem Gallorum civitatis Genevensis juribus pertractaret: quæ calumnia primo locum non habuit, postea admissa, Senatui suasit, ut vel ad pœnam, vel ad terrorem decreto edito bona Episcopi publicata in ærarium Principis referret. Nihil tamen edicto commotus ipse hoc unum respondit, non eam sibi, ut credebatur injuriam irrogari, sed ita a Deo admoneri, quod vellet undique spiritalem quem temporalibus destitui permitteret. Quibus verbis Senatus concussus veniam petiit, eique omnia restituit. Hæc enim Dei lex est, ut fides, dum damna patitur, per damna nobilitetur. Neque minus lucri fulgorem, quamvis specie boni splendidum, contempsit, dum coadjutoris Parisiensis munus ea de causa illi oblatum, quod pinguiori redditu abundaret ad paupertatem sustentandam, respuit, illud oraculum opponens: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi collocavit*.

Cum tale, ac tantum fidei fundamentum jecisset, mirum non fuit, si perfectissimam, & omnibus virtutibus absolutam sanctitatis molem ad supremum usque apicem extulit, & si Ecclesia communi consensu, Sanctorum insignia, & prærogativas tanto viro attribuere non dubitet. Pauperum erat eximius amator, eorumque indicem secum deferebat, semper ad eos præsertim sublevandos maxime intentus, quos pudor ac rubor deterrebant. Abstinentiam vero ac frugalitatem tam in victu, quam in vestitu severe retinuit, ut & sibi modum statueret, ac largius aliorum inopiæ subveniret. Namque hoc vere caritatis ingenium est, sibi detrahere, aliis addere. Sic mensæ imposita fercula ad pauperes ablegabat; subligacula, interulas, similesque pannos sibi demptos ad aliorum operimentum traducebat. Immo supellectilem argenteam, candelabra, urceolos, anulum ipsum pastoralem oppignoravit, ne pauperes dolerent. Dotem puellis, quam poterat, amplam erogabat, ne ipsarum pudicitia periclitaretur. Peregrinos ac religiosos viros, tanquam fratres, domi excipiebat. Omnes demum egestate pressos, non contracta manu solabatur, & tam copiose, ut cum regionem late fames, ac alimentorum inopia invasisset, neminem stipe frustratum prætermiserit, singulis egenis familiis certa tritici copia attributa. Et eo excrevit hæc juvandi cupiditas, ut cum nactus esset hominem mutum ac surdum omni ope destitutum non modo eum recreaverit iis subsidiis, quibus vita sustentatur, sed domi suæ educatum, qua nutibus, qua gestibus (ingeniosa enim pietas est) informarit ad æternam salutem; sicque cetera virtutum genera exercuit, caritatis æstu succensus, ut septuaginta hæreticorum millia Ecclesiæ catholicæ subjecisse sit fama vulgatum.

Ex hujus caritatis officina volumina prodierunt, quorum documentis irrigata populorum ac nobilium virorum pectora affluentem evangelicæ

gelicæ vitæ messem peperere. Ex hujus etiam caritatis altissima disciplina emanarunt leges tot sodalitatum ab ipso institutarum, augustissimi Sacramenti, beatissimæ Virginis de Puritate, Eremitarum in Monte Vaironensi, præsertimque ordinis sanctimonialium Visitationis beatæ Mariæ sub regula sancti Augustini, cujus splendor tantum illuxit, ut intra modicum temporis intervallum ad centum supra triginta monasteria sit propagatus. Hujus demum caritatis stimulis plane perennibus agebatur ad suæ diœcesis commoda diu, noctuque omni sollicitudine procuranda, in qua lustranda, dum laborat, atque Annessium regreditur. Lugduni, sacro celebrato, vehementi apoplexia correptus, atque Ecclesiæ Sacramentis per summam pietatem, humilitatemque refectus, fidei professione emissa, repetitis non semel iis verbis: *servus inutilis sum*, *voluntas Domini*, *non mea fiat*. *Deus meus*, *& omnia*: proximo die sanctis Innocentibus sacro, dum in litaniis ipsi sancti Innocentes invocabantur, innocens ad regna cœlestia translatus est anno ætatis quinquagesimo quinto, & reparatæ salutis vigesimo secundo supra sexcentesimum & millesimum.

Placuit autem Altissimo, *qui mirabilis est in Sanctis suis*, tantæ sanctitatis virum non modo per venerationem, cultumque populorum nobilitare, sed etiam compluribus signis ac miraculis illustrare, ut vivens ac mortuus humano generi prodesset. Itaque constat per acta publica auctoritate nostra, & sacræ Rituum Congregationis confecta, & diligenter expensa, Hieronymum Genim aqua obrutum, cum jam ejus cadaver fœtens sindone involutum efferebatur, revixisse, sustulisse brachia, & loqui cœpisse, magnificando Salesium, qui sibi tunc in ipso redeuntis vitæ momento episcopali habitu indutus benigno ac splendido vultu adesse visus est, non sine aliis ingentibus miraculi additamentis.

Claudium Marmord cœcum natum septennem, cujus oculi facultate videndi prorsus destituebantur, cum novendiali prece absoluta ad ejusdem sepulcrum procumberet, usum luminis accepisse.

Johannam Petronillam Eurax quinquennem paralysi laborantem, quamvis coxis, cruribusque arida ad motum plane inepta crederetur, eamet hora, qua pater ad Francisci tumulum opem implorabat, ad matrem incolumi corpore & festino gradu prorepsisse.

Claudium Juliard paralysi pariter afflictum, sed innata & decennali usuque utriusque coxendicis ac cruris destitutum, tertia vice a matre delatum ad Francisci sepulcrum deosculandum momento temporis, membris, quæ inhabilia erant, corroboratis surrexisse, stetisse & ambulasse.

Franciscam dela Pesse demersam flumine vitæ restituisse, livore, tumore, deformitatisque notis mirabiliter detersis.

Jacobum Gueydin nervis contractum, & plane ab ipso ortu impotentem subito sanatum.

Carolum Motteron etiam ab ipsa nativitate impeditum membris ac toto corpore deformem subito exemptum, ac perfecta humani corporis forma accepta, gressum movisse.

Quapropter, ejus vitæ sanctissimæ meritis postulantibus, ac rogantibus carissimis in Christo filiis nostris Ludovico Galliæ Rege Christianissimo, & Anna ejus matre vidua, ac Henriquetta Maria Angliæ Reginis, & dilectis filiis nobilibus viris Carolo Emanuele Sabaudiæ Duce & Pedemontium Principe, ac Christina ejus matre Ducissa Sabaudiæ vidua,

ac

CONSTIT. LXXXIX. A. D. 1665.

ac Francisco Maria ac Adelalda Duce & Ducissa Bavariæ, necnon clero, principibus & magnatibus Regni Galliarum, ac universo ordine monialium Visitationis beatæ Mariæ Virginis, post ejusdem Francisci de Sales beatificationem die vicesima octava Decembris anni millesimi sexcentesimi sexagesimi primi publice in sacrosancta basilica principis Apostolorum missæ sacro peracto celebratam, annulmus, ut ejusdem canonizatio haberetur. Et cum jam nihil deesset eorum, quæ huic sacrosanctæ functioni necessaria sunt ex sanctorum Patrum auctoritate, sacrorum canonum decretis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ antiqua consuetudine, ac novorum decretorum præscripto, tandem justum & debitum esse censentes, ut quos Deus honorat in cœlis, nos venerationis officio laudemus & glorificemus in terris, hodie in sacrosancta Vaticana basilica, in qua solemni ritu cum ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, ac dilectis filiis Romanæ curiæ Prælatis, officialibus & familiaribus nostris, clero sæculari & regulari, ac maxima populi frequentia mane convenimus; post trinas pro canonizationis decreto nobis per dilectum filium nobilem virum Carolum Ducem de Crequy, apud nos Regis Christianissimi oratorem pro parte ejusdem Regis porrectas petitiones, post sacros hymnos & litanias, aliasque preces Spiritus sancti gratiam rite implorata;

Ad honorem sanctissimæ & individuæ Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicæ & Christianæ religionis augmentum, auctoritate Domini nostri Jesu Christi, beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra, matura deliberatione præhabita, & divina ope sæpius implorata, ac de venerabilium fratrum nostrorum ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum in Urbe existentium consilio, beatum Franciscum de Sales Episcopum Genevensem Sanctum esse decrevimus & definivimus, ac Sanctorum catalogo adscripsimus, prout præsentium tenore decernimus, definimus & adscribimus; statuentes, ab Ecclesia universali quolibet anno die vicesima nona Januarii memoriam ejus inter sanctos Confessores Pontifices pia devotione recoli debere. In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen.

Parique auctoritate omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus & confessis, qui singulis annis dicta die vicesima nona Januarii sepulcrum, in quo ejus corpus asservatur, visitaverint, septem annos & totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxavimus in forma Ecclesiæ consueta.

Quibus peractis, gratias laudesque Deo optimo maximo redditturi, quod S. Francisco de Sales Episcopo Genevensi cultum, præconia & honores ab Ecclesia sanctis Pontificibus & Confessoribus præstari solita a nobis decerni voluerit, hymno, *Te Deum laudamus*, decantato orationeque a nobis recitata, ad altare sancti Petri missam de more solemniter celebravimus die Dominica secunda post Pascha, additis secunda oratione propria de sancto Francisco, & secreta, ac post communionem de communi sacerdotis Pontificis, omnibusque Christifidelibus ibidem præsentibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem concessimus.

Deum itaque, *qui mirabilis est in Sanctis suis*, benedicimus, quia suscepimus misericordiam in medio templi ejus, dum novum nobis in Ecle-

Ecclesia apud divinam suam Majestatem patronum & intercessorem, concessit ad ejusdem Ecclesiæ tranquillitatem, fidei catholicæ incrementum, hæreticorumque a via salutis errantium lumen & conversionem. CONSTIT. LXXXIX. A. D. 1665.

Ceterum quia difficile foret, præsentes nostras literas ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu tamen publici notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, definitionis, adscriptionis, mandati, statuti, concessionis, elargitionis, relaxationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo sexagesimo quinto, tertiodecimo Kalendas Maji, pontificatus nostri anno undecimo.

✠ Ego Alexander Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

✠

✠ *Ego Franciscus Episcopus Portuensis Cardinalis Barberinus S.R.E. Vicecancellarius.*

✠ *Ego Martius Episcopus Sabinensis Cardinalis Ginettus.*

✠ *Ego Antonius Barberinus Episcopus Prænestinus Cardinalis Antonius S. R. E. Camerarius.*

✠

✠ *Ego Johannes Baptista Episcopus Albanensis Cardinalis Pallottus.*

✠

✠

✠

✠ *Ego Franciscus Maria Tituli sancti Laurentii in Lucina Cardinalis Brancatius.*

✠ *Ego Ulderieus Tituli sanctæ Mariæ Transtiberim Cardinalis Carpineus.*

✠

✠ *Ego Stephanus Tituli sancti Laurentii in Pane & Perna Cardinalis Duratius.*

✠

✠ *Ego Frater Vincentius Maculanus ordinis Prædicatorum Tituli sancti Clementis de Florentiola Cardinalis sancti Clementis.*

✠

✠

✠

✠

mentem inspirasset decernendi supremos honores huic viro admirabili, quem præcipuo cultu venerabatur,& a quo salutarem opem in maximis hisce infelicium temporum discriminibus, præsertim contra superbiam & ferociam Turcarum,implorabat.Ut autem celeberrima Petri sanctitas testimonio etiam suo comprobaretur, & ejus eximias virtutes universis Christifidelibus imitandas exhiberet, ac illius in terris admiratione dignam, & laudabiliter transanctam vitam explicaret, sic proponere decreverat. Exortus in lucem erat sanctissimus hic vir Norbæ Cæsareæ, vulgo Alcantaræ, in Bæturia Hispaniarum regione, anno reparatæ salutis millesimo quadringentesimo nonagesimo nono ex parentibus genere ac pietate nobilibus, Petro Garabito & Maria Villella, idemque Petri nomen, quod in sacra familia perpetuum illi fuit, sacro e fonte susceperat. Ab ineunte ætate ambulans in innocentia, vitans lubrica & voluptatibus obnoxia, & hominum commercium fugiens, contemplandis rebus divinis ita vacabat, ut amore cœlestium incensus, aliquando extra se raperetur; ideoque sapientia crescens & gratia, mensuram ætatis moribus senilibus excedebat. Studium literarum ingressus, acri ingenio ingentem spem suis parentibus & magistro indidit. Quia vero noverat sapientem futurum qui cum sapientibus graditur, religiosorum virorum consortio delectabatur, ac divinæ præsertim inhians sapientiæ, sacros avidissime quærebat libros, a prophanis abhorrens. Et quoniam ab infantia secum creverat misericordia, omnibus se caritatis operibus assidue dabat. Infirmos proinde in carcere positos & egenos quantum poterat, sublevabat. Cum autem in alios pius esset & misericors sibi tamen ex tunc incipiebat esse austerus. Nam non solum singulari abstinentia sensuales appetitus frænare, sed & levissimos quoscumque defectus flagellis asperis consueverat expiare.

Licet autem etiam dum in sæculo versaretur, animo cœlum recoleret; magis tamen, ac magis abundans in scientia, & in omni sensu probavit potiora; & annum ætatis sextum decimum ingressus, in custodia sancti Evangelii, seu Extremaduræ (quæ nunc sancti Gabrielis provincia dicitur) Fratrum minorum discalceatorum habitum, & evangelicam vivendi formam suscepit.

Quod consilium insigni prodigio approbavit Deus. Cum enim festinanti ad religiosi ordinis portum moram objiceret fluvius Tietar, qui tunc forte imbribus intumuerat, neque ulla navigii facultas esset; effusus in preces, in altera se ripa divinitus constitutum extemplo reperit Petrus. In cœnobio tam magnos in virtute statim progressus fecit, ut initio tirocinii emeritis Christi militibus emineret; ad omnium tamen pedes mirabili demissione prosternens se.

Præcinxit illum Deus virtute, & posuit immaculatam viam ejus. Paupertate, religiosæ disciplinæ rigore, rara oculorum modestia, incredibili siti cruciatus magnam in omnibus excitavit admirationem sui.

Solemnem professionem, expleto tirocinii anno, emisit; & sese elevans supra se, humana omnia transcendens & anhelans ad cœlestia, oculis tamen in terram semper dejectis, ignorabat, an chorus Ecclesiæ (quem perpetuo adibat) fornice obductus esset, an laqueari, an cellula sua ex lapidibus, an ex lignis constaret. Et exactis in quodam sui ordinis cœnobio tribus annis, Fratres non ex vultu, sed ex solo vocis cognoscebat auditu. Silentii quoque rigore linguam reprimere studens,

CONSTIT. XC. A. D. 1670.

ſtudens, per triennium quoſdam in ore lapillos detulit; ut vel ſic loquendi pruritum coerceret.

Senili prudentia juventutem ſupergreſſus, viceſimo ætatis anno præter ſacri ordinis morem, cuſtos cœnobii ſanctæ Mariæ Angelorum renunciatus eſt; ubi tot charifmatum dona cœlitus illi collata ſunt, ut ex eo jam tempore prodigiis coruſcaret. Cum enim annona omnis defeciſſet, ac Fratres egredi ad petendam eleemoſynam prohiberentur (altiſſima nive conventum obſidente) conqueri de Petro cœperunt, qui etiam rigente hieme ipſos cogitare de craſtino vetuiſſet; quidquid menſæ ſupererat, quotidie in pauperes diſtribuere conſuetus. At ille certo ſciens enutriendos eſſe qui jactant cogitatum ſuum in Domino; juſſit ad oſtium puerulos pergere, ubi ſuper acervum nivis poſtibus hærentem, prægrande caniſtrum refertum panibus invenerunt, tam importuno tempore, & itinere alta nive obſito, nonniſi ab Angelis eo delatum: quam divinæ providentiæ curam aliis quoque vicibus eſt expertus.

Sed mirabilior erat Petri vita, quæ ut viva lex perfectionis alumnos provocabat ad ſanctitatem. Pro quovis præconio ſufficeret referre illa, quæ de hoc viro ſanctiſſimo dixit ſanctiſſima pariter virgo Tereſia Carmelitarum reformatorum parens; videlicet ne momento quidem diei ac noctis Petrum ab oratione ceſſaſſe, & ne ſomnus oranti obreperet, flexis genibus, cum quieti tandem indulgere cogebatur, ad ligni ſtipitem parieti infixum, caput admoveret. Illius cella, eadem Tereſia teſte, pedum quatuor longitudinem cum dimidio non excedebat; adeoque depreſſa erat, ut flexis genibus & curvis ſemper humeris in illa hærere cogeretur.

Per quadraginta annorum decurſum ſeſquihoram tantum ſomno conceſſit. Jejunium amavit adeo, ut ad triduum ordinarie, & ad octo aliquando dies inediam protraxerit: aſperrimo prætere cilicio armatus, bractea ferrea per viginti annos præfixis aculeis corpus dilanians, bis in die flagellis in ſe crudeliſſime animadvertens, itinera quamvis longiſſima atque aſperrima capite ſemper detecto, nudiſque pedibus per æſtus & frigora ſuſcipiens, itaut cum nudum caput imbribus & nivi exponeret, interdum capilli gelu concreti deciderent, & æſtate præfervida, exurentibus ſolis radiis, capite vehementiſſime cruciaretur, reſpondere ſolitus interrogantibus, cur detecto capite ſemper incederet; nefas eſſe coram Deo tecto capite ambulare. Cum vetuſtum ac vilem ſaccum abluebat, madidum corpori aptabat, quin etiam in gelidam aquam rigente hyeme ſeſe plerumque injiciebat. Præter hæc; familiare illi erat hieme ſumma, urgente nivis frigore, depoſito pallio feneſtram & januam cellæ reſerare, ut frigidiſſimo excepto aere & gelu acrius torqueretur caro mox eximenda diris cruciatibus, cum feneſtram clauſiſſet, & januam. Eo devenit hac ſæva maceratione membrorum, ut ex narratione ſanctæ Tereſiæ arido & exſangui corpore, radicum arboris ſpeciem exhibuerit: oculis autem in cavevam recedentibus, & ſulcatis perpetuo lacrymarum imbre genis, mirabile pœnitentiæ ſimulacrum videretur.

Ex hac eximia vitæ ſanctitate vires hauſit ad egregia quævis præſtanda in honorem divinitatis, eaque prodigioſo morum ſuorum exemplo aſſequi potuit. Latere ille quidem præoptaſſet, & paternam S. Franciſci humilitatem ſecutus regale ſacerdotium formidaſſet accipere; niſi ad illud ſuſcipiendum ſuperiorum imperio coactus fuiſſet. Itaque non ſumens ſibi

sibi honorem, sed vocatus a Deo, tanquam Aron, sacrum quotidie peragebat tam uberes in fletus effusus, ut exitus aquarum deducentes oculi ejus, viderentur fons hortorum, & puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.

Jussus etiam est suggestum ascendere, ac verbi divini panem ex tempore populis esurientibus frangere: cumque de ore ejus erumperent quasi sagittæ potentis acutæ, innumeros felicissime sauciatos eruit de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filii Dei. Præterea confluebant ad illum privatim erudiendi non modo infimi & populares; sed etiam nobiles ac principes viri, quos mira suavitate, & efficacia verborum ad salutarem pœnitentiam invitabat. Confessarii tamen munus apud Carolum V. Cæsarem declinavit, captus amore solitudinis & demissionis, ac metu discriminum aulæ regalis.

Plura cœnobia sui ordinis sanctissime temperavit, videlicet illud sancti Honuphrii in provincia sancti Gabrielis, sancti Michaelis Placentiæ, aliaque. Subinde provinciæ definitor & custos, ac deinde omnium suffragiis in provincialem electus est provinciæ sancti Gabrielis; cujus regimini sedulo incumbens exemplis & verbis, quasdam edidit constitutiones, quibus strictioris observantiæ nitor in ea refloreret. In Lusitaniam quoque perrexit, ut nascentem Arrabidorum provinciam juvaret & promoveret.

Cum autem arctiorem sui ordinis disciplinam vigere desideraret & longius extendi, superatis gravissimis difficultatibus, divino munitus præsidio, & Apostolica fretus auctoritate, primum novæ reformationis cœnobium angustissimum & pauperrimum sub Immaculatæ Conceptionis titulo prope Pedrosum Cauriensis diœcesis in Bæturia, vulgo Extremadura oppidum, construxit; ubi cum paucis sociis Apostolicam sui Patris Francisci vitam renovavit. Hinc a Paulo IV. summo Pontifice ejusdem Clementis ac nostro prædecessore Commissarius generalis novæ reformationis institutus, alios ædificavit conventus; ex quibus, & quibusdam aliis ejus se regimini ultro subdentibus, provinciam sancti Josephi fundavit. Mox destinatis ad Regnum Valentiæ sociis, provinciæ sancti Johannis Baptistæ fundamenta jecit. Ac tandem illud strictissimum vitæ genus in varias Hispaniæ provincias ad Indias & Japonium usque feliciter dilatatum est, ubi ex ipsa reformatione multi martyrio coronati sunt.

Sanctam quoque virginem Teresiam in stabilienda Carmelitarum reformatione indefessus adjuvit, itaut ipsamet testante, recentis illius propaginis sit præcipuus promotor existimandus. Et revera multas pro re tanta peregrinationes suscepit & labores tulit. Immo & absenti opem & consilium laturus aliquando miraculose apparuit.

Quam gratum acciderit Deo studium hoc observantiæ strictioris, & quanto haberi vellet in pretio Seraphicum zelum hujus viri, Deus ipse prodigiis ingentibus comprobavit, cum non solum rapidissimas Tagi, & alterius fluminis aquas siccis ipse pedibus aliquando transivit; sed & puer, qui asello insidens, canistrum panibus refertum ad illum & Fratres deferebat, Petri de Alcantara nomine invocato, jumentum impulit in flumen, quod solidum ac tutum supra suas aquas ingressum eidem præbuit.

Cum Johannes de Neira Petri in itinere socius, inedia & siti confectus pene decideret, in loco, ubi ad orandum Sanctus hic vir se composuerat, fons illico erupit, & panis cum pisce ad esum paratus apparuit.

Infixus

CONSTIT. XC.

A.D. 1670.

Infixus ab eo terræ aridus baculus, in viridem ficulneam excrevit, cujus fructus etiam nunc ægris salutem redonant.

Atrocem pertinacis mulieris injuriam non modo patientissime toleravit; verum etiam flexis coram ea genibus pro culpa, quam non patrarat, humillime deprecatus est.

Semel Crucem in horto Pedrosi devotis oculis contemplans sursum ferri, & in aere coram ipsa suspendi, & lucidissimos quoque ex oculis radios in eandem Crucem emittere visus est, candidaque nube caput ejus circumdari.

Quendam adolescentem benedictionem suam enixe efflagitantem, cum ab Urbe, quamprimum recedere decrevisset; de gravi discrimine, quod illi imminebat in hæreticam quandam opinionem incidendi præmonuit.

Scholarem alium respiciens, mundo quamprimum renunciaturum, sacrumque religionis habitum suscepturum, divinitus agnovit.

In magna siccitate precibus suis copiosum a Deo imbrem obtinuit.

Accensum ignem in quodam conventu, per flammas ipsas innoxius incedens, sine mora extinxit.

Demersum in puteo infantem, corda, qua cingebatur in eum locum demissa, mirabiliter extraxit.

Mulieris oculos luce orbatos leviter tangens, data ei benedictione protinus illuminavit.

Feminam quandam a Dæmone per multum temporis deceptam, de prava illa consuetudine, quam cum maligno tentatore habuerat, commonefecit & liberavit.

In reditu ad conventum de Arenas a civitate Abulæ obrutus fuisset nivibus, quarum vis ingens e cœlo devolvebatur; nisi ejus precibus coercitæ, in aere pendulæ constitissent, & prodigiosum tabernaculi genus artificioso fornice composuissent, quo inclusus Petrus ab aliarum læsione nivium prohibebatur.

Imbres quoque copiosissimi eum madefacere non sunt ausi, quod etiam dum augustum missæ sacrificium offerret, ipsi & circumstantibus semel evenit. Corporaliter videndum se præbuit plurimis procul distantibus. Prophetico lumine remotissima locorum & temporum spatio prædixit. Demum usque adeo fuit in deliciis divinitati, ut omnium vota, quando Petrus intercessorem exhiberet se, implenda esse professus fuerit sanctæ virgini Teresiæ, ut ipsamet sibi semper accidisse fatetur.

Et illius quidem preces adeo incensæ erant igne divino, ut inter orandum brachiis in modum Crucis expansis in altum sæpissime ferretur; ac dum sacrum faceret elevari in sublime coram populo aliquoties conspectus fuerit. Immo tanta ejus erat assiduitas orationis, ut nunquam ab ea cessaret, & intuentibus ipsum, homo alterius sæculi videretur.

Edoctus ergo etiam, dum in terris agebat, ad cœlum evolare, tandem meritis plenus, ætatis anno sexagesimo tertio in febrim ac dolores molestissimos incidit. Augebatur simul cum ægritudine hilaritas Petri, prohibentis religiosam suam familiam a laerymis, in quas ob amittendum amantissimum parentem agebatur. Ecclesiæ Sacramentis rite susceptis, ac prædicta mortis hora, non jacens, sed humi erectus in genua, in altissimam ectasim raptus; ac deinde sensibus restitutus:

Lætatus

Lætatus sum (inquit) *in his, quæ dicta sunt mihi. In domum Domini ibimus*. Et manu Fratribus benedicens; ita illos est allocutus: *Non intuemini, Fratres mei, sanctissimam Trinitatem, & Dominam meam gloriosissimam Virginem Mariam, & sanctum Johannem Evangelistam?* Quibus dictis, adhuc excepto genibus corpore, migravit animo in cœlum, & sancta Teresia procul distans ab oppido de Arenas, in quo Petrus decesserat, illum vidit recto & lucido tramite delatum ad sempiternam felicitatem; ac sæpe postea eidem oranti apparuit plenus immensa gloria, & purissimæ lucis radiis circumfusus. Corpus vero pulcherrimum, cœlesti quodam colore perfusum, oculis apertis, & miro splendore radiantibus, suavissimo de membris odore manante intuentes replebat admiratione, utque fidelium adventantium devotioni satisfieret, in eminentiori extra portam loco expositum fuit, ad cujus conspectum populus suspiriis ac vocibus *Sanctum* inclamabat, auxilium ab eo petebat,& vel minimam habitus particulam pro summo quilibet bono reputabat. Inde processum est ad funus, numeroso populo cum facibus ac candelis accensis sacrum depositum comitante. Contigit autem inter cetera notabilia, quod cœlum imbre ac vento furens, delato in medium corpore, subito placaretur, dum in circuitu omnia streperent & inundarent, itaut a valetudinario, in quo decesserat, usque ad conventum,duobus milliaribus distantem, quieto cœlo omnes immadefacti processerint, & ceram pro funere honorando accensam in tanto spatio nihil imminutam repererint. Ejus corpus in Ecclesia Fratrum minorum Discalceatorum depositum, singulari populorum veneratione invisitur.

CONSTIT. XC.

A. D. 1670.

Excessit anno salutis millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, decima octava die Octobris.

Plurimis etiam post mortem miraculis coruscavit.

Alphonsus Sanchez faber lignarius fracti cruris integrandi mortalem omnem spem projecerat; sed ad sepulcrum Petri momento temporis convaluit.

Laborantem exitiali morbo Mariam de Paramo, & a medicis desperatam, haustus aquæ, reliquiarum Petri contactu sacræ, dicto citius integræ sanitati restituit.

Sacramento extremæ unctionis munita jam erat Maria Velasquez, quæ Petri opem exposcens, illico surrexit incolumis.

Franciscus Ramirez sexennis puer cruribus contractus; oleo lampadis ante Petri sepulcrum lucentis inunctus, repente sanatur.

Balthassari Rodriguez sexenni puero, fracto utroque latere, ac defluentibus intestinis pene confecto, effusæ ante Petri sepulcrum preces, saluti fuerunt.

Francisca Martinez triennio claudicans, quæ desperata fracti pedis salute, genibus & manibus reptaverat ad Petri sepulcrum, incolumis & solido pede innixa, regressa est domum.

Utraque aure surdus Bartholomæus Garzia, contactu aquæ, cui fuerant admotæ Petri reliquiæ, recuperavit auditum: & eodem contactu visum momento recepit Isabella Gonzalez a tribus mensibus cœca: & fœdo apostemate laborans in dextero genu Johannes puer bimus, repente convaluit.

Jacuit autem Petri corpus per multos annos in humili loco, in quo primo reconditum fuerat, sed cum undique ad illud ex tota conflueretur Hispania, Episcopi Abulensis auctoritate in locum decentiorem

CONSTIT. XC. A. D. 1670. a religiosis conventus de Arenas translatum est, & oleo similem liquorem distillans repertum, candidis velis fuit involutum, retenta quadam reliquiæ particula, & in arca prope altare majus iterum muro inclusum.

Gratias igitur immortales agebat omnipotenti Deo idem Clemens prædecessor, & in illo cor suum exultabat, quod nullis ejus suffragantibus meritis, sed altitudine divitiarum sapientiæ & scientiæ suæ hanc servi sui Petri de Alcantara canonizationis solemnitatem per ejus humilitatis ministerium ad sui nominis gloriam & catholicæ fidei exemplum voluerit celebrari. Cum enim præter eximia prodigia, quibus Petri vita effulsit, post mortem etiam quamplurimis aliis miraculis ejus sanctitatem testaretur Deus, aditus aperiebatur ad sacros honores Petro deferendos.

Propterea crebrescente fama ejus sanctitatis, venerationis & miraculorum, editi super his fuere processus auctoritate Apostolica & ordinaria. Et accedentibus precibus claræ memoriæ Philippi III. & IV. Catholicorum Hispaniarum Regum, necnon fere omnium Hispaniæ Regnorum, ceterisque de more peractis, sacrorum Rituum Congregatio, cui supradictorum processuum revisionem injunxerat Gregorius Papa XV. etiam prædecessor noster, tunc suus, respondit, referente bonæ memoriæ Marco Antonio tituli sancti Eusebii Presbytero Cardinali Gozadino, juxta seriem relationis trium causarum palatii Apostolici auditorum pluries examinatam fuisse causam servi Dei Petri de Alcantara, ac plenissime constare de validitate processuum, fama sanctitatis, fidei puritate, ceterarum virtutum excellentia, reliquiarum, ac sepulcri veneratione, & plurimis tandem miraculis, ac propterea posse, si summo Pontifici placuisset, eundem Petrum, *Sanctum*, ac in cœlis regnantem, omnibus fidelibus solemni canonizatione proponere venerandum; dum interim Episcopus Abulensis in capellam quandam novam a se dedicatam, sacrum ejus corpus, odorem suavissimum spirans solemniter transtulisset, præsentibus nonnullis Hispaniæ magnatibus, qui ferendis reliquiis nobiles humeros submiserunt.

Quapropter idem Gregorius XV. felicis recordationis prædecessor noster, tunc suus, annuit precibus ejusdem Philippi IV. Regis, & ministri generalis, & Fratrum ordinis Minorum; atque Petrum *beati* titulo insignivit die decima octava Aprilis anno salutis millesimo sexcentesimo vicesimo secundo; ac de eo, tanquam de Confessore non Pontifice, die decima nona Octobris, qua ipsius memoriam celebrandam esse statuit ubique terrarum ab universo ordine Minorum observantium utriusque sexus; in oppido vero de Alcantara, ubi natus est, atque in altero de Arenas, ubi corpus ejus requiescere acceperat, ab omnibus tam regularibus, quam sæcularibus clericis recitari officium posse, & missam celebrari, datis desuper literis in forma brevis, concessit. In provincia vero sancti Josephi, cujus auctor extitit Petrus, a Fratribus discalceatis de illo, veluti de patrono, etiam cum octava officium ac missam celebrari posse.

Deinde vero novus processus conditus est ob nova decreta ab Urbano VIII. edita, & fama sanctitatis præservans, & crescens fidelium veneratio reperta est.

Alia deinde miracula a felicis recordationis Innocentio X. prædecessore nostro, tunc suo, comprobata sunt die octava Martii millesimi sexcentesimi quinquagesimi, cum processus novi super his, quæ post Petri beatificationem acciderant, formati fuissent, instantibus in primis iteratis suppli-

fupplicationibus Epifcoporum, Principum, ac civitatum totius Hifpaniæ. CONSTIT. XC.

Repetito voto, facrorum Rituum Congregatio die XII. Aprilis anno millefimo fexcentefimo fexagefimo cenfuit, poffe tuto deveniri ad folemnem Petri canonizationem, ac in Domino plurimum expedire, ut diuturnæ mortificationis affiduus labor plane ad prodigii genus accedens, argumentum infigne perfectiffimæ caritatis in Deum cum falubri animarum profectu, fane admirabili, Chriftifidelibus colendus & imitandus omnino proponeretur. A. D. 1670.

Sed interim fuccedente interitu felicis recordationis Alexandri VII. prædecefforis noftri, tunc fui, quo annuente decretum fupradictum emanaverat, ab eadem facrorum Rituum Congregatione, & eodem Clemente ad fancti Petri cathedram evecto, priores diligentiæ fuerunt inftauratæ, & accedentibus novis Principum catholicorum inftantiis, præfertim vero Regis Catholici Caroli II. fecretum confiftorium fuit habitum die decima octava Martii anno millefimo fexcentefimo fexagefimo nono, in quo per venerabilem Fratrem noftrum, tunc fuum, Martium Epifcopum Portuenfem S. R. E. Cardinalem Ginettum ftatus caufæ beati Petri relatus fuit; & omnium Cardinalium, qui adfuerunt, fuffragia dixerunt, placere eis, ut idem Clemens ad folemnem canonizationem deveniret.

Quapropter fequente publico confiftorio, in quo de canonizatione dicti beati Petri verba fecit dilectus etiam filius Alexander Caprara, noftræ, tunc fuæ, confiftorialis aulæ advocatus, & nomine præfati Caroli Regis, necnon Regnorum prædictorum, ac miniftri generalis, & Fratrum ordinis minorum, eidem Clementi prædecefsori fuit humiliter fupplicatum.

Idem Clemens, prædeceffor nofter, in tam gravi caufa orationibus & jejuniis publice indictis, & conceffa pro hoc fidelibus indulgentia, divinæ voluntatis beneplacitum explorare fategit.

In femipleno poftmodum confiftorio Cardinalium, Patriarcharum, Archiepifcoporum & Epifcoporum (de quorum numero tunc eramus) fcripta fuffragia, canonizationis folemnitatem approbantium, eidem Clementi prædeceffori diem Dominicam in Albis unanimiter innuerunt.

Tandem cum nihil aliud defideraretur eorum, quæ ex fanctorum Patrum auctoritate, facrorum canonum decretis, fanctæ Romanæ Ecclefiæ antiqua confuetudine, ac novorum decretorum præfcripto agenda & obfervanda erant, dicta die Dominica in Albis, quæ erat quarto Kalendas Maji, anno millefimo fexcentefimo fexagefimo nono, pontificatus fui anno fecundo, in facrofancta beati Petri Apoftolorum principis bafilica, in qua folemni ritu cum ejufdem fanctæ Romanæ Ecclefiæ Cardinalibus, Patriarchis, Archiepifcopis & Epifcopis, & dilectis filiis Romanæ curiæ Prælatis, officialibus & familiaribus fuis, clero fæculari & regulari, ac maxima populi frequentia mane convenimus; poft repetitas pro canonizationis decreto petitiones, nomine ejufdem Caroli Regis a dilecto etiam filio noftro, tunc fuo, Jacobo Tituli fancti Xyfti Presbytero Cardinali, Rofpiliofo nuncupato, poft facros hymnos, litanias, aliafque preces Spiritus fancti gratiam rite imploratam;

Ad honorem fanctiffimæ & individuæ Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicæ & Chriftianæ religionis augmentum, auctoritate Domini noftri Jefu Chrifti, beatorum Apoftolorum Petri & Pauli, ac ejus, matura deliberatione præhabita, & divina ope fæpius implorata,

CONSTIT. XC. A. D. 1670.

rata, ac de venerabilium fratrum nostrorum, tunc suorum, Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum in Urbe existentium consilio, beatum Petrum de Alcantara Sanctum esse decrevit & definivit, ac Sanctorum catalogo adscripsit, statuens, ab universali Ecclesia quolibet anno, die decima octava Octobris, illius obitus die, memoriam ejus inter sanctos Confessores non Pontifices pia devotione recoli debere, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen.

Postea idem Clemens prædecessor noster, ejusdem Sancti festum, die decima nona Octobris celebrari quotannis decrevit, in qua die omnibus Christifidelibus, qui aliquam ex Ecclesiis universi ordinis sancti Francisci tam Fratrum, quam monialium, tam hactenus erectis, quam in posterum erigendis, & ubicumque locorum existentibus visitaverint, indulgentiam plenariam perpetuam concessit.

Deo igitur optimo maximo, a quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum, gratias agere eundem Clementem prædecessorem decebat: qui benedixit hunc servum suum in omni benedictione spirituali, ut esset sanctus & immaculatus coram ipso, & curreret in via mandatorum divinorum dilatato corde ab eximia caritate; cumque illum divina pietas huic nostro sæculo indulserit, qui antiquæ prodigia sanctitatis instauraret, eundem singulari cultu prosequeretur, ejusque auxilium in hisce Christianæ Reipublicæ necessitatibus enixius imploraret.

Ne autem de decreto, definitione, adscriptione, statuto, concessione, aliisque præmissis, pro eo, quod ipsius Clementis prædecessoris literæ, ejus superveniente obitu, confectæ non fuerunt, valeat quomodolibet hæsitari, volumus & Apostolica auctoritate decernimus, quod decretum, definitio, adscriptio, statutum, concessio, aliaque præmissa, a dicta die quarto Kalendas Maji suum consequantur effectum, ac si super illis ipsius Clementis prædecessoris literæ sub data ejusdem diei confectæ fuissent, prout superius enarratur; quodque præsentes literæ ad probandum plene decretum, definitionem, adscriptionem, statutum, concessionem, & alia præmissa, ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Ceterum quia difficile foret, præsentes nostras literas ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum voluntatum & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo septuagesimo, quinto Idus Maji, pontificatus nostri anno primo.

✠ Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

✠ *Ego Franciscus Episcopus Ostiensis Cardinalis Barberinus, S. R. E. Viceccancellarius.*

✠ *Ego*

✠ *Ego Franciscus Maria Episcopus Tusculanus Cardinalis Brancatius.*

✠

✠

✠ *Ego Uldericus Episcopus Albanensis Cardinalis Carpineus.*

✠

✠ *Ego Virginius Tituli sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Ursinus.*

✠

✠ *Ego Cæsar Tituli sanctorum Quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis Fachenetus.*

✠

✠

✠ *Ego Alderanus Tituli sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis Cybo.*

✠ *Ego Fridericus Tituli sancti Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis Sfortia.*

✠ *Ego Benedictus Tituli sancti Honuphrii Presbyter Cardinalis Odescalcus.*

✠

✠

✠ *Ego Aloysius Tituli sancti Alexii Presbyter Cardinalis Homodeus.*

✠ *Ego Petrus Tituli sancti Marci Presbyter Cardinalis Otthobonus.*

✠ *Ego Laurentius Tituli sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis Imperialis.*

✠

✠

✠ *Ego Marcellus Tituli sancti Stephani in Monte Cœlio Presbyter Cardinalis Sanctacrucius.*

✠ *Ego Johannes Baptista Tituli sancti Marcelli Presbyter Cardinalis Spada.*

✠ *Ego Franciscus Tituli sanctorum Quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis Albitius.*

✠ *Ego Octavius Tituli sanctæ Ceciliæ Presbyter Cardinalis de Aquaviva & Aragonia.*

✠ *Ego Carolus Tituli sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis Pius.*

✠ *Ego Carolus Tituli sancti Eusebii Presbyter Cardinalis Gualterius.*

✠ *Ego Flavius Tituli sanctæ Mariæ de Populo Presbyter Cardinalis Chisius.*

✠

✠ *Ego Jacobus Tituli sancti Pancratii Presbyter Cardinalis Franzonus.*

✠

✠ *Ego Petrus Tituli sancti Calixti Presbyter Cardinalis Vidonus.*

✠

✠

✠

✠

✠ *Ego Nerius Tituli sanctorum Nerei & Achillei Presbyter Cardinalis Corsinus.*

✠ *Ego Carolus Tituli sanctæ Anastasiæ Presbyter Cardinalis Bonellus.*

✠ *Ego*

CONSTIT. XC.

A. D. 1670.

✠

✠

✠ *Ego Carolus Tituli sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis Carafa.*

✠ *Ego Palutius Basilicæ sanctorum XII. Apostolorum Presbyter Cardinalis de Alteriis.*

✠ *Ego Cæsar Tituli sancti Johannis ante Portam Latinam Presbyter Cardinalis Rasponus.*

✠

✠

✠

✠

✠ *Ego Carolus Tituli sanctæ Mariæ de Aracœli Presbyter Cardinalis Robertus.*

✠

✠

✠

✠

✠

✠ *Ego Jacobus Tituli sancti Xysti Presbyter Cardinalis Rospiliosus.*

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠ *Ego Fridericus sancti Nicolai in Carcere Diaconus Cardinalis de Hassia.*

✠ *Ego Carolus sancti Cæsarei Diaconus Cardinalis Barberinus.*

✠ *Ego Decius sancti Eustachii Diaconus Cardinalis Azolinus.*

✠ *Ego Franciscus Maria sanctorum Viti & Modesti Diaconus Cardinalis Mancinus.*

✠

✠ *Ego Paulus sancti Georgii Diaconus Cardinalis Sabellus.*

✠

✠

✠

✠

✠ *Ego Sigismundus sanctæ Mariæ in Domnica Diaconus Cardinalis Chisius.*

✠

N O T A.

Ab *Alcantara* loco natali dictus est Petrus, unde etiam ordo equestris Alcantarensis nuncupatur. Idem vir Dei antiquam Minorum disciplinam ad suorum claustra revocavit, admirabili pœnitentia & prodigiis clarissimus, inter quæ corrupto hoc sæculo præcipuum illud censendum est, quod locum, ab alius bene multis ardentissime appetitum, respuerit in aula Caroli V. Imperatoris, qui sui confessarii munus ultro illi contulerat. Sancta virgo Teresa a Jesu cap. xx. vitæ suæ Petri aureum libellum vitæ asceticæ laudat, & alibi quoque. Reliqua Petri scripta memorantur a Nicolao Antonio in Bibliotheca Hispana nova tomo II. pag. 132. Viri sanctissimi gesta Latine scripta edidit Laurentius a sancto Paulo Romæ A. D. 1669. Hispanice vero Johannes a sancto Bernardo Neapoli A. D. 1677. Clemens IX. una cum *Petro* Sanctorum canoni adscripsit *Mariam Magdalenam de Pactiis*, cujus quoque canonizationis bullam postea vulgavit Clemens X. Ceterum nostræ huic bullæ subscribunt *duo Cardinales* Tituli sanctorum IV. *Coronatorum*. Nam *Facchenettus* quum post subscriptionem ab se jam factam, hunc Titulum pro alio assumendo, nimirum sancti Laurentii in Lucina, dimisisset, *Albitius* dimisso Titulo sanctæ Mariæ in Via, illum assumsit, cumque eo postea subscripsit. Non enim *singuli* Cardinales *una die* hujusmodi bullis subscribunt.

IDEM

CONSTIT. XCI. A. D. 1670.

XCI.

IDEM

CLEMENS. X

Beatam Mariam Magdalenam de Pactiis, Florentinam in Tuscia, sanctimonialem ordinis beatæ Mariæ Virginis a monte Carmelo, per Clementem IX. Pont. Max. Sanctarum virginum canoni adscriptam fuisse promulgat. Obiit Dei ancilla die xxv. Maji A. D. 1607.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Rationi consonum & justum reputamus, ut Romanorum gesta Pontificum, præsertim majorem Dei gloriam, & Sanctorum ejus laudes & honorem concernentia, super quibus, eorum superveniente obitu, literæ Apostolicæ confectæ non fuerunt, universis Christifidelibus pateant. Const. XCI. A. D. 1670.

Dudum siquidem felicis recordationis Clemens Papa IX. prædecessor noster pie attendens, quod singulari divinitatis consilio factum erat, ut in illo potissimum tempore, quo pessimi veteratores, & errorum magistri apud multas gentes, ac præsertim in septemtrione bellum religiosis familiis indixerant, irridentes sanctissima vota, quibus, perfectionis studio ducti Christifideles se divino famulatui consecrabant, speciali cultu floruissent in sacris ordinibus quamplurimi, sanctitate conspicui, qui ceteris exemplo prælucerent & currerent in via divinorum mandatorum & consiliorum ad confundendam Lutheri, & sociorum insaniam, & ad carbones ignis super illorum capita congerendos. Et quoniam virginitatem præcipue contemnebant nequissimi hostes, cœno voluptatum immersi, Sponsus divinus, qui pascitur inter lilia, excoluit sacris in hortis pulcherrimos flores, quorum cœlestis odor alios illicio suavissimo invitaret ad studium angelicæ hujus virtutis. Hinc præter Teresiam a Jesu, Rosam de sancta Maria, aliasque plurimas, nondum albo Sanctarum aut Beatarum adscriptas, exhibuit admirationi & cultui populorum sanctissimam virginem Mariam Magdalenam de Pazzis, cujus ea fuit cœlestium virtutum fragrantia, ut cœlestem Sponsum allexerit ad illam anulo subarrhandam. Tanto autem divini amoris æstu in mediis virginitatis nivibus ardebat, ut prodigiosa, & propemodum inaudita sint argumenta beatissimi incendii, quæ præbuit in excessibus mentis, quibus frequentissime colloquebatur

cum

CONSTIT. XCI.
A. D. 1670.

cum Deo. Illam igitur Sanctarum numero adscribere divini spiritus ductu decreverat ad solatium & exemplum infelicis hujus sæculi, cui singulare præsidium sperabat ab illa, quæ hoc ipsum sæculum virtutum suarum prodigiis illustraverat: & gratias humillimo obsequio persolvit omnipotenti Deo, qui, sicut ineffabili providentia, nullis suis meritis, Ecclesiæ suæ ipsum præesse voluerat, ita reservare ei dignatus erat sanctissimam hanc Sponsam suam, supremo cultu exornandam, ut celeberrima Mariæ Magdalenæ sanctitas testimonio etiam suo comprobaretur.

Sanctissima hæc Virgo exorta in lucem est Florentiæ secunda Aprilis die anni millesimi quingentesimi sexagesimi sexti ex illustribus parentibus Camillo de Pazzis & Maria Bondelmontia. Catharinæ nomen inditum illi fuit, quod immutavit cum sacræ familiæ nomen dedit. Ab ipsis incunabilis signatum super illam visum fuit lumen vultus divini, adeo ut ætatis præjudicium supergressa cœlestibus rebus inhiaret, & quasi jam mundo nuncium remisisset, sericas vestes abhorreret, & integra die soluta in fletum, fuerit coacta patris imperio nobile indumentum adhibere, domo egressura. Necdum illi rationis usus diluculum affulsisse per ætatem poterat, cum frangere cœpit esurienti panem suum, consueta in pauperes erogare jentaculum, matutinis & pomeridianis horis illi tributum. Statim ad Sponsi divini nuptias adulta visa est, ideoque in illius perpetuo complexu vivebat. De illo tantum loqui, vel de eo loquentes audire cupiebat, & in secretis gynæceis assiduo hærebat in contemplatione divinarum rerum, præsertim affecta mirifice erga sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, quo recens refectos avidissime alloquebatur, quasi tunc præsentia in illis frueretur Christi servatoris, qui dixit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Cum autem illius animum subibant crimina, quibus offendi suum Deum audiverat, exulcerati cordis dolorem incredibili fletu protestabatur.

Anno ætatis decimo, feria quinta sanctioris hebdomadæ, contemplata caritatem eximiam, qua se mortalibus in augustissimo Sacramento cibum Christus exhibuit, perpetuum illi munus devovit virginitatem suam; ac deinde quotiescumque a parentibus mortalis sponsi mentionem fieri audivit, propemodum exanimari visa est: & certe subituram se potius mortem profitebatur, quam unquam a concepto proposito resilire, beatius videri sibi dicens in carne imitari vitam angelicam, quam ex carne mortalium numerum augere. Matrem ergo sollicite conciliare sibi studebat, ut ad sanctimonialis vitam (ad quam avidissime ferebatur) liberum sibi iter indulgeret. Patri vero sancte asserebat, se potius violenta morte extinguendam, quam dimovendam a semel concepto religiosæ vitæ proposito.

Ruri cum degeret, pauperes puellas Christianæ fidei rudimentis imbuebat, utque libentius & certatim confluerent singulis quibusque festis diebus plerumque illis sudariola & gremialia, assentiente matre, donabat; cumque nacta esset ruri pabulum hoc eximiæ virtutis, ægerrime repetebat Urbem, in qua tamen solitudinem inveniebat, in ædium angulo piis precibus insistens, ac sedulo satagens, ut idipsum domestici omnes præstarent. Exinde cœnobium monialium sancti Johannis Equitum ingressa, ut ibidem, ut fieri assolet, aliquot annos excoleretur, ea præbuit cœlestis indolis argumenta, ea caritatis, obedientiæ & humilitatis specimina, ut moniales sanctam illam fore, ac

ac beatæ Catharinæ Senensi non imparem præsagirent. Ægris præsertim sollicitam operam adhibebat, illas sacrorum voluminum lectione reficiens, & ignito de rebus divinis eloquio ad cœlestem amorem erigens. Ipsa vero adeo vulnerata erat jaculis caritatis, adeo inebriata nectare beatorum, ut vultu præseferret cordis incendium; ideoque accensæ rosæ speciem interdum exhiberet: instar siderum illius oculi scintillarent; immo angelicæ formæ radiis intuentes bearet. CONSTIT. XCI. A. D. 1670.

Sexto decimo ætatis anno uberrima profusione lacrymarum a parentibus tandem extorsit facultatem religiosi habitus suscipiendi, & gaudio triumphans, in monasterio sanctæ Mariæ de Angelis (cujus parietes suavissime osculabatur) ordini Carmelitarum adscripta est. Atque is in illam statim solitudinis amor exarsit, ut nunquam ad ferreas crates accesserit, nisi præcepto superioris coacta: quod si aliquando a suis illam latebris abstrahebat, ad supplicium impellere videbatur. Ipsorum etiam parentum & consanguineorum colloquia, præsertim virorum, aversabatur. Præterea mirum in modum sollicita erat, ne frustra contereret tempus, quod divinis colloquiis consecrandum erat. Et quia *justitiæ custos silentium est*, illius leges servavit religiosissime.

A superiorum nutu ne latum quidem unguem discedebat, licet non raro imperarent ardua. Immo etiam illa, quæ in ectasim raptæ Virgini Deus imperabat, nonnisi accedente superioris assensu, exequebatur. Sanctissimo ambitu vilium officiorum incendebatur. Paupertatis amantissima gestiebat, si quid interdum vitæ necessarium illi defuisset. Novam nunquam, sed magis attritam vestem quærebat; cumque omnium sese virtutum ideam monialibus exhiberet, iisdem interrogantibus, quo pacto religiosa vita instituenda esset, respondere solebat, eo semper spiritu vivendum, quem prima ingressus die conceperant, ac nullum privatum commodum sacri ordinis instituto præferendum.

Incredibili ardore animi professionem emisit decimo septimo ætatis anno: & de claritate crescens in claritatem usque ad perfectum diem, ut sorores omnes divino amore incenderentur, illarum munera obibat, domesticos labores noctibus peragens, quas plerumque traducebat insomnes, ut illæ secum transigerent dies in divinarum contemplatione rerum. Quod si aliquando repugnantem somnus opprimeret, miro pudore suffusa, flagellis corpusculum cruentabat, & ad opus regrediebatur. Sed quod in aliis fovere satagebat orandi studium, mirifice illo ipsamet virgo æstuabat, & perpetuis precibus sanctam Deo Ecclesiam commendabat, dicere consueta, Christi sponsam non appellandam esse sanctimonialem illam, quæ inter orandum sedulo memor non esset Sponsæ divinæ catholicæ Ecclesiæ. Choro defuit nunquam, nisi ab ægritudine prohiberetur.

Cœlestis amoris incendium in omnium animis excitare cupiebat, & ad illum perpetui stimuli erant Magdalenæ colloquia. Perspicua ingenii acies, modestissima serenæ frontis tranquillitas, prudentiæ lumen illustre & prodigiosa eloquentia in sermone de rebus divinis facilem illi aditum præbebant ad animos occupandos. Sed uberiorem exercendi zeli materiem sortita est, cum illi vicesimum tertium annum agenti demandata est tiruncularum cura, quas præsentia ipsa erigebat ad studia divina, & uno intuitu oculorum culpæ alicujus conscias deterrebat, ita ut faterentur optimæ adolescentulæ se qualibet vel levissima labe conspersas, Magdalenæ conspectum subire nunquam ausas

 fuisse.

CONSTIT. XCI. A. D. 1670.

fuisse. Atque adeo constans de magistræ sanctitate opinio discipularum animos occupaverat, ut ipsa (quæ omnium imperfectissimam, & culpis obrutam arbitrabatur se) omni studio laboraret, quo eas ab hac mente dimoveret, ideoque perturbationes animi sui, & hostis nequissimi tentationes iisdem memorabat.

Animorum statum, & intima cujusque penetralia intuebatur; adeoque consentanea cuilibet spiritus languori remedia adhibebat, ut non solum tirunculas, sed plerasque alias tentationibus vexatas ejus directioni confessarii subjicerent: atque ut solo verbo serenitatem animis afferebat, ita solo nutu aliorum pervicaciam infringebat. Incredibilis erat illius pro periclitantium animarum salute zelus: & quoties ad innumeros infideles a Christi ovili devios flectebat oculum mentis, medullitus cruciabatur: atque hæc cogitatio perpetuus illi erat fons lacrymarum, adeo ut cibo refici non posset, & fletu stratum suum rigaret. Mariam Mediceam Henrico IV. Galliarum Regi desponsam hortata impense fuit, ut hæresum extirpationi & catholicorum filiorum educationi sedulam operam adhiberet.

Adhæc incendebatur incredibili siti martyrii, cujus delicias delibare conabatur assiduis corpusculi cruciatibus, *semper mortificationem Jesu Christi in se circumferens, ut vita Christi manifestaretur in corpore suo*. Ægris aderat assidue. De vita periclitantibus solatium & opem afferebat, insomnes noctes traducens, atque eo caritatis ardore ministrabat quovis etiam sordido morbo laborantibus, ut ex fœdidissimo cujusdam ulcere vermiculos, & putredinem abstergeret, cumque lamberet putres ejusdem ulceris hiatus, exclamaret: *O quam majora passus est Jesus pro nobis*. Præterea deformes scabiei crustas, quibus obtegebatur corpus sororis Barbaræ de Bassis, non absimiles lepræ, & Mariæ Benignæ de Orlandinis fœtido itidem morbo, & in lepram desituro per sesquiannum confectæ, lingendo, utrique prodigiosam salutem hoc eximiæ caritatis & tolerantiæ miraculo redonavit.

Panis tantum & aqua cibus illi & potus quinquennio fuit. Proximo autem biennio, medicorum jussu, modicum vinum adhibuit, ac Dominicis diebus usa est epulis, quibus vesci sinunt jejunii leges. Cum vero experiri voluissent moderatores, an, Deo annuente, illa se inedia torqueret, pro imperio compulerunt uti mitioribus cibis, sed eam difficultatem in deglutiendo experta est, ut singultibus propemodum spiritus illi fuerit interclusus; idcirco mirabilem tam rara abstinentia vitam protrahebat. Nudis incedebat pedibus, quamvis glacies horrida rigeret, quoadusque pedum usu destituta, aliena tantum ope progredi potuit. Et quamvis morbi deterrere illam debuissent, tamen tam incredibili cruciandi corpusculi studio incendebatur, ut integras noctes sacris in precibus vigilaret, ferreo cingulo & ciliciis protereret carnem, caput spinea corona transfigeret, & liquenti cera se interdum ustularet.

Sed quod admirabilius est, non solum omnes corporis cruciatus avidissime amplectebatur, verum etiam nulla cœlesti dulcedine suum animum recreari, aut saltem clam omnibus esse divinas delicias animi sui exoptabat; ideoque, si forte incidisset in scripta, quæ de suis visionibus sorores exarabant, illico ea comburebat: & oculis, ac toto habitu oris summa modestissimi animi demissio, suique contemptus mirifice promicabat. Sed frustra cœlestium charismatum dona tegere laborabat; tantus enim in illius animo flagrabat æstus amoris divini,

ut per

ut per clauſtra tranſiliens, exclamare cogeretur: *o amor, o amor non bene notus, non bene redamatus; tot injuriis affectus! o quam pauca pectora te norunt! ego pectus meum exhibeo: veni ad cor meum, veni, ut fovearis*. Interim mira corporis agilitate per clauſtra ferebatur, dilacerabat veſtes, & procul abigebat quidquid illius in manus incurriſſet. A feliciſſimo deinde mentis exilio regreſſa, dicere ſolebat, quod ſi blaſphemiis immunis eſſet infernus, illum non exhorruiſſet, ut combureretur magis.

Obſequentiſſimo cultu venerabatur auguſtiſſimam Trinitatem, quam perpetuis fere laudibus adorabat: & illius ſingulari beneficio, anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo quinto, a pervigilio Pentecoſtes per conſequentes octo dies ac noctes ſenſibus deſtituta, gaviſa eſt intuitu divinarum rerum, atque in eo raptu quotidie matutinis horis divini Spiritus auram ſub diverſis formis accepit. In ectaſim rapiebatur ubi Symbolum fidei recitabat, atque hoc illi non ſemel evenit alloquenti Alexandrum Cardinalem Mediceum, cui pontificatum, eumque breviſſimum futurum prædixit, & qui poſtea re ipſa Leonis XI. nomine Pontifex maximus renunciatus eſt.

Eodem anno & milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſecundo, feria quinta & ſexta ſanctioris hebdomadæ ſimiles animi exceſſus experta eſt, atque illi Chriſtus indulſit participationem dolorum, quos acerbiſſimos iiſdem ipſe diebus pro generis humani redemptione toleravit, eique inſtrumentorum ſuæ ſacratiſſimæ Paſſionis faſciculum porrexit.

Interdum per tres conſequentes noctes arcana divinitatis intuita eſt, ac ſubinde auguſtiſſimæ Trinitatis myſterium ea facundia expoſuit, quæ humani vires ingenii ſuperabat: ac tanto divinarum perſonarum amore incendebatur, ut dum inter horas canonicas laudes ſanctiſſimæ Trinitati perſolveret, exalbeſcere pallore niveo, & amoris æſtu pene confici videretur.

Præterea cum æterno Patre eodem anno admirandum habuit colloquium de modo adornandi animam ante ſumptionem ſanctiſſimæ Euchariſtiæ: atque his profuſæ in ſe divinitatis muneribus ad illud amoris incendium evaſit, ut interdum exclamaret: O *amor, te amplius ferre non poſſum. Amor in te revertere: tanti amoris incapax ego ſum*. Exinde ad gelidum fontem, vel ad putei crepidinem manus & brachia undis mergebat: eaſdem potabat avidiſſime, illarum copioſa aſpergine pectoris Æthnam refrigerabat. Nempe ſemel hoc impetu caritatis acta pendentis e Cruce reparatoris noſtræ ſalutis imaginem amplectebatur, eamque a Cruce divulſam, lacrymis irrigabat, & ſui capitis velaminibus innocens Magdalena tergebat. Interdum os tam avide admovebat lateri Crucifixi, ut videretur ſuaviſſimam ex illo fonte divino ambroſiam haurire.

Non ſemel Sponſi divini manu, euchariſtico epulio refectam, & anulo nuptiali ſubarrhatam idem Sponſus ſua ſpinea corona, impreſſis in anima ſtigmatibus, ac ſuo divino corde muneratus eſt: & beatus Auguſtinus (cujus felicem animam in mentis exceſſu aliquando ſuſpexit) illius cordi *Verbum*, aureis, *caro factum eſt*, ſanguineis notis inſcripſit.

Statum animarum in altera vita perſpexit. Pariter ſpiritu prophetico dotata, ex divina revelatione futuros rerum eventus prænunciavit, & quædam in locis remotis facta & dicta, tanquam præſens vidit & audivit.

CONSTIT. XCI.
A. D. 1670.

Sæpe sæpius manualibus, qua suendo, qua sanctorum imagines pingendo, qua aurum scindendo, similesve alias obeundo functiones, implicita exercitiis, repentino corripiebatur mentis excessu, quæ fixis in cœlum palpebris, immo fenestris clausis, oculisque fascia velatis, tota immobilis & ectatica, cœptum qualecumque eo modo prosequebatur, & ita absolute perficiebat opus, quasi huic unice intenta foret.

Cum autem (sicut prædictus divinitatis amantissimus Augustinus) experiretur inquietum esse cor suum, donec requiesceret in Deo, conquerebatur quod incolatus ejus prolongaretur. Amoris igitur æstu felicissime contabescens, vigiliis & afflictationibus corporis pene consumpta, quem delicatiorem cibum ad illam decumbentem sorores afferebant, ad alias ægrotas mittebat; adeoque castitatis custos religiosa fuit usque ad interitum, ut ægre ferens sororum manibus contingi, cum vires illi non essent, quibus in aliam strati partem converteret se, jucundius sibi esse diceret in lecto marescere, quam ab aliis attingi. Cumque illi mors instaret, a confessariis interrogata, ingenue professa est, nullam sibi unquam in animo cogitationem fuisse, quæ quidquam de castitatis candore deliberaret: atque hunc integerrimæ pudicitiæ florem a beatissima Virgine indultum sibi fuisse asserebat, quæ se in ectasi candido aliquando velamento operuerat, quo protecta, nullis unquam contrariis pudicitiæ maculis infici potuit.

Quinque omnino menses cum ægritudine certans præbuit argumentum invictæ tolerantiæ. Sacramentis deinde refecta, singulari animi demissione veniam a sororibus flagitavit, quas, nihil ipsa mortem pertimescens, consolabatur. Spiritualem vero Patrem circa septimam noctis horam rogavit, ut ad quiescendum pergeret, spondens usque ad proximum mane superfuturam sibi vitæ usuram. Sub interitum sororibus innuit, ut fidei Symbolum recitarent, eoque inchoato, in ectasim rapta est, & sempiternæ præludia felicitatis illius in vultu effulserunt.

Cum animam ageret integerrima Virgo, jussa est a confessario præstolari quoad usque sacrum ipse faciens, cœlesti pane moniales reficeret. At Magdalena, quæ usque tunc penitus obmutuerat, quasi reviviscens, dixit: *Benedictus Deus*; ac deinde regressis omnibus e sacro convivio, sanctissimam animam choris cœlestibus inserendum emisit die vicesima quinta Maji, anno millesimo sexcentesimo septimo, ætatis suæ quadragesimo primo expleto.

Consequenti die cum illatum Ecclesiæ fuisset sacrum Virginis corpus, vis hominum tanta confluxit, illius vestes incidere studiosissima, ut necesse fuerit, occlusis postibus turbam aditu prohibere. Prodigiosum fuit, quod cum ad sinistram vergeret Magdalenæ facies, & feretrum nullo motu concuteretur, in dexteram invertit se, quia sinister illi aderat adolescens profligatæ vitæ, cujus aspectum nec exanimatum Virginis corpus tolerare potuit.

Humili primum loco sub ara majori sepultum est virgineum corpus, quod ibidem per annum quievit incorruptum, quamvis loci humiditas vestes penitus absumpserit. Inde translatum manavit liquore suavissimo ad instar balsami & variis languoribus saluberrimo, & in præsentia, cujuslibet corruptionis expers, suavissimo etiam odore fragrat.

Interim

Interim crescente fama illius sanctitatis & miraculorum, editi sunt processus informativi auctoritate ordinaria; eumque illos retulisset in Congregatione sacrorum Rituum bonæ memoriæ Alexander Cardinalis Ursinus die decima Februarii anno millesimo sexcentesimo vicesimo quarto, eadem Congregatio concessit remissoriales literas ad sumendas probationes in genere & in specie, & Rotæ auditoribus de more commisit discutiendam causam. CONSTIT. XCI. A. D. 1670.

Die vero quarta Aprilis anno millesimo sexcentesimo vicesimo sexto, post advectos ad urbem processus, Florentiæ compilatos, referente bonæ memoriæ Carolo Cardinali Pio, supradicta Congregatio censuit constare de illorum validitate. Deinde vicesima quarta ejusdem mensis die asseruit, constare de virtutibus in gradu heroico: & demum secunda Maji consequentia miracula approbavit.

Acerbissimis doloribus urgebatur soror Maria Catharina de Chellis ob ulcus, ex quo pars ossis putrefacti fuerat educta; sed fasciis a Magdalena obligata, illico a dolore, subinde ab ulcere, liberata est.

Omnimoda nervorum attractione laborans soror Fides, & lecto hærens immobilis inter acerrimos cruciatus, accepta e Magdalenæ manibus Deiparæ Virginis imagine, extemplo convaluit.

Formato signo Crucis super Catharinam de Spinis, dire cruciatam a dœmone, illico in fugam egit hostem.

Sororibus Barbaræ Bassæ & Mariæ Benignæ de Orlandinis tabifica scabie & lepræ simillima infectis, purulenta earum ulcera lambendo, sanitatem reddidit.

Sensum, motum, & integram salutem restituit sorori Paci de Columbinis, sinistri lateris apoplexia correptæ.

Destituta jam erat a medicis Cherubina Rabatta, pessimo ulcere in capite infecta, & febri præterea, atque atrocissimis doloribus æstuans, cui tamen ulcus, dolorem & febrim ademit productum ter super illam a Maria Magdalena signum Crucis. Eademque Cherubina alio ulcere & lethali febri confecta, jamque sacro munita oleo, fere cum morte luctabatur, cum attigens stramentum, in qua Magdalena decumbebat, saluti se restitutam extemplo sensit.

Post mortem vero, præter diutinum liquorem mire fragrantem, qui variis languoribus saluberrimus effluxit e tibiis corporis sanctissimæ hujus Virginis, integri & incorrupti, Maria de Rovanis sexto decimo jam mense lethali febri correpta, & omni salutis spe destituta, admovit sibi ad pectus fasciculum florum, ob contactum sacri corporis salutarium, & statim in soporem acta est, & brevi expergefacta, prosiliit e strato prorsus incolumis.

Eadem Maria quadriennio post febri molestissima, & variis morbi symptomatibus in vitæ discrimine constituta, attactu pulvilli, quo usa fuerat Magdalena, convaluit. Subinde febri, & acerbissimis stomachi doloribus laborans, & duos menses lecto affixa, statim atque Magdalenæ tunicam superinduit, ad sanitatem revocata est: quam etiam post annum recepit; cum duos itidem menses febri æstuasset, producto super illam signo Crucis cum velo Mariæ Magdalenæ.

Crudelissimo stomachi dolore, & capitis cruciatu cum vertigine & febri Catharina de Tassis vitæ marginem attigerat, sed admota stomacho particula vestis Magdalenæ, repentino somno correpta, atque evigilans, omni se dolore & ægritudine exemptam reperit.

Magda-

CONSTIT. XCI. A. D. 1670.

Magdalena de Rondonis sexenni dolorum tormento propemodum extincta, omni certe humani remedii spe destituta, admotis corpori Magdalenæ vestibus, voto vix nuncupato, convaluit: sicut etiam Petrus de Allis Romanus, febri & doloribus contabescens, superinduto Magdalenæ velo extemplo convaluit.

Cum autem jam ab illius obitu celeberrima esse cœpisset Mariæ Magdalenæ sanctitas & veneratio populorum, ac ipsius intercessione patrata miracula viam illius clarificationi aperirent; formati sunt processus auctoritate Apostolica, quibus examinatis, felicis recordationis Urbanus VIII. prædecessor noster, tunc suus, annuens repetitis precibus dilecti filii nostri, tunc sui, nobilis viri Ferdinandi Etruriæ sibi subjectæ magni Ducis, ac dilectarum in Christo filiarum monialium dicti monasterii sanctæ Mariæ Angelorum, die octava Maji millesimo sexcentesimo vicesimo sexto hanc Dei servam *Beatæ* titulo insignivit, ac die vicesima secunda Augusti universo Carmelitarum ordini indulsit, ut illius officium & missam recitaret. Die vero decimâ quinta Januarii millesimo sexcentesimo vicesimo octavo hujusmodi indultum extendit ad universam ditionem Florentinam.

Post novissima autem decreta ejusdem Urbani prædecessoris, die prima Aprilis anno millesimo sexcentesimo sexagesimo secundo eadem Congregatio censuit constare de casu excepto, nempe de cultu Beatæ exhibito auctoritate Apostolica. Die decima Septembris anni millesimi sexcentesimi sexagesimi octavi, cum declaratum jam ante fuisset constare de validitate aliorum processuum, super his, quæ beatificationi successerunt, decrevit constare de quinque miraculis post indultam Beatæ venerationem consecutis.

Perseveravit enim corporis incorruptio cum mirabili flexibilitate quarumdam partium, in quibus caro tactu pressa cedit, & post ad pristinum redit, in manibus & brachiis cernuntur venæ, capilli adhuc suo fulvo rutilant colore: candorem servat caro in artubus, qui vestibus teguntur: quæ & pium inflammant affectum, & sanctæ devotionis stimulos accendunt.

Continuavit etiam suavissimi odoris ex singulis membris, sed præcipue & acutius ex stomacho, fragrantia tam mira suaveolentia, ut ei nec liquorum, nec florum, aut aromatum odores comparari queant: adeo ut plurium medicorum assertione & testimonio constet, nonnisi divinitus prodire ex illo virgineo corpusculo talem fragrantiam, quæ adhuc longe suavius emanavit, cum anno Domini millesimo sexcentesimo sexagesimo tertio pro solemni canonizatione exaratus fuit processus.

Solemni præterea ritu celebrantes beatificationem illius moniales cœnobii sanctæ Mariæ Angelorum (in quo ejus sacrum corpus requiescit) divina virtute factum est, ut vas, in quo oleum asservabatur, invenerint (postquam plurimum ex eo hauserant) plenum; & successivè auferendo, merito hujus Elianæ virginis (ad instar sui Patriarchæ) per integram illius celebritatis octavam non imminutum fuisse: quod exacta perquisitione in Congregationibus discussum, inter præcipua cœli de hujus Virginis beatitudine testimonia numeratum fuit; & hoc eo magis, quod ejusdem olei usu plura alia mirabilia Dominus ad suæ Sponsæ glorificationem operari dignatus est.

Inter ea priori non absimile fuit, quod anno Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo quarto, deficiente in mense Augusto oleo (cujus penuria tunc monasterium illud laborabat) præfecta cellarii, soror

foror Caritas dicta, interno afflata instinctu, sumens parum olei jam ante per annos cœlitus multiplicati, una cum altera ex monialibus, foror Obedientia nomine, orans, & applicata hujus beatæ imagine, obtinuerunt ejus intercessione tantum illius augmentum, ut qualibet hebdomada haustis pluribus mensuris, pro Ecclesiæ & monasterii usibus usque ad festum Nativitatis Domini sufficeret, nec imminutus est lecythus usque ad novam in Decembri oleitatem: quo quidem oleo ita multiplicato plura mirabilia patrata fuere. CONSTIT. XCI. A. D. 1670.

Magdalena Angela Gorina monialis in cœnobio Muratarum Florentiæ, cum per biennium in oculo dextero morbo guttæ serenæ vexata fuisset, ita ut jam fere omnem videndi vim amisisset; & in lævo etiam notabilem diminutionem ejusdem potentiæ experiretur, cum plurimis adhibitis curationibus adhuc magis visus ille imminueretur, desperans de omni humano remedio, beatæ Mariæ Magdalenæ invocato nomine, ejusque velum sibi transmissum retinens, statuensque firmiter, se in posterum (obtenta restitutionis visus gratia) jejunaturam in pane & aqua in ejus pervigilio; & curaturam missæ celebrationem cum argenteæ imaginis appensione ad ejus sepulcrum, cum tota nocte acerbis doloribus cruciata fuisset, & paulisper quievisset, expergefacta se utriusque oculi visivam virtutem recuperasse intercessione ejusdem Virginis experta est: quod expedita lectione (ad quam ante omnino impotens erat) abbatissa ipsius comprobavit; & debitis Deo persolutis gratiis, ejusdemque Beatæ applicato velo visum magis corroborari sensit, quod divina virtute supra naturæ vires operante actum fuisse medici agnoscentes testati sunt.

His & aliis supra enarratis ejus sanctitatis coruscantibus signis, quam in cœlis adeo acceptam divinæ majestati patronam humana infirmitas experiebatur; accedentibus insuper carissimi in Christo filii nostri, tunc sui, Leopoldi Romanorum Regis in Imperatorem electi, & carissimarum in Christo filiarum Augustæ illius conjugis, necnon Christianissimæ Galliarum Reginæ, ac dilecti filii nostri, tunc sui, nobilis viri Ferdinandi Etruriæ sibi subjectæ magni Ducis, & dilectæ in Christo filiæ Victoriæ de Ruvere magnæ Ducissæ Etruriæ, & aliorum catholicorum Principum fere omnium, & universi Carmelitarum ordinis & monialium sanctæ Mariæ Angelorum, precibus, quibus id a dicto Clemente prædecessore summa cum instantia expetebant: auditis insuper venerabilium fratrum nostrorum, tunc suorum, S. R. E. Cardinalium, quibus id muneris commissum fuerat, votis & unanimi consensu, relataque in secreto consistorio per venerabilem Fratrem nostrum, tunc suum, Martium Episcopum Portuensem, & sanctæ Rufinæ Cardinalem Ginettum totius summa processus, annuentibus & approbantibus aliis tunc præsentibus Cardinalibus, indicta fuere ab eodem Clemente prædecessore nostro consueta jejunia, eleemosynæ & preces, ut in tanti ponderis negocio divinæ voluntatis beneplacitum clarius innotesceret.

Postmodum in semipublico consistorio accersitis Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis (de quorum numero tunc eramus) præsentibusque Sedis Apostolicæ notariis & causarum palatii Apostolici auditoribus, peractis omnibus, quæ ad hanc sacrosanctam functionem ex sanctorum Patrum auctoritate, sacrorum canonum decretis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ antiqua consuetudine, novorumque decretorum præscripto requirebantur, Dominica die, quæ erat quarto Kalendas

Maji,

primusque ibi salutiferæ prædicationis verbum suo sanguine obsignando universam illam gentem ad cœnam agni providi efficaciter invitavit, cujus voce, labore & cruore aurifera illa terra exculta, ad exhilarandam universæ tam militantis, quam triumphantis Ecclesiæ cœnam, inter ceteros Christianæ pietatis illius regionis flores Deo, Angelis & hominibus suaveolentem protulit Rosam, totius evangelicæ perfectionis exemplar, & primum ex orbe novo in Sanctorum albo reponendum ornamentum. Cum enim ad hoc nata & data fuisset, eam omnium impartitor bonorum spiritu sapientiæ & intellectus implevit, adeoque suæ caritatis igne inflammavit, ut non tantum odore recrearet, sed etiam fulgore luceret in ea domus Dei parte, quæ in tenebris latebat, ut, quasi stella matutina in medio nebulæ, quasi luna plena in diebus nostris, & quasi sol refulgens, in perpetuas æternitates splendesceret.

Æquum igitur & summopere rationi consentaneum judicamus, ut quam Dominus noster Jesus Christus (cujus vices in terris gerimus) singulariter in dilectissimam a se sponsam assumptam monilibus & coronis suis ornatam demonstrare dignatus est, nos quoque pro muneris nostri in universa Ecclesia debito (cui licet immerito præsidemus) ut venerandam, a Deo prælectam, sanctamque, colendam Apostolica auctoritate decernamus, ut a solis ortu usque ad occasum omnis lingua, & omnes populi confiteantur, quod magnus Dominus in omnibus operibus & laudabilis valde in mirabilibus suis; quoniam etiam in diebus nostris non defuerunt misericordiæ ejus super nos: & licet paterne culpis nostris exigentibus, corripiat, non tamen in perpetuum obliviscitur; sed in angustiis nostris multiplici nos electorum & amicorum suorum præsidio custodire non desinit qui meritorum & suffragiorum suorum patrociniis nos muniat & defendat. Utque Christi Domini fideles intelligant, quam sit eximium hoc pietatis exemplum, quod in novo orbe in præsentibus calamitatibus & periculis toti illuxit Ecclesiæ, illustriora ejus charismata, virtutes & gesta ex multis magnalibus, quæ contulit illi Dominus, his nostris literis proponenda duximus, ut ejus sanctitas, Apostolicæ hujus Cathedræ testimonio comprobata, in universo mundo perpetuo magis illucescat.

Limæ, quæ est meridionalis Americæ in Regno Peruano metropolis, anno a reparata salute millesimo quingentesimo octogesimo sexto, duodecimo Kalendas Maji, parentibus honestis Gaspare de Floribus, & Maria ab Oliva orta est hæc mystica Rosa in vico sancti Dominici juxta sancti Spiritus ædem, & in ipsa solemni Pentecostes die, quam Rosarum Pascha dicimus, sacro Baptismatis fonte purificata, ut pene videantur omnia fuisse infantis hujus futuræ sanctitatis indicia. Primævum illi nomen ab avia, Elisabeth fuit: quod postea divinitus non solum a matre propter cœleste prodigium rosæ, in facie ejus illico apparentis, sed etiam a Thuribio, Archipræsule Limæ dignissimo (non absque cœlesti, ut creditur afflatu) in sacri chrismatis unctione, in Rosæ nomen commutatum, & a Deipara Virgine, agnomine a sancta Maria auctum fuit, ut hoc etiam testimonio abundantius comprobaretur, eximia Sanctorum merita a Deo nomina sortiri.

Infans sæpe visa est humi jacens, fixis ocellis jucunde cœlum intueri, quasi jam peregrina in terris, in civem cœlestis Hierusalem eloquenti silentio (quo ex tunc prædita erat) adscribi postularet: jamque pupula intelligens, meliorem esse patientem viro forti, suavis, lepida & serena

CONSTIT. XCII. A. D. 1671.

ſemper apparuit, nec unquam vagitibus aut voce querula, ædium audita eſt turbare ſilentium, averſata ſolum in publicum efferri. Ea fuit in teneris annis conſtantia, ut diros chirurgi cruciatus in pollice, aure & naribus ſine querela & capitis, pœnalem corroſionem ex impoſitis ad medicamen pulveribus ortam, ſine querela invicto animo ſuſtineret, ut ejus indoles, jam ex tunc patientiæ nata eſſe crederetur.

Vix quinquennis erat, cum a Spiritus ſancti unctione interius edocta, virginitatis votum emiſit, & ex fratris admonitu vanitatis ſæculi conſcia facta, ipſamet ſibi comas ad vivam uſque cutem inſcia matre præcidit, ne quid funium ſupereſſet, quibus adverſus devotam puritatem aut traheret, aut traheretur ad nuptias; inſignem illam heroinam Catharinam Senenſem æmulata, quam ſibi in ipſo rationis diluculo in ſanctitatis exemplar & magiſterium delegerat: quam ſubinde magiſtram appellare non deſtitit. Addidit in præſidium primo alterum perpetuæ a carnibus abſtinentiæ votum, quo cautius obſtrictam Deo virginitatem cuſtodiret; optime intelligens ſobrietatem docere ſapientiam & virtutem, quibus nihil utilius eſt in vita hominibus. Quapropter jejunium adhuc parvula ſic ſervavit, ut omni ſe fructuum eſu interdiceret: quos ſibi donatos mox aliis largiebatur. In hebdomadarum ſpacia protrahebat inediam, quæque in puerilibus annis inſignem exercuerat abſtinentiam, monialis poſtea eam ſibimet jejunandi legem indixit, quæ plane ſupra naturam eſſet. Nam integras Quadrageſimas tranſigebat ſine pane, dietim quinis dumtaxat aurei mali granulis in memoriam quinque vulnerum Chriſti ſeſe reficiebat. Septem vero menſium ex ordinis ſui præſcripto jejunium a feſto ſanctæ Crucis exaltatæ uſque ad Paſcha ſic obſervabat, ut nonniſi ad veſperam exigua panis vilioris bucella, hauſtuque frigidæ aquæ ſedaret famem & ſitim. Sæpe ac præcipue ſextis feriis palatum & viſcera cruciabat felle vervecino, quod in hunc uſum potabile ſervabat, ut Chriſti ſui in Cruce ſitibundi guſtaret ſpongiam. Interdum, ut matri videretur lautius obſonare, amariſſima Granadillæ folia, vel alias e ſilva extremæ amaritudinis herbas, injectis ad ſpeciem paucis uvarum ſiccarum acinis in pulmentum adhibebat. Quando obedientiæ vi ad carnis eſum cogebatur, duris ſymptomatibus torqueri viſa eſt, nec quietem primam reparabat, donec ad priſtinam abſtinentiam læta redire permitteretur. Sic denique aſſueta jejuniis erat, ut ejus creberrimis infirmitatibus nullum aliud prodeſſet medicamentum, quam panis & aqua. Sic enim divina gratia curat & ſanat.

Ut loqueretur victorias, mirabilis fuit in Roſa obedientia, tum in ſequentis divini Sponſi tractibus, quibus eam per arcanas ſanctitatis ſemitas in unguentorum ſuorum currentem odorem trahebat, tum in duræ & rudis matris præceptis adimplendis, quibus eam exadverſo ad ſæculi nugas & vanos corporis ornatus impellebat. In tanta enim oppoſitorum mandatorum diverſitate, arte excelluit pluſquam humana non aberrando, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram.

Hinc novit, in florigero ſerto, vera filia Hieruſalem, juſſa illud capiti imponere, celare acum tempora figentem, non ſolum intuita, ſed imitata verum Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater ſua. Chirothecarum ſuaveolentium in manibus, obtemperans admiſit amictum, e quibus aduſtionem veram experta, dum eas abjicit, vidit promicare flammas, & totum collucere cubiculum. Pellibus ab ipſa genitrice pro reparanda valetudine circumligatis ſumme

cru-

cruciata silens & patiens sustinuit, vitam potius, quam obedientiam perdere parata; in omnibus enim, & per omnia a confessariis parentum & majorum nutibus pendens, mundi, & sui victrix etiam in minimis omnes obtemperantium palmas obtinuit: & quod magis mirandum est, etiam vita functa in cœnobio sanctæ Catharinæ Luciæ Præfectæ illius obedientiam præstitit.

Sciens etiam, Deo, parentibus & magistris nunquam reddi æquale eximia prosequuta est genitores reverentia, pietate & caritate. Labore manuum eorum inopiam levem reddebat, prudens & providens in removendo quidquid eis ingratum aut inquietum esse posset, in pacandis contentiouibus & sedandis animis mirifice discreta. Infirmæ eorum valetudini semper prompte & provide assistens & ministrans visa fuit. Ad hoc per singulas noctes in operibus elaborandis vigilias protrahebat ad instar fortis illius mulieris, quæ de nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis. Debilis enim, languens, & sæpe ægrotans, ac orationibus & aliis exercitiis detenta, & aliarum artificum opera & celeritate & perfectione quam longe superabat. Nec prætereundum, quod in hac pietate erga parentes cursum vitæ suæ feliciter clausit. Matrem enim prævidens pro sui obitus adventu summo mœrore afficiendam, sponsum suum enixe precata, tantam divinarum consolationum sensibilem affluentiam ei obtinuit, ut postmodum jurejurando deposuerit, se in tam dilectæ filiæ præmatura morte expertam fuisse cor suum nimis angustum & incapax ad cœlestia illa gaudia capessenda.

Humilis virgo sibi videbatur nil agere aut pati in sponsi famulatu. Seipsam redarguebat supinæ ignaviæ, vociferabatur se indignam communi aere. Mirabatur se vivam terræ hiatu nondum absorberi. Ad pedes confessariorum lacrymis plena singultiebat, minimos quosque defectus ita exaggerans, quasi atrocissimorum scelerum cumulatim rea foret. Publicas urbis aut regionis calamitates suis imputabat demeritis, ægritudines creberrimas & acutissimas acceptabat & amabat, ceu vindices, ac justa supplicia suæ in Deum perpetuæ ingratitudinis. Provocabat in se omnia mundi elementa ad vindicias injuriarum, quas suo Creatori a se illatas querebatur. Credebat firmiter & ita ab omnibus credi satagebat, omnium se creaturarum esse abjectissimam & pestilentissimam, nævum execrabilem infelicis sæculi, orbis maculam, humani generis ultimum carcinoma. Hinc si deprehenderet de virtutibus se tantillum commendari, cruciabatur misera, expallescebat, diffluebat lacrymis, dehiscebat illico, se mergens in abyssum humilitatis. Accidit, quod e vicino ædium conclavi obiter audiret personas graves de Rosæ, tanquam absentis, mirabili vita honorifice ac secreto confabulantes. Expavit & contremuit exanguis virgo, angore, fletu & mœrore contabuit, ac seipsam durissime objurgans, ter, quater illisit pugnum aculeatæ capitis sui coronæ. Fluxerunt sub velo sanguinis rivi, ut acrimonia doloris ingratissimum alienæ laudis obtunderet auditum. Familiaribus suis ingenue profitebatur humilis Rosa plectendis suis criminibus haud sufficere communem gehennæ rogum, alium sibi deberi singularem infernum, ac veteri profundiorem, longeque deteriorem.

Ducebatur inter hæc virtutum exercitia a sponso, tam ad exteriorem corporis, quam ad intimam spiritus solitudinem, ut ibi loqueretur ad cor ejus, obsistentibus exadverso importunis genitricis conatibus, quibus eam ad connubia terræ parare satagebat, ad quæ non solum

CONSTIT. XCII. A. D. 1671.

solum verbis durioribus, sed etiam verberibus impellebatur. Sed vicit invictus Rosæ animus. Prius enim Cantæ, ubi cum suis morabatur, per quadriennium semel tantum, a matre jussa, domo exivit. Post exemplo suæ magistræ, rigidiore inedia vultus venustatem imminuere, veste humili & despecta, corporis agilitatem celare, hominumque prospectum quoad poterat declinare curavit. His sanctis artibus spes omnes nuptiarum elusit, non tamen quamcumque pugnam evasit. In statu enim vitæ deligendo diu, multumque luctandum fuit. Tandem obtinuit vicesimo ætatis anno, ut consentiente matre cooptaretur palam in filiam sancti Dominici, assumpto sanctæ Catharinæ Senensis habitu, quo candent sorores tertii ordinis, vulgo de Pœnitentia. Eam namque severioris instituti sanctæ Claræ primæ Virgines monasterii Limensis in fundationis sodalem habere totis viribus conabantur. Sanctimoniales postmodum sancti Doctoris Ecclesiæ Augustini illam jam domo ad hoc egressam præstolabantur sacro hoc amictu: & nec frustra, ni ante aram beatissimæ Virginis sanctissimi Rosarii immobilem vis divina tandiu detinuisset, quoad cœptum itineris propositum retractaret; unde cœlitus admonita, ordinem Prædicatorum esse in sancta Ecclesia Paradisum voluptatis divinæ, in quo ipsa, velut Rosa cœlestis, ceteris ibi liliorum & rosarum vernantibus plantis socianda & inserenda erat: quod postea ex intimis præcordiis optans petebat, & voti compos facta ante prædictam sibi summe gratissimam sanctissimi Rosarii aram Alphonso Velasquez ejusdem ordinis, tunc a confessionibus ipsius Virginis dante anno Domini sexto supra millesimum & sexcentesimum in clara sancti Laurentii celebritate habitum suscepit. Verum nec adhuc integra pax. Suadebat enim postea Quæstor Gundisalvus, vir optimus, qui apud virginem Rosam sibi concreditam auctoritate & domestico imperio plurimum valebat, reformatam Excalceatarum Virginum sacri Carmeli regulam in clauso cœnobio potius subire, quam inter postremas sancti Dominici tertiarias extra septa monasterii militare: se non tantum protectione, sed & opera & opibus adjumento futurum pollicebatur. Theologorum scrutiniis in hac causa anceps sententia stetit, donec ipsa cœlitus roborata constantissime status religiosi delectum non humanæ, sed divinæ inspirationis opus esse demonstravit, sibique vivendum usque ad extremum spiritum sub sanctæ Catharinæ Senensis magisterio, & tandem futurum tempus, quo ibi Limæ exurgeret hujus nominis & instituti monasterium, quod prophetico spiritu pronunciatum fuisse, eventus ipse postea comprobavit. His omnibus superatis eo gravior, quo intimior adhuc difficultas emersit. Importune enim se ingerebat in humillima sui cognitione molesta cogitatio, quod ipsa, peccatis sordida, illo niveo & sacro amictu nimis esset indigna. Nec destitit pugna, donec ante ipsam sanctissimi Rosarii aram in placidissima ectasi rapta, & pallens & rubens, ac splendoribus fulgida apparens, & post sensibus reddita, in jubilum grati animi obtentæ victoriæ erupit. Tantæ molis erat pacifice seraphicæ suæ magistræ habitu & instituto potiri, quam postea sic adamussim expressit, ut non solum ab exteris altera Senensis Catharina non sine magno humillimæ virginis angore animi diceretur, sed & ipsi confessario in lineamentis gestu & vultu, sic in illam mirabili divini amoris metamorphosi commutata appareret, nt jam non similis, sed eadem prorsus esse videretur.

Oraculum illud divinum, *sponsabo te mihi in fide*, etiam cum hac dilecta ac electa Dei eximio privilegio impletum fuisse dignoscitur, ad quod eam

eam per mirabiles favores evehere dignatus eſt. Singularis fuit, quo ſpecioſus forma præ filiis hominum habitu marmorum cædendorum peritiſſimi artificis feſtivus & amans in ſomnis apparuit, ut Virginem illic ſponſam quæſiturus. Ubi Roſa in tanti connubii fœdus conſenſit, arduos ei cædendorum marmorum labores impoſuit, & brevem terminum ad perficiendum opus, dum peregre rediret, indixit. Erubuit virgo in ſponſi reditu, omnino impar ſuis viribus opificium adhuc infectum inveniri, cui dolenti reſeravit ille amplam lapidariam officinam, in qua innumeræ electæ Virgines cædendis & poliendis marmoribus viriliter inſudabant. Sponſas eſſe ex nuptiali veſte & fulgore deprehendit, ſuarum lacrymarum ſtillicidiis ſaxa ad inciſionem emollientes, & una cum illis conſimili veſte circumamicta novit ſe ad tanti ſponſalitii gradum per ardua præparari. His igitur & eo virginali candore nitens, ut nunquam nec venialis impuritatis macula eam aſperſam fuiſſe, omnes ejus a confeſſionibus jurati teſtes probaverint; apertius ad myſterium ventum eſt. Dominica erat *Palmarum*, cum in ipſo Roſarii ſacello in ſui nihil abyſſo demerſam ſic affatus eſt: *Roſa cordis mei, tu mihi Sponſa eſto*. Contremuit virgo ad dulces tam divini Sponſi voces, & ſimul audivit gratulantem ſibi Deiparam, & dicentem: *en Roſa, quali te dignatur honore meus* hic filius. Inæſtimabiles divini amoris theſauri, & connubialia tanti Sponſi maxima in Roſam munera tam largiter depluerunt, ut ad ea impoſterum occultanda, humilioribus adhuc exercitiis continuo vacando, & de ſe abjectiſſime ſentiendo, ac in omnibus ſui contemptum ſibi comparandum eſſe cognoverit, & reipſa opere compleverit.

CONSTIT. XCII.

A. D. 1671.

His donis aucta & chariſmatibus cumulata ferventius Virago iſta accinxit adhuc arctius fortitudine lumbos ſuos, & roboravit brachium ſuum. Deficientibus enim ad ſuæ fidei martyrium tyrannis & tortoribus, ſe ipſa fortior, utriuſque in ſe explevit miniſterium. Saxa enim, & Cruces, quibus parvula, uſus flagellorum ignara, a Mariana ancilla, ſuarum mortificationum fere ſola conſcia, ad orationem, vel ad hortum pergens onerabatur, in ferreas catenas commutavit, quas aptavit in flagra: quibus ad ſancti Dominici exemplum ſingulis noctibus uſque ad rivulorum ſanguinis copioſam effuſionem, vel pro ærumnis ſanctæ Eccleſiæ, vel pro periclitantis Regni, aut urbis Limenſis neceſſitatibus, vel pro compenſandis peccatorum injuriis, vel pro expiandis defunctorum animabus, vel ad impetranda divina ſubſidia in extremo agone conſtitutis, cruentam ſe Deo victimam ad ejus juſtam iram avertendam offerebat, horreſcentibus quandoque domeſticis ad tam diros catenarum ictus, quarum uſu interdicto, earum una ſic triplicato ductu lumbos latenter diu præcinxit, ut nunquam, niſi maximorum cruciatuum iſchiadis vi apparere potuerit, quæ poſtea nonniſi interveniente miraculo ſoluta fuit, cujus anulos poſt virginis obitum miram & peregrinam ſuaveolentiam ſpirare compertum eſt. Nequa vero pars innocentis corpuſculi vacaret a ſupplicio, pœnalibus vinculis brachia & lacertos torquebat, urticarumque manipulis ac minutulis ſentibus pectus, axillas ac latera arctabat, ut ſuo lilio inter ſpinas conſtituto omnino configuraretur hæc Roſa. Cilicii poſtea a collo infra genua protendentis aſperitatem acubus permixtis auxit, quo compluribus annis uſa eſt, donec ob frequentem ſanguinis vomitum exuere juſſa fuit, cujus ſupplicii jacturam alia veſte minori valetudinis damno, ſed non leviori moleſtia compenſavit. Sub ea enim pœna erat ei quicumque motus,

ſolæ

CONSTIT. XCII. A. D. 1671.

solæ plantæ ab his doloribus vacabant: quas tamen aut saxorum collisione, aut fornacis adustione a cruciatibus immunes esse non sinebat: & quod fere singulare est in divinarum consolationum affluentia, quibus solet sanctitas etiam in terris abundare, & piorum caro in Deum vivum jucundatur & exultat, ab eis corpus suum alienum & jejunum esse cogebat. Memor ulterius nnn decere sub capite spinoso membrum delicatum inveniri, compuncta obtutu piæ imaginis muto præconio dicentis: *Ecce homo*, primam coronam capiti suo ex stanno peracutis claviculis infixit, & per aliquot annos non sine vulneribus cinxit: cui in majoribus annis successit secunda nonaginta & novem aculeis armata, quam in dies diversimode semper magis pœnalem, arte familiaribus occultam reddebat, eamque nonnisi cum vita dimisit.

Neque enim videbatur ei seraphicæ magistræ plene induisse habitum, nisi & spineam illius assumpsisset coronam. Hujus diadematis triplici actu in sanctissimæ Triadis reverentiam Dæmonum suggestiones illico fugare consueverat, satis instructa, tales spinas non violare, sed vallare has Rosas. Strati sui duritiem eam esse voluit, quæ somnum magis abigeret, quam conciliaret, ita ut dormituræ idem esset lectulus & equuleus: cervical aut impolitus truncus, aut lapides in hunc usum absconditi, quod cubile præacutis postea tegularum fragmentis, testarumque fractarum triquetris sic implevit, ut singularum pars mucronata obverteretur corpori, nec ante se ad somnum componebat, quam fellis haustu fauces amaricasset. Sic floridus erat hujus Sponsæ lectulus & Sponso divinn adeo gratus, ut eam quandoque propter hæc pene exanimem visibiliter apparens consolatus fuerit, proponendo ei duriorem & angustiorem suum lectulum Calvariæ. His artibus somnum suum intra duarum horarum angustias coercuit, & quandoque etiam minus spacii importuno exactori cnncessit. Diurnum enim, nocturnumque tempus sic distribuebat, ut ex utroque duodecim integras horas orationi seponeret, Alias decem labori manuum, qun parentes sustentaret, impendebat. Reliquas duas brevi quieti, somnoque deputabat, adversus cujus insidias clavum parieti infixerat: cui capillitium, quod ad tegendam coronam reservarat, strictissime implicabat, eoque tormento somnolentiam fugans, ad preces recitandas vigilias accrescere consueverat.

Æmulata sanctorum anachoretarum secessus, qui in eremi solitudine Christum Dominum receperunt, adhuc infans solitarios domi angulos quærebat, puellarum nugas fugiens, ut sola cum Deo suo delitesceret. Grandiuscula ex umbrosis arborum ramis oratoriolum cum altariolo construxit, illucque a mensa, & a lectulo surgens, ut ad orandi,asylum properabat. Proverbium erat: *Hortum adeas, si Rosulam quæris*. Domi in cubiculo sola in oratione pernoctabat. Exitus e domo pœnis etiam sibi vel in pede saxo, vel in oculis mordacissimo pipere Indico inflictis, vitabat, tolerabilius judicans excæcari, quam vanitates sæculi prospicere. Pro arctiori recessu non sine magna lucta, & prævio mirabili ostento Deiparæ, & pueri Jesu in sanctissimi Rosarii sacello, tandem obtinuit a matre in extremn horti angulo cellulam quinque pedum longitudinis, & quatuor latitudinis, ubi non solum manuum labori, sed potissimum collectinni spiritus, & contemplandi studio vacaret, tantum ibi solum inesse spatii gaudens, quantum sibi, & Sponso cœlesti sufficeret. In hac felici eremo ascensiones in corde suo disponebat, & supra se elevata, videbatur potius extra corpus, quam

quam in corpore degere. Sub specie stellæ probatæ perfectionis matronæ in visu apparuit. Civitati enim Regum, qualis dicitur Lima, suum debebatur sidus, quod ad Christum Dominum, Regem Regum, dux esset. Divinitus prospectum fuit, ut ibi residens complures distantes missas audiret, videretque non secus, ac si corpore præsens fuisset. Innumeri culices hanc anachoreticam cellulam intrabant, nec tamen vel unus fuit, qui eam morderet aut attingeret. Esto etiam religiosas personas accedentes hostiliter invaderent, hujusmodi bestiolas ad Dei laudes pro suo modulo personandas sic incitabat, & mirabiliter regebat, ut Rosa prope attigisse imperium, statui innocentiæ reservatum, & in ea solitudine, velut in Paradiso morari, crederetur. In hujus tugurioli recessu cum sola erat, aut a nemine se observari putabat, tenerius simul ac liberius prosa, versu, colloquiis & cantu in solemnia quæque seraphici amoris & laudes erumpebat eo fervore & impetu, ut audientium corda ad caritatem & compunctionem ignara commoveret. Ex ipsa divini amoris ignita pharetra jaculatorias collegerat in formam precatiunculas, quæ legentibus placuere, & multis usu profuerunt. His interpellabat verum Deum & Sponsum animæ suæ, lætitiam cordis sui, ac benignissimum Jesum amore illo perfectissimo, quo simul universi cives Empyrei eum diligunt, se prosequi & consumi toto corde protestabatur. Adventante hujus sui dilecti in Bethlehem natali, cum eum parvulum & nudum cum inope matre contemplaretur, piorum operum singulari, ac pretiosa consutura, dignas amore infantulo, vestes pluries præparabat. Indusioli enim panniculorum temporis, quo delituerat, stragulæ fasciæ fimbriarum & limborum ac crepundiorum loco substituerat Rosaria, stationes ad sanctissimam Eucharistiam, jejunia, coronas Domini, orationes Dominicas, salutationes Angelicas, symboli Apostolici recitationes, & plurium aliarum precum, flagellationes, lacrymas, interventus missarum, & sanctissimæ Communionis sumptiones, quæ omnia frequentissime repetebat. Hisque sancti amoris exercitiis sic animam & cor suum illi sacraverat, ut tota ipsius, veluti dilectissima Sponsa, esset, & nihil sibi reservaret, quod Sponsus ejus omnino non possideret. In connubiali anulo, quem in tanti Sponsi mnemosynon cum ipsius infantis Jesu effigie elaborari mandaverat, fratri ejus dum in eo delineando incumbit, quamvis tanti mysterii penitus ignaro, pro lemmate, divino instinctu illa eadem Regis Regum sponsalitia verba occurrerunt: *Rosa cordis mei, tu mihi Sponsa esto*. Anulus iste eam ab ipso Christo Domino vim supernam obtinuit, ut eum vir probatæ virtutis attrectans eximias divini amoris immissiones, excelsa lumina & insuetos Spiritus sancti ardores usque ad animæ deliquium expertus fuerit corpore prorsus immobili, nec nisi anulo deposito potuerit surgere liber qui sensibiliter in captivitate tam sanctæ nuptialis lætitiæ tenebatur. Quod si tantum in aliena, quantum in ipsa Sponsæ anima divinæ illæ nuptiæ valuerunt!

CONSTIT. XCII.

A. D. 1671.

Habitavit igitur hæc amantissima Domini confidenter, & quasi in thalamo, tota die morabatur in eo. Edocta enim in ipsa infantia interius ab ipso ferventer orare, etiam dormiens deprehensa fuit ore diurnas proferre preces, & cor ejus in oratione vigilare. Anno ætatis suæ duodecimo elevata fuit ad sublimem illum contemplandi gradum, quem mystica Theologia *unitivum* appellat. Inter manuales labores intellectus aciem immobiliter in Deum figebat, ita ut nec in vigilia, nec in somno mentis ejus, oculo cœlestis Sponsi elaberetur præsentia, quæ ita

CONSTIT. XCII. A. D. 1671.

suaviter occupabat interiores animæ illius vires, ut loquendo cum ipso Deo intus, simul etiam alia quæque necessaria expedite foris pertractaret. Per horas immota ante aras, nec prætereuntes vidit, nec ad repentinos strepitus animum deflexit. A mane feriæ quintæ usque ad Sabbatum, quandoque etiam usque ad Dominicam, sic genibus flexis invariata mansit, ut nec e pavimento surgere potuisse, sincere jussa aperuerit. Attributa divina distributa in numerum centum quinquaginta per decades ad exemplum sanctissimi Rosarii recitando, dæmonibus terrori fuisse cognovit. Familiares ipsius sermones vim orationis, ut plurimum continebant. A canora avicula excitata ad Dei contemplationem tribus ante prandium horis, & in ecstasim rapta, ab ea nonnisi ad vesperam se explicuit. Ad orationis, & præcipue mentalis exercitium proximos allicere studebat. Confessarios exorabat, ut ad eam omni arte pœnitentes inducerent, ipsosque divini verbi præcones frequentissime hortabatur, ut ad ejus studium, veluti ad magnam adversus omnia peccata pharmacopæjam suos auditores inflammarent, ac piarum meditationum usum populariter inveherent. Parthenici Rosarii recitationem cum innexa decadatim mysteriorum consideratione, prout sanctus Dominicus instituerat, singulariter diligebat, eo quod in ea coalescant mentalis & vocalis simul orationis affectus, petitiones, laudes & gratiarum actiones; & plurimis hæc Rosæ incitamenta profuisse re ipsa compertum fuit.

Prope obitum per Quadragesimam cum avicula mire canora, quæ sole occiduo ante suum cubiculum advolabat, alternavit Rosa cantica & laudes Dei quotidie per horam integram tanto ordine, ut canente avicula, virgo sileret, & virgine modulante, avicula attentissima nec pipiret. Quin & ipsas insensibiles plantas exemplo prorsus singulari ad laudes & ad orationem Dei eo versiculo prolato, *Benedicite universa germinantia in terra Domino*, invitavit, & visibiliter sic inclinavit, ut arborum summitates terram attingerent, veluti solemni venerationis ritu Creatorem suum adorarent; usque adeo verum est, quod is, qui adhæret Domino, unus spiritus est, & ei quoque obediunt omnia.

Ut probaretur, an spiritus ejus ex Deo esset, subtili virorum tum doctrina, tum pietate, & spirituum discretione excellentium, examini pluries subjecta fuit; ex quo claruit, ejus lumina & dona divina fuisse, & ab ipso rationis diluculo nihil ei dulcius occurrisse, quam de Deo cogitare, & supernis ejus beneplacitis inhiare; a duodecimo anno expeditissime introrsum ejus animam a Domino cum suis spiritualibus potentiis attractam, divinæ pulcritudini inhæsisse; ut nulla re creata a caritate Christi unquam separari potuerit; ab infantia ex magno Dei munere faciles ad virtutes propensiones sine passionum tumultu sensisse: a prima Dei notitia repletam fuisse timore Dei, & horrore peccati: nulla re creata potuisse recreari; totum suum levamen fuisse sentire Deum in anima sua præsentem; acerbius omni jactura & gehenna ipsa videri ei, si vel ad momentum e conspectu eum perderet. Tunc ex obedientia aperuit quod certamen forte dedit illi Deus, ut vinceret & sciret, quod potentior omnium est sapientia. Horrendas enim visiones, pavores & spiritus derelictiones, quas per quindecim annos summa constantia pertulit, enarravit, quæ veluti pœnales animarum in Purgatorio lugentium dilationes, & quidem ipsius Inferni typus videbantur, cum nulla ei spes evadendi affulgebat. Tunc patuit inter

has

has derelictiones repente in ipso pristinæ unionis meridie, veluti in sponsi brachiis, se deprehendisse restitutam, sensisse quoddam donum inexplicabile, solidum & fundamentale, quo videbatur sibi reddita impeccabilis, ut ille, qui dicebat: *quis non separabit a caritate Christi?* Plerumque etiam post illas tenebras apparuisse ei humanitatem Christi Domini, necnon & sanctissimam Virginem Deiparam; intellectuales etiam visiones, quibus in se præsentiam Dei experiebatur per terminos remotionis, eminentiæ & causalitatis, aliasque circumstantias explicavit, idque non a libris acceptum, sed Spiritu sancto interius docente, assecutam fuisse mirifice innotuit. Mortificationis etiam, & pœnitentiæ exercitia, & in his non suo, sed confessariorum arbitratu modum constituisse; suarumque virium diffidentiam, fidei ardorem, spei securitatem, divini amoris incendia sic dilucide explicavit, ut sinceram ac tutam esse viam, qua hæc electa Dei virgo incedebat, censores disparatis colloquiis, scrutiniis & censuris unanimi spiritu, voto & sententia concluserint.

Spiritu Dei agere & agi Rosam, ut Dei filiam, fuit constans opinio omnium, qui tunc Limæ perfectionis & sanctimoniæ fama celebres erant, eamque dono sapientiæ abundare, & scientia cœlitus infusa gubernari judicarunt. Difficillimas enim de arcano sanctissimæ Trinitatis mysterio, hypostatica verbi divini unione, sanctissimo altaris Sacramento, profundo prædestinationis abysso, natura gratiæ, ceterasque Theologicas quæstiones sacrarum literarum professoribus proponentibus tam sublimibus conceptibus, profundis sententiis, & verbis adeo propriis explicavit, ut laudarent omnes cum Servatore nostro Patrem omnipotentem Dominum cœli & terræ, quod tanta sapientibus ac prudentibus abscondita humillimis parvulis & indoctis revelaret.

Conversatio hujus Virginis magis in cœlis, quam in terris erat, & ubicumque sanctissimum nomen Jesu legendo occurrisset, tantisper immorabatur. Inde enim amoris ignes in corde sentiebat, & ipse Jesu sæpe amanti Rosæ in paginæ planitie apparuit, eique suavi obtutu abblandiebatur, ut verbum attenta lectione talis animæ dignissimum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei, sic etiam cum occuparetur in telæ consutura, pulvillo ipsius sæpe quietissime insidebat, & ad cor hujus dilectæ tacitis nutibus loquebatur, omnique gestu suum divinum protestabatur amorem. Frequentes, & fere quotidianæ erant hujus sanctæ animæ deliciæ istæ, & interdum moram faciente Sponso, querulis vocibus lamentabatur, donec veniret; ludens cum eo, cujus guttur suavissimum est, obtinuit vincens, curari a doloribus gutturis; perdens vero, iterum doloribus cum patientia donata fuit, quæ dum matri obediens narraret, visa est vultu angelico radiare. Illi jam languenti, & viribus deficienti, omnique humano auxilio destitutæ, occurrit idem ipse, qui est adjutor in opportunitatibus & tribulatione, & pretioso vulnerati lateris myrothecio, eam benigne applicatam ad hauriendam aquam salutis de fontibus Salvatoris illico ægram sanavit. Ab innocentibus virginibus visa est cum ipso Jesu sistere, quandoque etiam deambulare, & secretissima miscere colloquia tali cum majestate, ut quocumque pedem fixisset ille, pavimentum fulgenti lumine splenderet, utque talis Rosa nulli alteri plantæ adhæreret, quam ei, qui est *flos campi & lilium convallium*. Invenit basilicum seu ozymum, quem studiosius colebat reservatum, ut plantam regiam, ipsi Regi sæculorum

 siccum,

CONSTIT. XCII. A. D. 1671.

ſiccum & eradicatum, cui de hoc dolenti ipſe Chriſtus apparens dixit, *ſe ſuis manibus illum eradicaſſe & projeciſſe, ut ipſe ſolus eſſet ejus verus baſilicus.*

His oſtendit veriſſimum quod in ectaſi cuidam dixerat, ideſt ſe Roſam geſtare in intimo ſui divini cordis penetrali, cum ſciret viciſſim in ejus virgineo corculo ſe ſolum tranquilliſſime inhabitare.

Adſtitit etiam ſæpe Regina cœli a dexteris ejus, ita ut ab undecimo ætatis ſuæ anno uſque ad extremum non defuerit ei hoc pretioſum familiaritatis contubernium. In Roſariano enim ſacello ex ſedulo miniſterio mutua cum illa erat ei converſatio, eoque honore hanc ſuam famulam dignata eſt, ut cubiculariæ ipſi exhibuerit miniſteria excitando eam illis vocibus: *ſurge ad orationem filia, ſurge, nam inſtat hora.* Illique experrectæ ſe præbebat videndam facie ad faciem, majeſtate decoram, & gloriæ cœleſtis Paradiſum, exclamanti cum altera Eliſabeth: *unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?*

Miſit etiam Dominus Angelum ſuum, qui præcederet Roſam, & viſibiliter cuſtodiret ac introduceret eam in locum, quem illi paraverat. Fuit enim tam domeſtica fiducia hujus Virginis cum eo, ut habuerit illum non ſolum ut amiciſſimum, ſed etiam ut pararium aut veredarium, quotieſcumque hora conſueta Sponſus non apparebat. Deficiens quadam nocte viribus, miſit eum ad *Mariam de Uſatigui*, ut nuntiaret ei, ſe egere remedio, quod per famulum ſtatim illa tranſmiſit, vidente & agnoſcente hoc a filia per obedientiam matre.

Ab eodem etiam ab horti cellula, aperiente ipſo ſeras portarum, ac genitricis cubiculum incolumis ducta fuit. Aliis etiam Angelis mandavit Deus de illa. Adſtiterunt enim propter ejus preces cuidam religioſo in periculoſo itinere, donec iſte in deterius mutatus fuit, cui cum ipſa Virgine de hac derelictione conquerenti, revelavit myſterium & arcana ſingularia, ipſi ſoli, & Deo nota, & quæ a tanta diſtantia ſolum ipſo Domino, aut Angelo revelante, Virgini innotuiſſe potuerunt.

Sæpe etiam ex quo fuit ei a Chriſto Domino data in magiſtram ſancta Catharina Senenſis, hæc eam viſibiliter conveniebat in terris, præſertim cum ejus regulam ſcrutaretur, adeoque crebre & amica fuit inter has Virgines converſatio, ut ex vultu beatæ Catharinæ in faciem Roſæ tranſirent lumina, itaut & vivens & defuncta per oris lineamenta hæc eam omnino repreſentaret præter innumeras delicias, favores, officia & virtutes, quibus ab ea ornata & aucta fuit.

Probavit Pater cœleſtis inter has ſpiritualis vitæ delicias hanc ſuam electam, ut aurum in fornace igne tentationum, afflictionum, perſecutionum & plurium ac gravium infirmitatum. Luctabatur enim quam frequentiſſime cum Dæmonibus, multiſque illorum moleſtiis vexabatur, ex quibus ſub tetra ſpecie moloſſi unus eam orantem latratu horriſono terrere, & rabido morſu per ſolum illam raptans tentavit diſcerpere, donec clamavit ad Sponſum, *ne tradas beſtiis animas confitentes tibi*. Alias colaphum impegit, quandoque ſaxum rude in eam libravit, quod ſolotenus Roſam nec læſam, nec territam proſtravit. Libros ejus ſpirituales laceravit, ſub gigantea mole alias hanc inexpugnabilem feminam tremente cellula, corripuit, adeoque contorſit, ut ejus oſſa comminuta, & nervi diſtracti viderentur. Sed invictus Virginis animus inſaniam hujus furentis hoſtis pluribus horis fruſtra certantis repreſſit & irri-

& irrisit, donec victoriæ desperabundus evasit. Ad hortum oratura procedens, in Angelum lucis transformatum obvium blande habuit hunc Antagonistam, quæ a nobili fuga victoriam mendicavit, cum de castitate certamen esset, arreptaque ferrea catena acerbissimis ictibus nudas scapulas cruentavit, & inter sanguinis lacrymarumque rivos conquerenti de absentia Sponsi, conspicuus ille ostendit, quod nisi cum ea ipse fuisset, nunquam victoriam reportasset. A primordiis pueritiæ spirituum discretionem obtinuerat, agnoscebatque docente sua sancta magistra, quæ olim a Christo Domino hauserat, illustrationes a Deo esse, cum in anima sequitur humilitas, reverentiæ affectus, propriæ utilitatis cognitio, ordo, & unitas cordis, & gaudium in Deo. Ex adverso his oppositas impressiones, timorem, divisi cordis confusionem, sui complacentiam & inquietudinem redolere.

In ærumnis ab infantia fuit. Nono enim mense ætatis suæ lacte destituta est, cujus defectus nonnisi cibo valde inepto compensari potuit. Vix fari cœperat, cum propter nominis controversiam virgis cædebatur ab avia, *Rosa* a matre, si *Elisabeth* vocata, respondisset. Virginis hujus virtutes & mortificationes matri aliud intendenti mera delicta videbantur, quibus castigandis non solum durissima verba, sed persæpe etiam sæva verbera adhibebat, præsertim cum rutilam cæsariem deprehensa fuit sibi præcidisse. Nec mitiores in eam fuere domestici, quando ejus virtutes, & cœlestia dona innotuerunt, vano timore correpti, ne cum magno familiæ dedecore, ut de imposturis suspecta, ad sacræ Inquisitionis tribunal raperetur. Accessit in cumulum tribulationis quorumdam Confessariorum incredula vel oscitantia, vel ruditas, vel inscitia, dum ei conabantur suadere, non esse rectum, aut tutum illud virtutis iter, vertigine, vel alia noxia intemperie laborare: illusiones esse, quas ipsa illustrationes divinas credebat. Suadenti feminæ precibus impetrare a sua seraphica magistra eripi ab his ærumnis constanter renuit. Pudebat enim Crucifixi Sponsam vel per momentum extra Cruces reperiri, a quibus numquam vacavit. Feriatam enim ab exteriori, gravior occupabat interior, & cessanti foris persecutioni, ægritudinum agmina succedebant.

In Canta ex dira nervorum attractione per triennium lecto decubuit cruciatu intenso, gemitu nullo. Sæpe acutissima eam angina, asthma, permolesta ischias, pleuritis, stomachi, pericardii & intestinorum dolores sine numero, & sine lege frequentes convulsiones invadebant, medicis ut plurimum stupentibus, quomodo in tam arido corpusculo vires essent ad perferenda, quæ prosternendo cuilibet robustissimo satis fuissent. Rosa optime penetrante non tam ab intemperie, quam a benevola sponsi manu hæc sibi agonalia festa provenire, febres ephemeras, ac etiam reliquas contumaciores ipsa consuetudine, jam pene in jocum verterat. Chiragræ, podagræ & arthritidis morbi frequenter eam occupabant, quos cum invicta constantia toleravit. Hæc omnia inter illustriores a Deo sibi collatos favores recensebat. In sublimi enim, & singulari mentis elevatione viderat Christum Dominum dividentem lance ex Cruce facta gratias & dona ad mensuram pœnarum, audivitque dicentem; sine pondere afflictionum ad gratiæ cumulos non perveniri, unicam veram scalam Paradisi esse Crucem, nec præter eam superesse aliam, per quam in cœlum ascendatur.

Languens & æstuans divini amoris ignibus, in nocte orans visa fuit ab alia virgine magnis luminibus coruscans veluti igniculis per os

oculos-

oculosque evibratis, protestantibus quantum incendium intus ferveret, quod alias pluries ea inscia coram diversis contigisse innotuit. Ceteras virtutes studiose celavit. Magnam caritatis flammam tegere non valuit. Ejus enim colloquia, salutationes, & responsa continuo divini amoris memoria condiebantur. Singularum creaturarum ordines ad amorem dulcissimi Creatoris gradatim compellabat tum ignitis vocibus, tum pulsu citharæ, quem non didicerat, ut omni ritu & gestu, actuque suo se dilecto ostenderet amantem.

Eadem vi caritatis acta, ut vera Sponsa Domini, zelavit honorem. Irreverentiam enim Ecclesiarum detestabatur, loquentes ibi otiose humiliter & suaviter corripiebat. Domestici cavebant, ne coram ea ineptias proferrent; Verebantur enim Rosæ adhuc parvulæ censorium supercilium. Immenso gaudio perfundebatur, quoties Dei honorem insigni aliquo successu promoveri videbat, ut accidit in insigni peccatricis conversione.

Eodem zelo precibus transtulit in se confessarii sui febrim, ut concionatoris officio in percelebri solemnitate fungeretur: quo convalescente, torquebat Rosam febris non sua, nec tamen a sermone abesse voluit. Febrilem enim ardorem facile superabat exæstuans divinæ gloriæ desiderio.

Obsignavit hanc Deo amoris sollicitudinem dilectæ suæ ipse Christus Dominus hoc insigni miraculo. Anno salutis millesimo sexcentesimo decimo septimo, decimo septimo Kalendas Maji Rosa vehementius amoris divini stimulis excitata fonore & fervidissime venerabilem Salvatoris effigiem in oratorio Quæstoris alloquebatur, eum statim totum vultum imaginis guttulæ sudoris operuerunt. Convocati testes, arte & doctrina celebres, qui; omnibus serio expensis, censuere supernaturale esse quod in Icone gerebatur. Quatuor horis duravit pium ostentum, eunctis adstantibus, admiratione, & sancto horrore stupentibus, ejus sudoris vestigia per aliquot lustra conspicua mansere. Hoc esse tantummodo indicium, quam enixe cupiat Servator noster ab omnibus redamari, testata est ipsa virgo Rosa divini conscia secreti, timentibus domesticis, ne impendentis divinæ ultionis præsagium esset. Sudor brachio ipsius Rosæ ex confessarii imperio applicitus, quod antea solo collisum sic graviter læsum erat, ut chirurgorum judicio ex ea parte virgo manca mansura esset, sanum & flexibile reddidit stupente chirurgo, qui pridie censuerat, omnem curam esse vanam, cum brachium omnino intractabile appareret.

Nondum pueriles annos excesserat, quando eam confessarii spiritu jam grandem agnoscentes, manducandi frequenter panem illum Angelorum, qui præbet delicias regibus, facultatem dedere.

Erat in ejus spiritu lympida munditics, nitida innocentiæ puritas ac robustus devotionis calor: & nihilominus cum tanto immaculatæ conscientiæ candore, quoties ad divinum epulum accedendum erat, toties summe gemebunda, & lacrymis perfusa, sacramentalem Confessionem præmittebat. Hanc sacerdotes communicaturi totam flammeam & vultum ipsius cœlesti & vehementi splendore radiantem conspexere. Quin & Presbytero sacram Communionem porrecturo videbatur flammescens aperiri clibanus, dum removebat pallium, ut divinam reciperet hostiam: & vim erumpentis repentini ardoris adeo sentiebat pavidus sacerdos, ut sæpe manum retraxerit præ subito metu adustionis. Idem experiebatur in se minister sacrificantis, dum ex more scyphum ablu-

ablutionis ei porrigebat, ut hoc etiam testimonio probaretur, hoc esse sacramentum illud, quo Deus ipse venit ignem mittere in terram. Jussa aperuit, ex virginea Dei carne diffundi in anima sua mirabilem cœlestis agni mansuetudinem, vegetari spiritum suum insitato robore, instaurari ac refici vires per quamdam veluti novam transformationem sui spiritus in hoc divinum alimentum. Interea clarere in corde suo placidam altioris sphœræ serenitatem, pacem, temperiem, gaudii immensitatem ex arcta unione cum Sponso divino, fruitionis altitudinem & spiritualem saporem veræ dulcedinis, quæ nulla prorsus comparatione explicabilia erant. Sacra Communione refecta, jejuna usque ad vesperam, subinde usque in sequentem diem, quandoque per octavam integram ea sola contenta, ab omni alio cibo abstinuit. Veneratio ejus erga venerabile mysterium fuit adeo eximia, ut semel se accinxerit videntibus aliis ab subeundum martyrium, quod imminere rumor sparserat; desuitque tunc hostiæ martyrium, non hostia martyrio. Summo etiam cultu prosequebatur sanctæ Crucis signum ubicumque illud reperisset, ita ut ex plantis horti impressionem illius formaret, quarum una proreginæ dono data paulo post exaruit, Rosæ reddita post quatuor dies revixit, quod totum virtuti ejusdem sanctæ Crucis virgo tribuit. Erga imagines beatissimæ Virginis miro fervebat devotionis affectu, & maxime circa eam, quæ augustissimam Rosarii Reginam exprimit, in cujus sacello habitum sui ordinis suscipiens ploranti matri visa fuit blando favore Deiparæ in cœlum elevari. Fama erat Limæ Rosam impetrare quæcumque apud sanctam illam imaginem postularet. Tranquillitatem cujusdam communitatis, in qua invaluerat discordia, non sine lacrymis, & aliorum admiratione biduo orans obtinuit, plurimisque aliis ibi dignata fuit favoribus, alloquiis & visionibus, quæ in examine obtemperans aperuit.

Electa, ut aptior & dignor ad exornandum simulacrum sanctæ Catharinæ Senensis, quam, ut matrem ex intimis præcordiis colebat, a lacrymis, osculis & alloquiis in eo obsequio non cessabat, & miro modo tantæ pecuniæ literulas accepit, quantum ipsa pro veste ejus paulo ante optarat; prædixit præsignatam virgulam nulla fœcunditatis nota tunc turgidam in honorem sanctissimæ Trinitatis tres flores gariophylorum producturam, quibus sacram imaginem condecoraret eo tempore, quo tali florum genere regio illa careret: quod frustra diu quæsitum fuerat, & oraculo respondit eventus, mirantibus, & diffidentiæ veniam petentibus sodalibus.

Adjuverat eam in hoc munere Euphemia de Pareja, cujus famula Francisca sui infantis nutricia graviter ægrotabat. Rosa apud sanctam Catharinam precante, ista depulso periculo, ita convaluit, ut postridie permissa fuerit a medico nutricias infanti, quas prohibita fuerat, præbere mammillas.

Franciscæ quoque de Montoya ab eadem Sancta obtinuit, ut sulphuratum missilium ignium crepitaculum, quod vultum petiit, & supercilium impegit, non noceret, esto adhuc resiliens valido ictu alterius feminæ vestes læserit & succenderit.

Eadem Rosa anno Domini millesimo sexcentesimo decimo sexto mense Augusti, cui post processionem delata fuerat imago devestienda, horrenda arthriti de in dextera laborabat, quæ immani cruciatu invaserat articulos omnes, ita ut prædicto operi prorsus redderetur inutilis. Procubuit ante imaginem sanctæ Catharinæ in die beati Laurentii,

& brevi

CONSTIT. XCII. A. D. 1671.

& brevi oratione peracta, accinxit se operi, mirantibus adstantibus, Quæstore ipso vidente, manum paulo ante acerbissime læsam, tunc validam & agilem; medico ipso testante evidentiam miraculi, cui beneficio accessit, quod exinde nunquam in posterum arthritis, manum illam invasit, quod mirum non fuit ipsi Rosæ, quæ ab ipsa, ceu a matre, pene quotidiana ex mutuis consortiis solatia hauriebat.

Zelata est etiam pro domo Dei salutem animarum. Ipsa enim caritate, qua verum Christi Domini Corpus, mysticum quoque diligebat. Quoties ad interiora meridionalis Americæ montana oculos vertebat, cruciabatur medullitus, illacrymans perditioni tot barbarorum, qui inaccessas illas post nivosa juga valles populabant. Sic etiam jugis planctus materies ei erant quæcumque aliæ infidelium nationes. Viros religiosos, & præsertim sui ordinis Fratres, quotquot aptos noverat, ad gentilium conversionem hortabatur, & per Jesu Christi viscera obsecrabat, ut huic se operi accingerent. Unius ex suis Confessariis, missioni deputati, animum ad maturandum opus inflammare studuit, & cum eo convenit, ut medietas omnium fructuum, quos interea ipsa ex toto bonorum operum exercitio se cumulaturam sperabat, ei adscriberetur; & vicissim ille transcriberet ipsi Virgini fructus conversionis animarum, quas sua prædicatione in viam salutis erat attracturus. Hoc animo excogitavit, inopem parvulum, quasi in filium assumere, quem Christianæ vitæ rudimentis imbueret, & piis eleemosynis ad virtutes, & sacrarum literarum plenam instructionem se evecturam sperabat eo pacto, ut is idoneus factus, & sacerdotio insignitus ad Apostolicas missiones pro conversione gentium properaret, ut quod per se præstare non poterat, per alium suppleret: quod nisi immatura morte præventa fuisset, perfecisset. Pro periclitantibus Christianis, qui per culpam lethalem a statu divinæ amicitiæ infeliciter exciderant, nulli lacrymarum sumptui parcebat, & quotidie cruenta sibi vulnera infligebat, ut his vere miseris vitæ seria emendatio a Deo concederetur. Concionatores ipsos vehementer hortabatur, ut flagitiosas animas ab ima vitiorum charybdi, ne perirent, ad securum pœnitentiæ littus toto conatu evocarent.

Divinitus edocta de pravo desiderio, quo *Vincentius* nomine, juvenis nobili genere oriundus ad eam ficte accesserat, tanta cum caritate corripuit, ut fateretur, se agnoscere Christum Dominum in ea loquentem, & totus mutatus ab illo, qui paulo ante fuerat, fretus & adjutus precibus ejusdem Virginis, juvenilibus desideriis & culpis valefaciens, sanctam vivendi rationem instituit. Prodigium erat, si qua persona cuicumque vitio obnoxia Rosam accederet, & melior ab ea non recederet. Mariam de Mesta impatienti ac præcipitis iracundiæ pugnaci morbo jam sibimet ipsi ex diuturna consuetudine factam intolerabilem, patientiæ ac mansuetudinis aphorismis sic instruxit, ut ab illa die emendatior ac mitior visa fuerit: eoque brevi in patientiæ gymnasio profecit, ut jam a Deo ultro plus adversitatis postularet. Religiosum cum mortis angoribus trepide ac periculose luctantem, urentibus scrupulis vexatum, sic juvit promissione suarum precum & exhortatione ac sponsione participationis suarum satisfactionum, ut confestim pavor lætæ spei locum cesserit, qui postea salutaribus sacramentis munitus, ingenti salutis fiducia placidum & serenum spiritum reddidit Creatori, de cujus anima postea Rosa nunciavit, cum ea feliciter ac benigne agi, jamque illam regioni lucis adscriptam, frui perenni Sanctorum felicitatis refrigerio.

Ordi-

Ordinavit etiam Dominus in ea caritatem in corporalibus misericordiæ operibus, quibus proximos juvare studuit. Nam inops hæc virgo sibimet necessaria subtrahens, dispersit, deditque pauperibus. Ut enim occultæ cujusdam necessitati subveniret, octo dierum alimonia, solo pane & aqua contenta, sibi pro egentis subsidio detraxit. Telam, a genitoribus ejus pro suis ægritudinum necessitatibus concessam, illico inter duas Virgines, virtute & genere nobiles, extreme tamen egenas, divisit. Dono dedit Montojæ pauperrimæ Virgini alterum ex palliis, quæ mater possidebat, prædicens ei, fore, ut aliis novis loco veteris provideretur: quod mirabiliter re ipsa, ut virgo prænunciaverat, evenit. Divinitus admonita Johannam de Bobadilia virginem nobilem, sed derelictam esse, quam vorax sub mammilla cancer torquebat, & tardante remedio, exitium minabatur, domi recepit: menstruum locationis sumptum & medicaminum pretium ei providit, & post aliquot menses integre sanam restituit, hoc unum dolentem, quod non posset (obstante fide data) Virginis beneficium in grati animi obsequium, ea vivente, palam referre. Nihil ei jucundius contingere poterat, quam si a matre permitteretur cujusque conditionis egenas, aut morbis afflictas mulieres paternis inferre ædibus, ut illic suis manibus assidue ministraret languentibus; quibus de quacumque re ad victum & medicamen necessaria exacte providere studuit. Inter has mendicas nulla erat tam intolerabilis aspectu, aut fætore horribilis, quam Rosa dedignari, vel præ nausea aversari posset: omnibus medelam, famulatum & curam afferebat.

Indignanti matri propter graveolentiam mucidi putoris a Rosa in vestibus ex cura infirmæ contractam, respondit: *Christi bonus odor sumus*, dum ministramus infirmis. Caritas delicata non est, nec proximum fastidit. Invicto animo vix imitabile suæ sanctæ magistræ exemplum secuta, in ædibus Isabellæ de Mexia nauseam stomachi heroico actu superavit. Noverat Johannes de Tineo Almanza, Quæstorem Gundisalvum Rosæ precibus & meritis pluries a gravissimis infirmitatibus liberatum: ille ex cruciatibus stomachi periculose ægrotans obtinuit, ut virgo ista post auditum sacrum decenter associata eum inviseret; in cujus vultu majestatem Angelicam intuitus, spem indubiam incolumitatis concepit, statimque omnis dolor evanuit, somnus, qui omnino diffugerat, blande corripuit infirmum (citissime illa abscessit, ut plausum effugeret) iste vero sanus evigilavit. Usque ad bruta animalia clemens Rosæ suavitas & tenera se ostendebat & juvabat commiseratio.

Tota hujus sanctæ Virginis spes in Deo erat, qui prævenerat eam in benedictionibus dulcedinis. Hinc frequentissime decantabat Davidicum illud sanctis Patribus & eremicolis familiare: *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina*. Quæsivit sæpe horum verborum emphasim. Sed nullus unquam profundiorem ei attulit explicationem ea, quam ipsa intime Deo docente in animo conceperat. Interrogata, cur unice hunc præ ceteris versiculis amaret? Respondit, totum solatium seraphicæ suæ matris eo contineri, & singulas illius syllabas arcano quodam familiaris in Deo confidentiæ succo turgere, nec suo palato aliud his propriis verbis sapidius posse occurrere. Cœlitus data fuit ei fiduciæ certitudo assequendi tria maxima munera, æternam videlicet beatitudinem, perpetuam & nunquam interpolandam Dei amicitiam, & infallibilem ex alto succursum in quibusvis tum necessita-

tibus, tum repentinis periculis. Angebatur quondam innocens hæc anima recogitans pavida formidine prædestinationis suæ arcanum omni animæ tremendum; quam Dominus ad adjuvandum festinans, sic eft affatus: *Filia, ego neminem condemno, nisi volentem condemnari. Ex nunc tranquillo animo esto.* Alias in mentis excessu adfuit illi parvulus Jesus purissimæ Genitricis ulnis innixus, eamque blande alloquens, jussit sparsas per solum Rosas in sinuosæ vestis laciniam colligere. Inde divinus infans una petita & gratanter accepta subintulit: *hæc Rosa tu es, hujus providam curam mihi assumo, tu de reliquis, ut magis volueris, disponito.* His agnovit, se teneri in dextera Salvatoris, velut Rosam electam, quam non raperet quisquam de manu ejus. De reliquis rosis subitaneum sertum contexens, tremendo Jesu capiti imposuit, qui Virgini arridens, eamque benedicens, disparuit. Ceteris rosis indicari novit pias Virgines Limenses, quas post suum obitum in novellum sanctæ Catharinæ Senensis monasterium colligi oportebat. Eadem vi confidentiæ in Deum a prima ætate Rosa adversus quascumque mortalis vitæ difficultates, & incommoda stetit impavida. Cujus fidem, constantiam, & nutus visi sunt immanes Tauri, in extremam aliunde rabiem exstimulati revereri. Nam adstupentibus quotquot spectabant, ad invictæ Virginis conspectum, eminus, & repente innocentibus parcere didicerunt. Cum enim esset duodecim annorum, in quodam Pago obvium habuit ferocissimum Taurum, illuc ruentem, & fugam meditantibus his, qui cum ea erant, fixis in cœlum oculis, dehortata est a fuga. Necdum verba finierat, cum ferox animal terrifico mugitu in alias procul personas impetum fecit, Rosa cum suo comitatu incolumi manente, quæ adhuc post periculum paventes socias monuit, sperandum firmius in adjutorium Altissimi, & tunc maxime cum periculi vicinitas omne effugium interclusit.

Sic & alia vice Taurus alter recta via in quadrigam, qua Rosa vehebatur cum matre & aliis, cursum libravit. Ceteris fugam tentantibus sola Rosa oculis in cœlum jactis prædixit Taurum usque ad rhedam non procursurum. Dixerat, & respondit eventus, stupentibus universis non tam reditum Tauri, quam Virginis animum omni metu superiorem, quæ in summis periculis cœlesti Sponso occinebat: *non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Minor non erat ejus fiducia in sperandis a divina providentia necessariis vitæ subsidiis. Defecerat olim in paternis ædibus numerosæ familiæ panis, nec erat unde emerent. Illa brevi labiorum motu rem Deo commendavit, mox magna fide arcam panariam aperiens plenam azymis ac saporosis panibus reperit, testante illorum figura peregrina, a domestico panificio non prodiisse. Pernecessarium in regionibus illis condimentum mel domi omnino defuerat. Descendit ipsa in nomine Domini secretissimo instinctu jussa optime sperare de Dei protectione, cupam invenit usque ad summitatem recenti melle plenam, tota domo stupente, eoque magis, quod novo prodigio mel cœlitus datum integris octo mensibus toti familiæ sat fuit in usum quotidianum. Infirmabatur Gaspar Flores, Virginis genitor, mœrens etiam ob quinquaginta librarum debitum, cui præ inopia solvendo non erat. Tristabatur perplexa mater, importunitate creditoris, augente angustias. Filia templum adit, preces fundit, eique domum redeunti, vir plane ignotus occurrit, simulque involutum strophiolo argentum porrigit, & jubens præsentem parentum necessitatem illo sublevari, statim abscessit. Rosa involucrum explicante ipsa librarum quinquagena, cujus pater debitor erat, apparuit, quod Gaspari narratum in-

insomnium videbatur, donec filia nummos, uti acceperat, adnumeravit. Hæc sunt subsidia, quæ Sponsus divinus parentibus ipsius sub specie cœlestis lapicidæ huic novellæ Sponsæ inter paraphernalia & antidora se ministraturum olim pollicitus erat. CONSTIT. XCII. A. D. 1671.

Testimonio etiam Domini nostri Jesu Christi, quod est spiritus prophetiæ, fuit illustris. Nam integro fere decennio ante fundationem, quandoque per symbola & figuras alias manifeste, & in proprio typo non solum fuit illi divinitus demonstratum monasterium, quod Limæ sub sanctæ Catharinæ Senensis patrocinio, numeroso sacrarum Virginum collegio dicandum erat, sed etiam primam ibi futuram monialium præfectam, & cœnobii fundatricem Luciam Guerram a Daga ex vultu agnovit, spiritu suo imbuit, & osculo pacis quodammodo initiavit, dicens ei: *Euge mater, ingenti suo te operi Deus reservavit*. Ex Virginis spiritu hausit felix matrona divinos sensus, & religiosi status cœleste desiderium; sed obstabant superstes maritus, & numerosa familia, quos omnes paulo post Deus ab hac luce evocavit, necnon innumera & potentissima alia fundationis post obitum Virginis impedimenta sustulit, durosque animos olim aversos ad favorem pii operis flexit. Quibus sublatis Lucia amplissimis suis facultatibus cœnobium fundavit, dotavit, ac denique se ipsam dedit, cum sacro velo nomen *sororis Luciæ de sanctissima Trinitate assumens*, ac prima novelli sui asceterii præfecturam gessit, religionis spiritum mirifice propagavit, demumque sanctimoniæ fama celebris obdormivit in Domino. Ipsa Maria Oliva Rosæ genitrix, quæ antea hoc ei vaticinanti filiæ acerbe contradixerat, anno Domini millesimo sexcentesimo vicesimo nono post mariti obitum in novello monasterio sexagenaria devote filiabus sancti Patris Dominici aggregata fuit, & assumpto cum habitu nomine Mariæ de sancta Maria, emissa postmodum professione, optimo fine quievit: in quo etiam promissa Sponsi providentia affulsit. Carente enim illa dote necessaria, unus ex reservatis ab ipsa fundatrice gratuitæ receptioni pro dignioribus, sed egenis personis, locus ei obtigit, ceteraque omnia ad amussim etiam minima, ut sancta Virgo prædixerat, evenerunt. Johannes Villalobos Societatis Jesu, jurata fide testatus est, suo se experimento spiritum propheticum in ea deprehendisse, aperiente illi Virgine arcanum negocium, quod aliter, ac cœlitus, innotuisse non poterat. Simillimum quid cum eadem Antonius a Vega ejusdem Societatis vir integerrimus sibi evenisse narravit. Secretam cogitationem, quam nulli unquam aperuerat, neque aperitura erat filia Quæstoris, accurate ei Rosa recitavit, & saluberrima documenta præscripsit. Mariæ de Messa uxori Medori Angelini pictoris consilium, quod occultissime inierant de profectione in Hispanias, commemoravit, summam pecuniariam, quam pro arbitratu constituerant, dixit ambobus sat esse, mirante muliere, & attestante plus a Virgine dici non potuisse, si in amborum colloquio tertia stetisset. Johanni Miguel ordinis sancti Dominici Limam revertenti seriatim & exacte narravit ea, quæ illi in aliena regione acciderant, quæque humanitus non potuerant in Rosæ notitiam pervenisse; quin & abditissimas suæmet conscientiæ latebras Virgini patuisse evidenter agnovit. Plurima alia hujusmodi, ac etiam mirabiliora commemorantur hujus Sponsæ Christi vaticinia, quibus omnibus correspondebat eventus, comprobans in ejus anima plenitudinem gratiæ, non tantum sanctificantis, sed etiam gratis datæ Spiritum sanctum inhabitare.

CONSTIT. XCII.
A. D. 1671.

Præſcia diei, quo ad Sponſi thalamum properare ex hac lacrymarum valle debebat (quod matre celare nequivit) quotannis feſtum beati Bartholomæi Apoſtoli, quod erat terminus, ſuæ mortali peregrinationi conſtitutus, ſingulari devotionis ſtudio colebat, & in ejus pervigilio ſuo non contenta jejunio, aliquos innocentes pueros, ut ſecum jejunarent, adduxit, in eo etiam poſt ejus obitum perſeverantes, eo quod ſic a Roſa inſtituti fuiſſent. Triennio ante deceſſum gravi morbo decubuit, ut jam extremo funeri matura, & deficiens cum a confeſſario, ac domeſticis collacrymaretur, quem intrepida juſſit intempeſtivum abigere mœrorem, & certum eſſe tunc ſe non morituram: quo dicto innotuit ſui tranſitus terminum divina revelatione compertum habuiſſe. Quin & quatuor ante obitum menſibus Quæſtoris Gundiſalvi uxori atrociſſimos ſuæ extremæ infirmitatis dolores futuros narravit, & immaniſſimam ei, atque ardentiſſimam ſitim inſtare prænunciavit. Locum etiam integro anno antea eidem matronæ prædixerat in eodem cubiculo, in quo mortalitatis debitum perſolvit, rogans, ne alteri feminæ præter ipſam, & genitricem ſuam, corpuſculum veſtiendum, & feretro imponendum committeret. Triduo ante ſuum extremum decubitum cellam hortenſem adiit, & cygni more exorſa modulos decantando commendabat Deo & ſancto Dominico genitricem ſuam, quam deſolatam relinquebat. Credidit mater audiens, luſus eſſe metricos, ſed Kalendis Auguſti prophetice ea prænunciata fuiſſe cognovit. Sub noctis enim medium audita fuit miſere ejulare, & corpuſculo ſuper ſolum extenſa, rigentibus membris inventa. Rogata, velletne medicum? Reſpondit, cœleſtem. Frigidus ſtagnabat ſudor, & in omnibus membris & juncturis arctabatur doloribus & pœnis, quas olim ei Sponſus in viſione oſtenderat futuras multo graviores ceteris omnibus, quas in vita pertulerat. Juſſa ſemel a confeſſario, alias a matre, enarrare ſuos dolores, licet omnium fere ægritudinum vim, & nomina per experientiam cognoviſſet, hunc tamen non niſi per ſimilitudines candentis ferri tempora adigentis & pugionis igniti a ſiniſtro latere meditullium corporis tranſverberantis, in quo Crucifixi erat expreſſio, & candentis galeæ caput includentis, explicare non potuit, ſimulque ſingulos nervos, juncturas, oſſa ac medullas contundi, reſolvi & aruiſſe dixit, ac denique non habere nomen, nec noſſe tormentum, cui eos compararet. Aperuit inſuper confeſſario, fruſtra medicos in exploranda hujus infirmitatis ſpecie laborare, quam nec pulſus, nec aliud extrinſecum ſignum indicaret: ac proinde non alia, quam immedicabilis Jobi patientia ſibi opus eſſe, ut quoquo modo ſingulos Crucifixi Sponſi ſui dolores membratim experiretur. Rogavit & obtinuit per aliquot dies ſolitariam quietem & ſilentium, ut intimius ſuos dolores intingeret extremis cruciatibus Crucifixi amoris, cui ſe membratim confixam in Cruce ſentiebat.

Augebantur in dies hujuſmodi ſupplicia, ut mirum fuerit, eam tam potenti, varia & cumulata dolorum caterva, citius deficiendo, non ſuccubuiſſe, ſed paulatim reſolvebatur, quia glorioſiſſimum martyrii genus ei erat lente, & articulatim mori. Certa enim erat has pœnas æternæ gloriæ pondus in ipſa operaturas. Sciebat hunc eſſe calicem, quem Sponſus biberat, & ipſi, ut Sponſæ, miſcuerat, ac tandiu ante ei præmonſtraverat; unde conſtanter & jucunde, velut e manu Chriſti Domini porrectum totum ebibit, blanda, & devotiſſima cum dilecto miſcebat colloquia, tantumque cum domeſticis Dominum rogavit, ne dolores ei mentis liberum uſum impedirent. Sitis immaniſſima

præ

præ ceteris, ut prædixerat, intime eam cruciabat, nec aquæ potus sitienti dabatur, obsistente medicorum præscripto, unde pœnaliter arescenti Virgini hoc etiam cum moriente Sponso tolerandum superfuit clamare: *Sitio*. Propius accedente acceptabili tempore, quo Rosa ista e terris in Sponsi Paradisum, depositis mortalitatis exuviis, transferenda erat, pluries advocatis confessariis tenerrimam conscientiam, & semel generaliter de tota vita exomologesi purgavit, semper cum pœnitudinis singultibus, & lacrymis, ita ut compuncti audientes mirarentur in sævissimis cruciatibus non flentem, levissimas imperfectiones, tam alte deflere. Triduo ante felicem obitum supplex voce flebili divinum viaticum & extremam petiit unctionem, delato Eucharistico epulo, instar coruscantis auroræ gratiose, rubuit, & gaudio suo impar in altissimam ecstasim rapta fuit. Sacerdoti tamen sanctissimam hostiam porrigenti, & de more roganti, apte & expedite respondit. Sic & alacri omnium sensuum officio oleum infirmorum moribunda accepit, quo potius ad triumphum, quam ad agonem sensit se animari. Sæpius etiam coram adstantibus voce clara, orthodoxæ fidei professionem emisit, protestans, se, ut vixerat, ita mori sanctæ Romanæ & universalis Ecclesiæ filiam, sacrum sui ordinis scapulare, ut proprium suæ teligiosæ militiæ vexillum, quo Deipara Virgo nascentem Prædicatorum ordinem insigniverat, expansum super stragulas videre voluit. Invisente eam priore Dominicani cœnobii Limæ, cui per quinquennium alias suæ conscientiæ latebras aperuerat, humilibus precibus ab eo obtinuit prælegi formulam exactam, qua jam moriens veniam a Deo exoraret pro omnibus, qui eam quocumque modo in suæ vitæ decursu læsissent, cujus verba voce sequebatur Virgo, Crucifixum stringens: nec satiari poterat illis tenerrimis vocibus: *Pater, ignosce illis*. Anima vere tanto Sponso digna, quæ ut esset plene cruciformis, divinum in Cruce Agnum, pro suis adversariis extreme deprecantem est imitata. A domesticis Quæstoris Gundisalvi voce humili & flebili oravit condonari, si qua in re ulli unquam nocuerat, lacrymantibus omnibus, qui ejus innocentiam & puritatem tot experimentis comprobaverant. Oblato chirographo, in quo sepulcrum apud suos religiosos postulabat, cum omni animi submissione, nihil minus, quam de sui corporis cura, sollicita subscripsit. Sponsum rogabat, ne cessaret eam exquisitis ardoribus excoquere, donec ei maturesceret in fructum qui ejus mensæ inferri mereretur. Sub hoc fine vitæ crebriora fuere raptuum dulcissima intervalla, in quibus excelsa & jucunda de suavitate Dei, ac læta de regione æternitatis libamina prægustasse innotuit. Ultimam utriusque parentis benedictionem summe exoptavit, eamque venerabunda recepit. Sic & a Quæstore Gundisalvo, ejusque uxore, quos veluti parentes coluerat, benedici voluit. Duobus germanis suis fratribus inter salutaria monimenta parentum curam & reverentiam serio commendavit, ac si diceret, unicuique illorum ad imitationem Crucifixi Sponsi: *Ecce Mater tua*. Ambas etiam Quæstoris filias ob innocentiam ab ea summe dilectas, ad virtutes, & præcipue genitorum amorem & venerationem hortata est: reliquosque domesticos officii ac Christianæ pietatis admonuit, ut jam non femina, sed Apostolus prædicare videretur. A Johanne de Lorenzana postremo ejus confessario paranti se in nocte pervigilii sancti Bartholomæi ad matutinarum officium accedere, sciens sibi non superesse amplius, nisi quatuor horas, supremam benedictionem ex corde afflagitavit, monens ea ipsa nocte, ineunte festi-

CONSTIT. XCII. A.D. 1671.

festivitate se ad festa sempiterna abituram. Quod vultu adeo sereno & læto protulit, ut appareret vere Virgo prudens & sapiens in vestibulo Paradisi expectans cum lampade, ut dilectus ejus Sponsus veniret, cujus in intimo cordis vocantis vocem sentiens, candelam benedictam nutu petens Crucis signaculo frontem, os & pectus communivit, mandavitque subtrahi cervical, ut capite ad nudum lignum inclinato sentiret in Cruce se mori. Spiritum denique suum in manus patris commendans fixis in cœlum oculis, ut cum Sponso intraret, pronuncians, *Jesus*, *Jesus*, *Jesus mecum sit*; quietissime expiravit. Hæc verba quemadmodum illi fuerant in infantia prima orandi formula, ita his ipsis in suæ infantilis innocentiæ testimonium decedens Limæ ad limen supremæ patriæ evolavit, anno ætatis suæ tricesimo secundo, mense quinto vix inchoato.

Virgineum Rosæ cadaver cum spirare desiisset adhuc ex vivido vultus colore, & rubentibus labiis respirans credebatur, donec innotuit haud amplius inesse halitum ex applicito ori ejus speculo, cujus sicut fuit hic ultimus usus, sic etiam fuit primus. Repentino prodigio omnes invasit arcanus lætitiæ sensus, ut mater ipsa aptans cadaver (sicut eis vivens filia obtinuerat) & tota domus hilariter non exequiis defunctæ, sed nuptiali gaudio interesse viderentur. Sic etiam extraneis quotquot aderant, intime & secrete inhæsit jucunditatis stimulus. Mendicorum tantummodo Limensium ejulatibus & lacrymis publicis fuit celebratum hoc funus, conquerente egenorum turba, veram pauperum nutricem & matrem fato acerbissimo immature sibi ereptam fuisse.

Visa fuit Angelorum numerosa caterva & ante obitum circa grabatum decumbentis, & post circa feretrum defunctæ alternante concentu festive tripudiare. Quæstoris conjux aulam, in qua exposuerant Virginis corpus, undique luminoso illapsu cœlestis gloriæ totam micare conspexit. Sic implebatur quod Christus Dominus futurum esse revelaverat, mortem scilicet Rosæ, & sepulturam ejus fore gloriosam. Devotæ feminæ sacrorum hymnorum sonoro cantu per vices exultabant, protestantes non næniis, sed festis ibi locum esse debere. Mirabili consensu, & occulto instinctu maxima hominum multitudo clarescente jam die implevit Quæstoris palatium. Confessarii coram feretro in voces jubilationis, & benedictionem eruperunt, testantes cunctis baptismalem gratiam nulla unquam lethali noxa ab ea interpunctam fuisse, sed immaculatam totius vitæ innocentiam, & virginei candoris infantilem puritatem cœlo ad sequendum Agnum quocumque ierit, intulisse.

Ad exequias vulgata jam fama, innumerabilis utriusque conditionis hominum multitudo convenit, & pia variorum titulorum sodalitia sponte, & religiosorum mendicantium ordines processere. Mox & metropolitanum collegium, & regius Senatus cum omnibus magistratibus. Sacrum corpus deferebant insueto honore Ecclesiæ cathedralis canonici, succedentibus in hoc munere certatim religionum superioribus. Ad Ecclesiæ valvas visus est vultus Virginis vividiori & venustiori colore rutilare, ut etiam de hac dictum a Christo Domino appareret: *non est mortua puella, sed dormit*. Visum est etiam a plurimis simulacrum Deiparæ sanctissimi Rosarii, luce & splendoribus coruscare. Quo evulgato plures alii advenientes, prodigium non solum eminus, sed etiam cominus sic se habere conspexerunt. Certatim omnis ætas

& sexus

& sexus coronis, rosariis, & quaecumque re devota, quæ ad manus fuisset, sacrum corpus contingere suppliciter conabatur. Resonabat undequaque Ecclesia valde ampla, continuis vocibus Rosam beatam & sanctam acclamantibus, donec sepulturæ pretiosum depositum mandatum fuit. Post quæ crescente devota populi frequentia ob eximia curationum beneficia, quæ in dies crebrescebant, solemniores exequiæ celebratæ fuerunt, quibus prorex & major multitudo interfuit festivis applausibus, & publicæ lætitiæ signis, tam incolis, quam advenis novæ cœlorum civi acclamantibus. Paulo post instantissime postulantibus primatibus civitatis, sacrum illud corpus in locum celebriorem transferendum, decreto Archiepiscopi Limensis extractum, inventum fuit corruptioni non subjacuisse, seque ex eo cœlestem illum odorem prodire, quemadmodum quando primo repositum fuit. In hac celebritate nemo erat, quem sub virginei cadaveris præsentia recens gestorum memoria medullitus non compungeret, multis lacrymæ devotionis fluebant. Nomen ipsum Rosæ ab omnibus aperto reverentiæ signo recipiebatur. Depositum fuit decentissime corpus a dextera aræ majoris, verum ob copiosam multitudinem offerentium ibi vota, alius locus sacris exuviis collocandis eligendus fuit, ipsum videlicet sanctæ Catharinæ Senensis sacellum. Debebatur enim tam simili filiæ sinus seraphicæ suæ matris ad quietem. CONSTIT. XCI. A. D. 1671.

Interea Limam pervenere literæ hujus sanctæ Sedis Apostolicæ, ut ex formula, a Congregatione Rituum præscripta, examinarentur testes de vita & gestis hujus Ancillæ Dei: quod cœptum anno Domini millesimo sexcentesimo tricesimo, ob multitudinem testium, qui fuere numero centum octoginta tres, non potuit absolvi, nisi in mense Majo anno millesimo sexcentesimo tricesimo secundo. Fuere pro visitatione reliquiarum Rosæ de more deputati inspectores, qui aperta arca lignea repererunt virgineum corpusculum post quintum decimum expletum ab obitu annum, consumptis indumentis, ossibus integris, & adhuc sicca hinc inde carne obductis, quæ odorem rosarum exhalabant.

Maximis signis ostendere voluit omnipotens Deus quam sublimem gloriæ gradum in cœlis obtineat Rosa, quorum illa celeberrima & crebra fuere, quæ cœli, terræque creationem excedunt; conversiones scilicet peccatorum, quæ a Deo precibus hujus Virginis obtentæ insignes fuerunt. Ad solum enim virginei corpusculi contactum in feretro quamplurimi repentinis compunctionis stimulis ita fuere perculsi, ut statim elatis vocibus detestati fuerint sua scelera, prorumpentes in lacrymosam criminum confessionem, audiente, spectante, & mirante maxima circumstantium turba. Mater Virginis Maria de Oliva coram Judicibus recensuit, post exequias filiæ complures ad se devotas accessisse personas, etiam religiosas, antea ignotas, liberali subsidio suam egestatem sublevantes & profitentes, se tributa pendere virgini Rosæ, cujus intercessionibus vitæ suæ optimam mutationem se debere sciebant.

Bartholomæus Martinez, quondam hujus Virginis confessarius, ex certa scientia aperuit in judicio, quemdam profligatæ vitæ hominem, longissima annorum serie sacrilege frequentantem sacramenta, Rosæ jam tumulatæ precibus commendatum fuisse, & mox illam sensisse divinæ gratiæ motionem, qua cor ejus liquescens, generalem totius vitæ exomologesim amarissime perfecit, & adeo conscientiam ejus timor

Domini

CONSTIT. XCII. A. D. 1671.

Domini pervasit, ut postmodum quoscumque defectus, tanquam pergrandes excessus, eluere festinaret. Constat etiam, duas probrosæ vitæ peccatrices ad Rosæ hujus odoriferam famam compunctas jugum impuritatis feliciter excussisse, & in calle virtutis constanter fixisse pedem.

Limenses, & alii in universa Peruana regione sacramentalis pœnitentiæ ministri communicatis indiciis generatim stupuere de tanta mutatione morum in populo a die, qua Rosa in Sponsi sui Paradiso recepta fuit. Nam certatim feminæ, abjecto vestium luxu, simplicioris modestiæ habitum ubique sumpserunt: regularium claustra cruentis flagellorum ictibus undique pœnitentiam resonabant. Fuitque tam publice notum hoc prodigium, ut in tribunali jurejurando assertum fuerit, a tempore quo Peruvia a nostris detecta fuit, nullum unquam ibi claruisse concionatorem, qui tot ac tantis stimulis gentes illas ad virtutem impulerit, & tam universalem pœnitentiæ spiritum & devotionis incendium excitarit, ut Rosa suis aspectibus, contactibus & precibus.

Francisco & Alexandro de Coloma, germanis fratribus, matertera erat Maria de Xuata mulier opulenta, sed animo implacabiliter in cognatos, quamvis pauperrimos adverso, & implicato: quorum primus alebat suis impensis sex consobrinas & duos consobrinos omnes in parva ætate constitutos. Impendebat utrique necessitas proficiscendi & relinquendi parvulos in summa egestate. Franciscus sacerdos erat: Rosæ patrocinium implorat, postridie matertera illum accersit, quem toto decem & octo annorum spacio videre abnuerat. Consobrinos calamitosos jubet adducere, & advocato notario, rescisso priori inofficioso testamento, gratificato Francisco, instituit parvulos consobrinos ex asse hæredes, & Rosæ debitæ grates persolvuntur.

Ludovica Barba audierat a confessario, Rosam vaticinatam fuisse se assecuturam habitum religiosum sancti Dominici, quem ipsa horrescebat. Diu parvi fecit dictum Virginis, immo aversabatur eventum hujus oraculi. Tandem cœlestis religiosæ vitæ inspiratio eam invasit. Rosæ sepulcrum adiit, ei causam supplex commendat. Repente illius cordi ignitum sacri habitus Dominicani desiderium immittitur. In numerum sororum Tertiariarum adscribitur, divinis solatiis repletur, hoc unum dolens, quod tamdiu corde obstinato tantam felicitatem respuisset.

Ludovica de Mendoza encomia sanctitatis hujus Virginis nec credere, nec concipere esse vera, poterat, aut volebat. Repentino angore correpta in manibus & pedibus, summe dolens, sensit, spiritum suum caligine & pavore concuti. Evidenter agnovit, ab unica sua incredulitate hæc provenire. Supplex protestatur se credere, & toto corde fateri, quod Rosa vere sancta sit, & repente conquievit tempestas, & sensit recedere atroces illos paroxysmos.

Præter prædicta spiritualia beneficia, multa alia & insignia miracula in curandis corporibus patrata narrantur, quibus sanctitas & merita hujus virginis satis superque comprobata sunt. Ex processibus enim auctoritate Apostolica confectis & formiter a sacrorum Congregatione Rituum discussis, referente dilecto filio nostro Decio Cardinali Azzolino, hujus causæ Ponente, non solum constat de fama sanctitatis & virtutibus theologalibus & cardinalibus cum annexis in gradu heroico, sed præterea ex concludentibus probationibus, tanquam rite & recte, admissa fuere sequentia miracula.

Maria

Maria Sanchez, alias de Jesu, novennis puella, quæ cum sexennis esset, fortuito in terram prolapsa, ita nervis & ossibus offensa fuit, ut contractis cruribus, eorumque sensu deperdito, omni prorsus standi & ambulandi potentia deperdita, continuo immobilis, affixa lectulo per triennium, crescente ætate, magis viribus destituebatur, frustratis omnibus adhibitis naturalibus remediis, ejus parentes humili corde voverunt, eam in sepulcro prædictæ Virginis ad obtinendam ei salutem per novenam ponere, & in ultima novenarii die, dum votum persolverant, infantula supra sepulcrum statim in pedes surrexit, cunctis admirantibus, tam expedite deambulans, ac si nunquam hujusmodi læsionem passa fuisset.

Isabellæ Duran apoplexia, in paralysim terminata, brachium exsiccarat: omnemque illius usum a quinque circiter mensibus cruciabiliter ademerat: quod ad inutile pondus & continuos tantummodo dolores gestabatur, ab humero prætensis fasciis obvolutum. Applicavit illud corpusculo Rosæ jam jam tumulando, mox fascias explicavit, palam clamitans, integerrime se curatam, publiceque in miraculi fidem robuste jactavit brachium gestu, motuque expeditissimo, ac si nunquam languisset.

Æthiopi cuidam servo Didaci de Ayala ex nervorum attractione, & tenaci plica, brachium dexterum, ac manus a pluribus annis denegabant officium. Itaque ad famam defunctæ Rosæ cum reliqua turba penetravit in Ecclesiam beati Dominici, commendavit se sanctæ Virgini, exporrexit illico sanatum brachium, illudque in sublime elatum magnis vocibus ostentavit multitudini circumfusæ. Qui servum familiarius noverant, accessere propius gratulabundi, nec dedignati osculis fatigare manum, beneficio Rosæ jam patulam & redivivam.

Magdalena Chimisso, nobilis Inda (utpote de stirpe Regulorum Chincensium) ab umbilico deorsum, corporis attractione, ariditate crurum & pedum misere per plures languebat annos, & nonnisi in aliorum manibus huc & illuc poterat deferri. Omnibus frustra adhibitis medicamentis in illo deploratæ salutis statu cor erexit ad superna, devote se commendavit dictæ Virgini, & ejus vestium allatis particulis tetigit partes læsas, atque in instanti perfectam recuperavit salutem, omnibusque admirantibus, propriis pedibus adiit immediate Prædicatorum Ecclesiam; ibique publicas gratias dictæ Virgini reddidit.

Maria de Vera disenteria, febri maligna, dolore stomachi, & lethali vomitu per octo dies laborabat in extremis. Susceptis Ecclesiæ sacramentis se commendavit prædictæ Rosæ intercessioni, cujus amplexa est imaginem, & statim sana visa est cum totali virium recuperatione, atque e lecto exiliens, illico altare ornavit, ibique apposuit imaginem, & ob recuperatam sanitatem gratias egit.

His igitur & plurimis aliis signis coruscante per orbem Rosæ sanctitate, ejus exigentibus meritis felicis recordationis Clemens Papa IX. prædecessor noster indulsit, ut hæc Dei serva ubique terrarum *Beatæ* nomine nuncuparetur, & celebrata solemni ritu ejus beatificatione, eam civitatis Limæ, & totius Regni Peruani principaliorem Patronam auctoritate Apostolica decrevit & declaravit, ejusque festum ab omnibus illic degentibus *de præcepto* servari mandavit, & ejus nomen apponi in Martyrologio Romano. Nos quoque videntes eam ubique omnium populorum solemni plausu devotissime honoratam, hujusmodi patronatum pro omnibus provinciis, regnis, insulis & regionibus

CONSTIT. XCII. A. D. 1671.

terræ firmæ totius Americæ, atque Philippinarum & Indiarum, fecimus extensum, formatisque auctoritate Apostolica processibus de his, quæ supervenerant, eorumque validitate approbata, & percrebrescentibus venerationis & devotionis populorum piis affectibus, & novis ostensis miraculis accedentibus, ex quibus post maturam discussionem quatuor admissa fuere; duo scilicet ex processu Suessano, & duo alia ex processu Panormitano.

Primum in persona Johannis Zelilli ab imminenti morte mirabiliter præservati. Hunc enim per quatuor menses oppresserat febris hectica tertiæ speciei, progressa in exquisitum marasmum cum ulcere pulmonis, tussi marcidum cruorem excreante, ac rosione gutturis pariter ulcerati: quibus accesserat febris putrida & maligna; unde æger susceptis Ecclesiæ sacramentis ad extremum vitæ fugientis agonem perductus, jacuit sine motu, cessavit arteriarum pulsus, & consona trium medicorum voce jam in faucibus mortis hærere conclamabatur. Sed implorato beatæ Rosæ potenti auxilio, modicum pulveris e sepulcro ejusdem Beatæ hausit e cochleari aqua resolutum, & illico salutem cum pristino vigore integerrime recuperavit. Alterum in Candida Rossetta, Vexilliferi *Aloysii il secondo de Carvajal*, Hispani, uxore, cui in præmortui fœtus miserabili partu, nimius pro secundarum emissione conatus per triduum adhibitus una cum illis matricem foras extruserat, quæ deinde frigoribus instar marmoris obduruit, nigra, visuque horrida, & prægrandis, utpote trium librarum pondere gravis. Molestissimo cruciatu sic permansit foris per octennium, donec Beatæ hujus (cui impense Candida se commendarat) imagine papyracea ventri applicita sensit in continenti ægra, matricem in alvum rediisse: unde confestim sana & robusta lecto exsiliit, ac per domum visa est præ gaudio saltitare.

Alia itidem bina miracula ex processu Panormitano; videlicet unum in sanatione mirabili Fratris Seraphini Puglisi ex ordine beatæ Mariæ de Monte Carmelo. Vir iste religiosus maligna febri lethaliter exustus, ac decimo septimo suæ infirmitatis die omnino derelictus a medicis, constanter asseverantibus, hora quinta, aut sexta noctis proxime insequentis expiraturum, jamque amissa loquela & visu, luctans cum ultimo agone, mox ut opem beatæ Rosæ toto corde imploravit, eamdem habuit manifeste conspicuam, subitoque valens, incolumis, vegetus cum stupore omnium evasit.

Novissimum denique in Angela Gibaja, quæ duplici febri tertiana continua & maligna cum ingenti capitis ac stomachi dolore, flatuumque copia per dies viginti septem dire excruciata, demum a medico palam conclamata properabat ad mortem, perque sex horarum spatium laborans in agone, hortatu matris, invocavit opem beatæ Rosæ, oleoque ex lampade coram istius altari pendula, desumpto, in stomachi regione, collo, pectore peruncta, statim & incontinenti pristinæ saluti cum omnimoda fractarum virium reparatione fuit restituta.

Cum igitur jam nihil deesset eorum, quæ sacrosanctæ functioni canonizationis hujus dilectæ Christi Domini Sponsæ, Rosæ, necessaria erant, ex sanctorum Patrum auctoritate, sacrorum canonum decretis, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ antiqua consuetudine, ac novorum decretorum præscripto; rogantibus carissimis in Christo filiis nostris Regina Marianna Regente, ac etiam Carolo II. itidem Hispaniarum Rege, toto ordi-

ordine Fratrum Prædicatorum sancti Dominici, Regno Peruano, & omnibus provinciis Americæ, accedentibus etiam precibus venerabilium fratrum nostrorum Archiepiscoporum & Episcoporum Regnorum Hispaniæ & Indiarum, justum & debitum esse censuimus, ut prædictam Beatam, quam ipse Dominus de die in diem magis clarificat e cœlis, nos quoque venerationis officio laudemus & glorificemus in terris. Propterea annuimus, ut hodierna die publice in sacrosancta basilica principis Apostolorum missæ sacro peracto, ejus canonizatio haberetur, eademque die in prædicta sacrosancta Vaticana basilica, in qua solemni ritu cum ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, ac dilectis filiis Romanæ curiæ Prælatis, officialibus & familiaribus nostris, clero sæculari & regulari, ac maxima populi frequentia mane convenimus, repetitis ter pro canonizationis decreto nobis per dilectum filium Ludovicum Tituli sanctæ Sabinæ Cardinalem Portocarrero supplicationibus, post sacros hymnos, litanias, aliasque preces, Spiritus sancti gratia rite implorata; CONSTIT. XCII. A. D. 1671.

Ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, & fidei catholicæ exaltationem auctoritate omnipotentis Dei, Patris, Filii & Spiritus sancti, beatorum Apostolorum, ac nostra, de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum in Romana Curia existentium consilio, ac unanimi consensu, beatam Rosam de sancta Maria, Virginem Limanam, de cujus vitæ sanctitate, fidei sinceritate, & miraculorum excellentia plene constat, Sanctam esse definivimus, ac Sanctarum Virginum catalogo adscribendam decrevimus, prout præsentium tenore decernimus, definimus & adscribimus, statuentes, ab Ecclesia universali quolibet anno die tricesima mensis Augusti memoriam ejus inter sanctas Virgines recoli debere, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen.

Eadem auctoritate omnibus & singulis vere pœnitentibus & confessis, qui annis singulis in die festo ipsius sanctæ Rosæ ad sepulcrum, in quo ejus corpus requiescit, visitandum accesserint, septem annos & totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis, misericorditer in Domino relaxavimus in forma Ecclesiæ consueta.

His peractis Deum Patrem æternum, Regemque gloriæ Christum Dominum Patris sempiterni Filium, & sanctum Paraclitum Spiritum, unum Deum, unumque Dominum laudibus & confessionibus venerati, sacroque hymno, *Te Deum*, solemniter decantato, peculiari in honorem sanctæ Rosæ oratione precati sumus per ejusdem merita, atque ad altare sancti Petri Apostoli missam celebravimus cum ejusdem Sanctæ commemoratione, omnibusque Christifidelibus, tunc præsentibus, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem concessimus.

Cum omni igitur humilitate pro tam insigni beneficio benedicimus & glorificamus Deum Patrem omnipotentem, cui benedictio & honor & gloria & potestas in sæcula sæculorum; assiduis precibus ab eo postulantes, ut per intercessionem electæ suæ a peccatis nostris faciem avertens, misereatur nostri, & respiciat nos, quibus ostendit misericordiam suam in medio templi sui, dum novum nobis propugnaculum totius Americæ contra antiquas Diaboli insidias & infidelitatis errores dedit, & omnibus apud divinam suam majestatem protectricem & ad-

CONSTIT. XCII.

A. D. 1671.

vocatam concessit ad sanctæ Ecclesiæ tranquillitatem, fidei catholicæ incrementum, & infidelium lumen & conversionem.

Ceterum quia difficile foret præsentes nostras literas ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, definitionis, adscriptionis, mandati, statuti, concessionis, relaxationis, elargitionis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo septuagesimo primo, pridie Idus Aprilis, pontificatus nostri anno primo.

✠ Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

✠ *Ego Franciscus Episcopus Ostiensis Cardinalis Barberinus S. R. E Vicecancellarius.*

✠ *Ego Franciscus Maria Episcopus Portuensis Cardinalis Brancatius.*

✠

✠ *Ego Uldericus Episcopus Tusculanus Cardinalis Carpineus.*

✠

✠ *Ego Virginius Episcopus Albanensis Cardinalis Ursinus.*

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠ *Ego Alderanus Tituli sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis Cybo.*

✠ *Ego Fridericus Tituli sancti Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis Sfortia.*

✠ *Ego Benedictus Tituli sancti Honuphrii Presbyter Cardinalis Odescalcus.*

✠

✠

✠ *Ego Aloysius Tituli sancti Alexii Presbyter Cardinalis Homodeus.*

✠ *Ego Petrus Tituli sancti Marci Presbyter Cardinalis Othobonus.*

✠ *Ego Laurentius Tituli sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis Imperialis.*

✠ *Ego Marcellus Tituli sancti Stephani in Monte Cœlio Presbyter Cardinalis Sanctacrucius.*

✠ *Ego Johannes Baptista Tituli sancti Marcelli Presbyter Cardinalis Spada.*

✠ *Ego*

✠ Ego Franciscus Tituli sanctorum Quatuor Coronatorum Presbyter Cardinails Albitius. CONSTIT. XCII. A. D. 1671.
✠ Ego Octavius Tituli sanctæ Cæciliæ Presbyter Cardinalis de Aquaviva & Aragonia.
✠ Ego Carolus Tituli sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis Pius.
✠ Ego Carolus Tituli sancti Eusebii Presbyter Cardinalis Gualterius.
✠ Ego Flavius Tituli sanctæ Mariæ de Populo Presbyter Cardinalis Chisius.
✠
✠
✠ Ego Jacobus Tituli sancti Pancratii Presbyter Cardinalis Franzonus.
✠
✠ Ego Petrus Tituli sancti Calixti Presbyter Cardinalis Vidonus.
✠
✠
✠
✠
✠
✠ Ego Carolus Tituli sanctæ Anastasiæ Presbyter Cardinalis Bonellus.
✠
✠ Ego Carolus Tituli sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis Carafa.
✠ Ego Palutius Basilicæ sanctorum XII. Apostolorum Presbyter Cardinalis de Alteriis.
✠ Ego Cæsar Tituli sancti Johannis ante Portam Latinam Presbyter Cardinalis Rasponus.
✠
✠
✠
✠ Ego Carolus Tituli sanctæ Mariæ de Aracœli Presbyter Cardinalis Robertus.
✠
✠
✠
✠
✠ Ego Jacobus Tituli sancti Xysti Presbyter Cardinalis Rospigliosus.
✠ Ego Ludovicus Tituli sanctæ Sabinæ Presbyter Cardinalis Portocarrero.
✠
✠
✠ Ego Johannes Tituli sancti Bernardi Presbyter Cardinalis Bona.
✠ Ego Camillus Tituli sanctæ Mariæ in Domnica Presbyter Cardinalis Maximus.
✠ Ego Gaspar Tituli sanctæ Pudentianæ Presbyter Cardinalis Carpineus.
✠
✠ Ego Fridericus sanctæ Agathæ Diaconus Cardinalis de Hassia.

✠ Ego

CONSTIT. XCII. A. D. 1671.

✠ *Ego Carolus sancti Cæsarei Diaconus Cardinalis Carolus Barberinus.*

✠ *Ego Decius sancti Eustachii Diaconus Cardinalis Azolinus.*

✠

✠

✠ *Ego Paulus sancti Nicolai Diaconus Cardinalis Sabellus.*

✠

✠

✠ *Ego Sigismundus sancti Georgii in Velabro Diaconus Cardinalis Chisius.*

✠

✠ *Ego Bonacursius sanctæ Mariæ de Scala Diaconus Cardinalis Bonacursius.*

I. G. Slusius.

Visa de Curia S. de Pilastris;

D. Ciampinus.

Loco ✠ plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

N O T A.

Celeberrimæ hujus Americanæ Virginis gesta permulti scriptores, ejusdem, atque ea fuit, ordinis Prædicatorum, literis consignarunt. Qui vero magis innotuerunt, hi sunt,

1 Leonardus Hansen. Romæ 1664. in quarto. *Latine.*
2 Dominicus Marchesius Puteolanus Episcopus. Neapoli 1665. in quarto, inque Diario Dominicano tomo IV. die XXX. Augusti. *Italice.*
3 Seraphinus Bartholinus. Romæ 1666. in quarto. *Italice.*
4 Petrus Scotus. Panormi 1668. in duodecimo. *Italice.*
5 Andreas Ferrerius. Matriti 1666. in quarto. *Hispanice.*
6 Hiacynthus de Parra. Matriti 1668. in quarto. *Hispanice.*
7 Antonius de Lorea. *Hispanice.*
8 Jo. Andreas Faore. Burdigalæ 1668. in duodecimo. *Gallice.*
9 Anonymus. Lugduni 1668. in quarto. *Gallice.*
10 Jo. Baptista Fevillet. Parisiis 1671. in duodecimo. *Gallice.*
11 Stephanus Thomas Soveges in Anno Dominicano tomo II. die XXX. Augusti, Ambiani in quarto. *Gallice.*

IDEM

XCIII.

IDEM

CLEMENS . X

Sanctorum confessorum canoni adscribit Beatum Ludovicum Bertrandum, Valentinum in Hispania Tarraconensi, ordinis Fratrum Prædicatorum, & Verbi Dei nuncium ad Americanos, qui obiit die IX. Octobris A. D. 1581.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

COELI, terræque conditor ab ipso mundi exordio usque ad hæc nostra tempora, in quibus sæculorum fines devenisse creduntur, nunquam per singulas ætates, tanquam per horas distributas, operarios in vineam suam mittere destitit, qui, pondus diei & æstus portantes, labore, sudore ac sanguine illam irrigarent, & omnium cœlestium virtutum, ac æternæ vitæ fructibus germinare eam facerent, donec, juxta divina scripturarum oracula, ex omnibus gentibus, tribubus, populis, & linguis a solis ortus cardine usque ad terrarum limites, omnes ad cœnam agni providi congregati in Regno cœlesti, vinum novissimum biberent, quod Dei sapientia electis suis miscere consuevit. In excolenda sanctæ Crucis vite omni cura potissimum insudarunt, in operibus diversi, in veritate uniformes, ut etiam per regna & provincias, nostris majoribus antea ignotas, ita innotuerit ejus virtus ac vigor in totius orbis victoria, ipsiusque de mundi Principe triumphus, ut jam tremendum illud cunctis potestatibus nomen, quod est super omne nomen, sibi jam barbaras nationes subegerit, & *in nomine Jesu omne genuflectatur; ac omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus in gloria est Dei Patris.*

Plures hujusmodi & strenuos operarios continuata serie catholicæ Ecclesiæ Prædicatorum ordo ministrare non destitit, inter quos novissime egregius Dei servus Ludovicus Bertrandus mirifice claruit, qui ardentissima in ipsum Deum & proximum caritate flagrans, ceterarum virtutum excellentia, prophetiæ dono, & Apostolico ministerio coruscus, omnium linguarum laudibus merito celebratur: cujus pietas & devotio adhuc in ipsa tenera ætate effulsit, quibus & mundi contemptum, & religiosi status perfectionem jungens veteranis professoribus admirationi & exemplo fuit. Postmodum ad Occidentales Indos evangelicus prædicator missus plurimos ad Christi fidem adduxit. Apostolicis etiam signis, charismatibus, & auctoritate decoratus, & cunctis

virtu-

CONSTIT. XCIII. A.D. 1671.

virtutibus fulgens inventus est dignus, qui super excelsum candelabrum in sancta Ecclesia collocaretur, ut ceteris, qui in domo Dei sunt, ejus radii elucescant. Rationi & æquitati convenit, ut præclarus hic Dei famulus, qui pro ejus gloria, & animarum salute multos, maximosque labores, & ærumnas pertulit, cujus nomen Deus ipse gloriosum effecit, a nobis quoque, qui ejus vices in terris (licet immeriti) gerimus, honorabilis ubique reddatur. Hunc igitur ut jure merito in Ecclesia militanti populus fidelis, & plebs Deo dicata Sanctorum fastis adscribi plenius agnoscat, ejus præclara gesta & eximia virtutum ornamenta, tanquam præcellentia, ad imitandum, proponenda duximus, ut Christi nomine decorati, gesta sua ad ejus exemplum in Dei gloriam conformantes, eum in opportunitatibus & tribulationibus advocatum apud Deum Patrem omnipotentem habere mereantur: atque, ut Christifidelium ora promptius in divinis laudibus exultent, & pietatis fervor erga tantum Jesu Christi servum magis in dies excitetur; ejus admirandam, & omni laude dignam in terris peractam vitam in primis exponere, & brevi inclusam eloquio cunctis patentem reddere, decrevimus.

Valentiæ igitur in Hispania Tarraconensi ex piis, honestis, catholicisque parentibus, Johanne Ludovico Bertrando & Johanna Anna Exarch, editus est in lucem Ludovicus Bertrandus anno Dominicæ salutis millesimo quingentesimo vicesimo sexto, Kalendis Januarii, & ibidem in parochiali sancti Stephani Ecclesia, eodemque fonte, quo olim sanctus Vincentius Ferrerius, in Christo renatus fuerat, baptizatus fuit, ut Sanctum, cui Ludovicus carnali prosapia junctus erat, communi etiam regenerationis propinquitate attingeret. Infans a parentibus, eidem sancto Vincentio mire devotis, pie, honesteque educatus, nec non optimis moribus ita imbutus fuit, ut neque in illa tenera ætate defuerint argumenta futuræ sanctitatis. Vagientis enim ac plorantis lacrymæ nulla re sisti certius poterant, quam sanctorum imaginibus, ejus conspectui oblatis, quarum ad intuitum domi & in templo mirifice gestiebat.

Crescente ætate, crevit pariter virtutum amor, & erga res divinas pronus affectus. Vix pueritiæ limen attigerat, quando notatus fuit crebro ad solitudinem cubiculi sese recipere, ut geniculans prolixæ orationi incumberet. Illic Dominum in se loquentem audiens, suimet corpusculi robustus domitor evasit. Illic spreta delicati cubilis mollitie, aut humi, aut duro in ligno modicum somnum capiebat: illic jejuniis, victuique parcissimo corpus assuescere docuit, ac variis pœnitentiæ austeritatibus extenuare cœpit. Exinde frequentando gymnasio, & literarum studiis addictus, non minus prava consortia, nugas, atque illecebras, quam otii laxamenta, velut bonarum artium ærugines, & virtutum pestes, cautissima sedulitate jugiter evitavit.

In simplicitate cordis sui quæsivit Dominum, & invenit illum. In Ecclesiis enim, & maxime ordinis Prædicatorum, sæpissime orationi vacans, morabatur. Sacris etiam lectionibus, divinisque colloquiis mentem reficiens, invenit quem diligebat anima ejus. Sanctissimæ Eucharistiæ frequenti, humili & occulta sumptione delectatus, in Dei ac proximi amorem totus exarsit: xenodochia magna caritate visitans, pauperibus tota animi sui demissione inserviebat.

Ut Domini consilium de relinquendis domo, fratribus & parentibus perfectius impleret, eremi desiderio clam domo aufugit; sed specioso

pietatis

pietatis titulo revocatus, aliamque fallacis sæculi fugam auspicatus, primo clericalem admisit habitum, mox vero non sine magna cum domesticis lucta, ordini sancti Dominici nomen dedit in conventu Prædicatorum Valentino, & religionis habitu suscepto, præclara sancti Vincentii Ferrerii, ejusdem familiæ celeberrimi alumni, vestigia sibi sequenda proposuit. Ejus exemplo in omnium virtutum genere proficiens, genitoris querelas & blanditias invicto animo superavit, & tirocinii anno expleto (in quo regularis militiæ præclara dedit indicia) solemnia religiosæ professionis vota emisit. Postquam multis, magnisque virtutum incrementis vitam, quam ad eum usque diem integerrimam egerat, cumulavit, sacros ordines peracto novitiatu suscepit, & ad sacrum presbyteratus ordinem promotus, paulo post novitiorum magister raro exemplo eligitur: quod munus cum pluribus annis magna cum laude exercuisset, Vicarius conventus de Albayda, deinde Prior sancti Honuphrii fuit designatus. Demum conventui Valentiæ præfuit, in quibus ceteris fratribus non tam prælatione, quam virtute & exemplo semper prævivit.

Inter cetera, quibus ad sublimem perfectionis gradum pervenit, summum fuit orationi mentali per quatuor integras horas quotidie vacare, Dominicæ Passionis mysteria magno eum fervore & mentis jubilo recolendo. His post meridiem contemplandis beatissimæ Virginis gaudiis dimidiam horam addebat. Sub his cœlestium illustrationum commerciis persæpe visus est non solum spiritu rapi in ecstasim, sed & corpore a terra sublevari, & luculentis splendoribus conspicue circumfundi.

Erga sanctissimum altaris Sacramentum miro ex intimis præcordiis ardore flagrabat, sciens hoc esse pulcrum & optimum electorum frumentum ac vinum germinans virgines. Propterea familiares ad ejus sumptionis, vel saltem visitationis frequentiam vehementer hortabatur. Sacrum missæ sacrificium celebraturus angelicæ puritatis candorem æmulari cupiens, quantavis carnis mortificatione & mentis in Deum elevatione esset ornatus, sibi nihilominus nunquam satis paratus videbatur esse. A sacrificando impeditus sacra Eucharistia reficiebatur, ut jugiter Christum in se manentem haberet; & in eo ipse quoque assidue maneret.

Ut cum Patre luminum jugis esset conversatio sua, mira simplicitate in omnibus semper se gessit, magna tamen cum prudentia, qua præditus erat. Humilitati sic addictus fuit, ut in sui nihili cognitione & vili existimatione perpetuo moraretur. Se omnium in virtutibus minimum, in peccatis maximum prædicans, omnibus subesse satagebat; ab ipsis novitiis de suis defectibus admoneri non solum gaudens, sed etiam sæpe imperans. Seipsum Davum perturbantem omnia, ac solum Judæ proditoris, ac Dæmonum consortio dignum appellans, innumeris aliis seipsum probris & conviciis onerabat. Summo mœrore cum honorifice aut tractaretur, aut exciperetur, afficiebatur; ita ut procumbens in genua ne manibus suis oscula figerent, deprecaretur, ac paternitatis titulo Prior se honorari inhibuerit.

Si quem læsisse sua mœstitia, aut aliter timuisset, genuflexus, veniam poscebat. Concionatoribus etiam ipsis, quos instruxerat, ministrum se jungebat, nec ullius, quamvis ineruditum, sermonem despexit. In ipsis favoribus cœlestibus & divinis revelationibus mirifice humilitatis spiritum custodivit. Timore judiciorum Dei perculsus, se in infernum demer-

demergi sibi ipsi videbatur: cui timorem filialem a Deo precibus, & pœnis obtentum jungens, mœstus & pavidus continuo apparebat. Eumdem profundæ humilitatis spiritum in sibi subditorum cordibus, superior existens, inserere studuit; dicere solitus, religiosum perfectionis cupidum debere spernere se, spernere nullum, spernere mundum & spernere se sperni. In his unumquemque sic proficere debere decebat, ut quantavis virtute & meritis clarus esset, nunquam tamen de se præsumeret, aut se alicui præferret.

Magnis æstuavit caritatis erga Deum incendiis, quam nunquam tribulationum aquæ extinguere potuerunt; unde & zelo Dei ardens, urebatur, si quid contra Dei præcepta moliri, aut videret, aut audiret. Quin & sermones ejus, ut faces ardebant, nihil de sæculi vanitate mixtum continentes, sed vel ad Dei famulatum, vel ad pœnitentiam, & peccatorum detestationem directi erant. Frequens fuit in sacræ Scripturæ sententiis, aut Sanctorum gestis enarrandis, magno fervore exaggerans, horrendum esse incidere in manus Dei viventis & irati. Hinc plures reipsa experti sunt, se ab ejus conversatione novis semper in Dei servitute fervoribus excitatos recessisse.

Cum nobilis quidam communem vitiorum objurgationem ad se singulariter credidisset a beato Ludovico directam; mortem, quam ei comminatus fuerat, nisi dicta in suggestu revocaret, viriliter renuenti, stricto in eum sclopo intentat, illico in Crucifixum mirabili transformatione sclopus mutatur; ipso aggressore miraculi vi prostrato, ac veniam enixe petente: beatusque Ludovicus suæ humilitati consulens, plus timens laudantem populum, quam sclopum, suo socio Christophoro de Mora præcepit, signans in ejus pectore Crucem, ut prodigium celaret; usque dum annis triginta transactis interrogatus, panderet veritatem.

Usque adeo ardens erat in eo martyrii desiderium, ut in tremendi sacrificii elevatione cum beato Petro Martyre ex intimis præcordiis divinam majestatem exoraret: *da mihi Domine, ut pro te moriar, quemadmodum pro me mori voluisti*. In prospectu etiam imaginis sancti Vincentii Martyris eisdem pœnis & suppliciis, quibus ipse certavit & vicit, affici vehementer optavit. Audiens pœnas, quibus pro fide Christi sua ætate aliqui gloriose diem clauserant extremum, ex profundo cordis in jubilum erumpens, eis cum similibus victoriis totis visceribus se socium jungi cupiebat.

Eadem caritate etiam erga proximum ardens, animarum solatia & progressus totis viribus promovebat. Frequens fuit in confessionibus audiendis, pro aliorum culpis expiandis duris se flagellis cœdens, quibus & mulierem honestæ (quoad sæculum) conditionis; cujus peccandi consuetudinem, Deo revelante, noverat, revocavit. Adolescentulam etiam ne caderet, orationibus & pœnis a Deo obtinuit. Pestis tempore quoscumque mendicos obvios habuisset, ad conventum sanctæ Annæ Albaydæ, quamquam inopia laborantem, ubi tunc munus agebat superioris, reficiendos adducebat, dicere solitus, Deum nunquam sibi fideliter servientibus deesse. In vias & montes procedens, peste extinctos sepultura donabat. In xenodochiis & domibus infirmos sæpe invisens, eorum plurimos, imponens eis manus, & pro eis deprecans, sanitati restituit; inter quos non sine evidenti miraculo religiosus vir Franciscus Alemanus jam morti proximus a beato Ludovico de recuperanda valetudine certior factus, paulo post omnino liber convaluit.

In

In sedandis odiis & reconciliandis animis magnopere etiam hujus viri caritas enituit. In carcere etiam detentis, aut morti addictis, ope & auxilio non deerat, quorum plures e miseriis & injustis vexationibus miro modo & suaviter liberavit. CONSTIT. XCIII. A. D. 1671.

His Dei & proximi amoris ardoribus incensus, in terram alienigenarum gentium vere sapiens pertransire decrevit, ut Indorum animas Deo lucraretur, a quo nec amicorum, vel fratrum aut sororum artibus, precibus, vel lacrymis dimoveri potuit. Omnibus enim magna cum animi submissione non sine fletibus valedicens, pedestre iter, Occidentalem Indiam versus, arripuit, & Hispali navem ingressus, omnibus ædificationi, solatio & auxilio in opportunitatibus fuit: in qua sui ordinis religiosum a cadente ponderosa trochlea gravissime læsum, vulnere aqua loto sic sanitati pristinæ restituit, ut postridie mirantibus cunctis, nec vestigium quidem cicatricis appareret. Appulit ad Carthagenæ portum, ibique in conventu sancti Joseph sui ordinis habitavit, & inde ad diversos Indorum populos missus, evangelizavit, incolentibus scilicet Tubaram, Cipacoam, Paluatum, Monpoix, Serram, sanctæ Marthæ, Tuncarum, Tenerisem, & aliis, ibique plura & mirabilia perpetravit.

Orationibus a Deo obtinuit, ut lingua sua Hispana, in qua natus erat, evangelizando absque interprete intelligeretur ab Indis. Vigilias, sitim, famem, æstum & frigora in hoc Apostolico ministerio ferens, semper pedes incedens, & sæpe æger, cursum suum cum Apostolo consummare gestiebat. Socium quandoque habuit rudem moribus, cui non sine miraculo mortale vulnus in capite curaverat, quin etiam præter expectationem, ut ei subveniret, apparuit arbor promifera, fonsque ad radicem scaturivit, ut illum recrearet & convivaret: qui postea eum inurbane deserens, misere, sicut ei vir Dei prædixerat, reliquum vitæ tempus & finem consumpsit.

Visus est etiam sæpe in itinere a via secedens, flagellis se cœdere. Pluries obvias habuit tigres, aut alias feras, quæ signo Crucis ab eo mites redditæ, itinerantibus illæsis relictis, alio iter arripiebant.

Carthagenæ concionator deputatus in Quadragesima, ut ei mos erat, visus fuit duriora corda emollire, & auditores nonnisi compunctos, & amare flentes, dimittere. Rapiebat audientium mentes, neque enim hominis, sed Angeli spiritum verba ejus redolebant. Contumeliis propter hæc a carnalibus, ac etiam probris & irrisionibus appetitus, gaudebat, quod pro nomine Jesu talia pati dignus haberetur.

Tubaram a Superiore missus, ut gentes illas Dei cognitione imbueret, & sanctæ Ecclesiæ Sacramentis initiaret; omnibus illius loci infidelibus, orationibus, jejuniis, flagellationibus, & aliis pœnis, a Domino conversionis gratiam obtinuit, quam per conciones ipsius, Dominus noster exequi dignatus est. Dæmonem ibi mentito habitu ab his laboribus dehortantem detexit, & ululantem abire coegit. Infantem (qui fuit primus, quem sacro fonte abluit) ab Indo, quamvis idololatra, delatum, Michaelem appellavit, ipsomet Indo palam testante, se ab Angelo Domini admonitum, consecuturum eum cum baptismo salutem æternam, & ad hoc, ipsum beatum Ludovicum a Deo illuc directum fuisse. Idolorum etiam tuguria succendi curavit, & tanta sanctitatis ejus fama apud barbaras illas gentes invaluit, ut plurimos ex illis furentes, in quendam ministrum (sola præsentia tumultum sedando) detinuerit.

CONSTIT. XCIII. A. D. 1671.

Publicum etiam ibi adulterum, quamvis potentem, acriter reprehendit; a quo postea armis valide invasus, mirantibus cunctis telo in terram cadente, incolumis & intrepidus evasit. Nec ab hominibus solum, sed etiam a Dæmonibus in illarum gentium conversionibus plurima pertulit, præsertim apud quemdam veteranum Idolorum sacerdotem morti proximum, quem sacro baptismate initiavit, & ab ipsorum immundorum spirituum infestatione, fixo apud illum sanctæ Crucis signo, liberavit. Jacobum Raphaelem Frances ex eo loco prævidit naufragum futurum; quem propterea per diem & binas noctes natantem, & beatissimæ Virginis sanctissimi Rosarii patrocinium assidue implorantem, salvum ad littus recepit; ubi eum propterea cum subsidiis victus & vestitus expectaverat, & a mortis instantis faucibus eripuit.

Ab ipsis Indis visus fuit a terra in ecstasi elevatus, quem postmodum summa veneratione coluerunt, & abeuntem amare defleverunt, crediturque, populum illum ejus intercessione in Christi Domini fide adhuc perseverare, ad cujus hospitium, in oratorium commutatum, etiam nunc & Indi & Hispani ad divina beneficia ejus patrocinio impetranda accurrunt.

His similia in opidis Cipacoe & Peluati egit, ubi etiam evangelicam paupertatem servans, lætus in rerum summa inopia & volens, vitam degebat, ac orationibus præter spem optatos obtinuit imbres, & Cinagam fluvium præ aquarum redundantia impervium signans Cruce aquas, prout voluit, transegit. Cadentes etiam circum undique pluviæ, illo beatissimam Virginem de Rosario pie invocante, nec ipsum, nec socios attigerunt.

Sub monte sanctæ Marthæ Indorum accolarum circiter quindecim millia, suis prædicationibus ad fidem conversa baptizavit, & non procul inde potentissimum venenum sibi ab Idolorum sacrificulo propinatum ebibens, post quinque dies lethale virus cum aliquot vermibus seu parvis serpentibus stomacho ejecit, ac incolumis magno præsentium stupore perduravit.

Dæmones visibiliter gentibus illis apparentes, signo Crucis, & miris modis sæpe fugavit, quibus plures alios ad fidem adduxit. In opido Mompoix visi sunt ei genuflexo assistere sancti Doctores Ambrosius & Thomas de Aquino.

In insula sancti Thomæ, dum furentes pagani, arreptis lapidibus, viro sancto necem intentant, monitus, ut fugeret, constantissime renuit, solaque divini Verbi efficacia ducentos ex aggressoribus jugo Christi subjecit. Quemdam ex regionis proceribus de salutiferæ Crucis arcano mysterio doceri cupientem, repentino miraculo convertit, nam arboris truncum ibidem toto corpore circumplexus conspicuam figuram Crucis rudi cortici mirabiliter impressit, eoque ostento tum illi, tum aliis baptismum in fide vivificæ Crucis persuasit.

Sane vir iste Apostolicus non solum juxta promissionem sancti Evangelii, quod prædicabat, in nomine Domini nostri Jesu Christi Dæmonia totis regionibus ejecit, serpentes infernales visibiliter incolis minaces abstulit, ac linguis novis inter gentes locutus est, verum etiam pluries in testimonium fidei mortiferum quid bibens innoxie, discrimen vitæ superavit. Indam adhuc infidelem in partu extreme periclitantem sua zona præcingi jussam, una cum prole ab interitu liberavit, ipsamque jam puerperam cum marito, propinquis ac domesticis lavacro sacri Baptismatis ab infidelitate mundavit.

Navi-

Navigans cum aliis in flumine, a Magdalena nuncupato, irruente tempestate navi eversa, cunctisque in aqua immersis orans emersionem & incolumitatem obtinuit. Pristinam valetudinem pluribus reddidisse, & defunctam ad vitam, sanctissimi Rosarii applicatione revocasse, compertum fuit.

Videns, nec impedire, aut ferre valens angustias, quibus ut plurimum violenter a præfectis quibusdam etiam vulneribus, & cæde Indi opprimebantur; obedientia obtenta, in Hispanias rediit; cumque in mari navis periclitaretur, rogatus a navigantibus, tumentes undas tandiu Cruce signavit, donec optata tranquillitate reddita, omnes ad portum Hispalis incolumes pervenerunt.

In conventu sancti Honuphrii post reditum ab Indis, ex obedientia præfuit, quem ære alieno gravatum, & inopia ex annorum sterilitate orta laborantem invenit, & omnibus satisfaciens, religiosis nunquam in aliquo ex consuetis defuit. Quin & plurimis egenis, miserabilibusque personis large eleemosynas suppeditavit; quandoque etiam Deo illorum necessitates revelante, & mirabiliter ei pecunias ministrante; quin & in ædificio ad honorem sanctæ Crucis constructo, ostendit, regente Domino, servis ejus nihil deesse.

In cœnobio Valentiæ Superiorum jussu, licet invitus, Prior constitutus in cella sancti Vincentii Ferrerii regimen eidem Sancto commendans ab imagine ipsius, coram qua prostratus orabat, se inclinante, meruit amplexu honorari, atque elevari. Mortificationes, cruentas disciplinas, frequentiam chori, & summam abstinentiam, quibus subditus se exercebat, nec concionando, nec regendo dimisit. Ut studiorum cursus exacte perficerentur, accurate invigilavit, cupiens suos subditos semper in sanctis aut eruditis exercitiis occupatos; quorum e claustro exitum, nisi urgente necessitate, non permisit. Ostio sui cubiculi magnis characteribus inscribi voluit: *si hominibus placerem, servus Dei non essem.* Ita omnibus omnia factus erat, ut quilibet in eo prudentis consilia, fratris familiaritatem, patris benignitatem, viri Sancti perfectionem, & omnium virtutum compendium inveneri.

Contigit ei ibi videre animam cujusdam sui olim pœnitentis, qui eumdem Beatum verbo læserat, testantem, Deum nolle eam ad gloriam admittere, nisi culpam ipso dimittente, & pro ea celebrante, quo facto, sequenti nocte illam in Sanctorum gloria conspexit.

Alias etiam Beatorum in æterna felicitate regnantium, & maxime sanctorum, sui Patriarchæ Dominici & Francisci, quin & ipsius Christi Domini visionibus recreatus fuit; sibique omnia sua peccata dimissa fuisse audivit.

Sætabi (vulgo Xativa) a primoribus civitatis rogatus, pro concionibus, in proxima Quadragesima apud eos habendis, licet gravibus infirmitatibus pressum & naturaliter impotentem se agnosceret, a Deo & velle, & cursum integrum Quadragesimalium concionum perficere, obtinuit. Gubernatori Valentiæ Jacobo Ferrerio indictis ei quibusdam precibus, scripturarum, de quarum amissione summopere dolebat, recuperationem divinitus impetravit.

Spiritu etiam prophetico ita mirifice claruit, ut & plurimas res futuras, tam secundas, quam adversas, tum in spiritualibus, tum etiam in temporalibus, tam circa valetudines & mortes, quam circa animarum profectus & mores, sæpissime prænunciavit. Nam & sanctæ Teresiæ a Jesu suam Excalceatorum claustralium tunc fundatam Congregationem

brevi

CONSTIT. XCIII. A. D. 1671.

brevi inter illustriores sanctæ Ecclesiæ religiones (ut re ipsa evenit) connumerandam esse prædixit. Tribus regularibus diversos ipsorum successus & fines, prout contigerunt, prænunciavit. Virum nobilem, injuria prælatum quendam vexantem, ultionem Domini brevi experturum fore dixit: quod mors ejus repentina, Domino revelante ei notum fuisse demonstravit. Arcana etiam plurima, tam in rebus corporeis, quam in secretis cordium latentia, nuda & aperta fuisse oculis mentis ipsius, a Deo illustratæ (stupentibus omnibus) rerum eventus ostensa fuisse, indicarunt, atque in hoc dono penetrandi secreta cordium valde singularis, ac admirandus fuit. Alia quoque complura naturaliter ignota, tam clare, distincte & ordinate, prout erant, aut acta, aut cogitata enarravit, ut solum Deo revelante hæc illi innotuisse compertum fuerit.

Virtus ejus in toto decursu vitæ a Deo infirmitatibus adeo mirifice perficiebatur, ut assiduis passionibus tolerandis magna illi patientia opus fuerit. In complexione enim ipsius satis delicata, non solum potentia visiva parum valens & auditus imperfectus inerat; sed etiam horribili ulcere in crure per multos annos, & vertigine capitis vehementer cruciabatur. Quin & viscerum pravis affectionibus, & aliis occultis infirmitatibus maxime per biennium ante obitum, velut aurum in fornace, probavit illum Dominus, animo sic invicto omnia tolerantem, ut frequenter ex ejus ore verba doctoris sanctæ Ecclesiæ Augustini resonarent: *Domine, hic ure, hic seca, hic non parcas, ut in æternum parcas.*

Ubi primum convalescebat, ad mortificationis & observantiæ communis exercitia revertebatur, cunctis se oblectationibus & convalescentium levaminibus sponte privans, aliis infirmis oblata sibi fercula cuncta partiebatur. Quin & saxo decumbens sub linteaminibus posito corpus torquere consueverat, dicens, arctam esse viam, quæ ducit ad vitam.

Sic infirmando fortior semper redditus, agnovit sibi instare adimpletionem divini promissi, quod olim in festo sanctæ Catharinæ Virginis & Martyris obtinuerat, quando ex medio magnæ lucis sponsum ei fuit, tandem ex his tenebris in lucem illam æternam, quæ lucet sanctis Dei in perpetuas æternitates, migrandum esse. Nam inter labores concionum, morbo ingravescente, febribus decubuit, & suscepturus pro viatico sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum, devotissime non sine multis lacrymis sanctæ fidei catholicæ accuratam professionem emisit. Imploravit etiam ferventissime Domini nostri Jesu Christi auxilium, & sanctissimæ Virginis Deiparæ patrocinium, nec non aliorum Sanctorum, & præcipue sui ordinis, expressoque nomine sancti Vincentii Ferrerii subjunxit: *Pater mi, currus Israel & auriga ejus.*

Enixe petiit a circumstantibus, ut simul cum eo Dominum deprecarentur, ne mortis sententiam revocaret, & Johanni Boil mœrenti de gravi suæ filiæ infirmitate, eam tunc non migraturam e vita vere prædixit. Remittente postmodum paulisper vi morbi, non sine labore ad sacrum celebrandum surgebat. Iterum ingravescente infirmitate, assistentem, & sæpissime ministrantem non sine magna sua confusione, & animi demissione habuit Johannem a Ribera Patriarcham Antiochenum, tunc Archiepiscopum Valentinum, qui dum in cruciatibus ipsum ad resignationem in divinæ voluntatis beneplacitum hortatur, audivit illum dicentem, se pœnas illas quibusvis mundi hujus terrenis bonis pluris

facere,

facere, & cariores habere. Ab his cruciatibus, quantumvis vehementibus, nec detineri aut retardari potuit, quin per singulos dies per binas horas consuetæ orationi vacaret, & sæpe sacra exomologesi se purificans divino altaris epulo reficiebatur, aliisque infirmis horum Sacramentorum frequentiam suadebat, sæpe repetens, hæc divina mysteria non solum animæ, sed etiam corporis, ut plurimum salutem operari.

Concentus musicos in ea ægritudine audiens, totus elevatus in Deum solvebatur in lacrymas. Denique variis remediis, & morbi vicissitudinibus ex animo toleratis, appropinquante sancti Dionysii festivitate, qua die ante annum se moriturum esse prædixerat, plures accurrerunt, certatim cupientes ab eo benedici, vel suis rosariis ejus linteamina attingi. Inter hos filius Ducis Gandiæ genuflexus, & pedes ejus lacrymabundus osculatus, benedictionem devote & singultiens præstolabatur, quod vir Dei se quidem maximum peccatorem cum beato Paulo dictitans, & mente ad nihilum suum conversus, humillime præstitit. Hoc etiam divinitus sorori Angelæ Aguglionæ virgini religiosæ ordinis sancti Francisci in perpetua clausura degenti concessum fuit, dum ex corde optabat præsentialiter Christi Domini servum venerari. Illico enim (ministerio creditur Angelico) ante ejus pedes constituta, & voti compos facta, suæ cellæ iterum miraculose reddita fuit. Cupiebat interim Ludovicus dissolvi, & esse cum Christo, nec aliter, quam aut sanctissimi altaris Sacramenti quotidiana sumptione, aut cum Crucifixi imagine colloquiis suas moras solabatur. Feria sexta ante obitum referenti diem Veneris esse, *benedictus Deus* (respondit ille) adhuc quatuor supersunt dies. Frequenti cœlesti sancti Vincentii Ferrerii visitatione, quem a teneris annis summa veneratione & imitatione colere studuerat, recreabatur.

Biduo ante decessum e vita, sacram olei infirmorum unctionem devote petiit, & singulis orationibus respondens, seque sanctis orationibus & mortificationis exercitiis muniens; sanctissimi Crucifixi imaginem frequentibus osculis venerans & orans in die festo sancti Dionysii, ut sæpe prædixerat, hora quinta decima sentiens se paulatim deficere, assistentem ex more Patriarcham pro impetranda benedictione, & sancti Evangelii lectione precatus est. Quod amantissimus Antistes uberrime lacrymans præstitit. Cumque commendationis animæ juxta sui ordinis ritum preces persolverentur, & ad illa verba, *ut vinculis carnis exutus pervenire mereatur ad gloriam Regni cœlestis*, præstante Domino nostro Jesu Christo, spiritum suum in manus Patris, vinculis carnis, absolutum commendavit septimo idus Octobris, anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo octogesimo primo, ætatis suæ quinquagesimo quinto; eoque temporis momento visa est ex ejus ore lux instar fulguris recta in cœlos evibrata totam cellam illuminare, & supra conventum divina claritas fulsit. Quin & in Ecclesia pluries militiæ cœlestis harmonici concentus a diversis auditi sunt, & pluribus aliis signis servi sui gloriam omnipotens Deus notam fecit: quibus publica populi veneratio successit, Ludovicum undique Sanctum proclamantis, & certatim coronis ac rosariis sacrum corporis pignus attingere tentantis. Misericordiam enim a Domino, ac divina quæcumque beneficia se obtenturos, omnes sperabant, si eum apud divinam clementiam protectorem & advocatum obtinere digni forent.

His accessit Altissimi erga suum servum assistentia, itaut ejus suffragantibus meritis & vivens, & post obitum populis in necessitatibus

per

CONSTIT. XCIII. A. D. 1671.

per opera mira & prodigia, quibus ipse Deus in Sanctis suis mirabilis dignoscitur, protector & adjutor semper extiterit. Ex processibus enim confectis, & ad Urbem transmissis, ac aliis, auctoritate Apostolica causam beatificationis & canonizationis ejus respicientibus, Congregatio sacrorum Rituum censuit, constare non solum de illorum validitate, & de fama sanctitatis, deque virtutibus theologicis & cardinalibus gradu heroico, verum etiam concludentes probationes continere insignium miraculorum ejusdem tam viventis, quam defuncti.

Cum enim esset Prior Albaydæ, pastoribus accendentibus ignem, ventorum vi irruente,& flamma succrescente jam ardentibus arboribus in vineis & frutetis, magnum excitandum esse ad destructionem, ignem timebatur non sine magno conventus detrimento. Accurrit vir Dei, & elevatis oculis in cœlum,signo Crucis flammam benedixit, quæ illico evanuit, ac si nunquam ibi fuisset. Eædem arbores læsæ, exigua solum linea in signum miraculi apparente,immunes ab adustione visæ sunt remanere.

Moncadæ in domo Joseph a Campo neptis hospitis Speranza, Assensia dicta,ab exitiali struma in collo afflicta cum fœtore horrendo ex ulceribus manante non solum circumstantibus, sed etiam ipsimet infirmæ intolerabili, facto signo Crucis super parte affecta, & lingua linita a dicto beato Ludovico, veluti a sensibus alienato, & facie ejus luce fulgida remanente, statim ægra convaluit.

Cadaver ipsius quadam veluti chrystallina puritate sic nituit, ut adstantes in ejus virginea carne velut in lympidissimo speculo suosmet vultus fuerint conspicati.

Toto etiam corpore suavissimos odor erumpens non solum proxime vicinos, sed longius dissitos mirifico peregrinæ fragrantiæ oblectamento adhalavit.

Sex circiter mensibus loco humido, ac stillicidiis obnoxio sepultum jacuerat sancti Viri cadaver, quando extractum, ut decentiori tumulo inferretur, integrum, incorruptumque, solis vestibus undique putrefactis, repertum est, iterumque mirabili suaveolentia circumstantes implevit.

Ursulæ Soler filia erat,cui immanes capitis dolores omne capillitium radicitus abstulerant. Medicamentum, quod magis obfuturum ab omnibus timebatur, petitum a lampade, quæ coram beati Viri sepulcro ardebat, hujus oleo perunctum caput puellæ, non solum abactis penitus doloribus integram valetudinem, sed & capillos recuperavit.

Quædam puella oculis orbata ad fontem loci Ruzafa, e quo Beatus bibere solebat, lotis oculis, pristinum eorum usum recuperavit.

Gaspar Ramirez cœcus ad tumulum Sancti novenam peragens, ultimoque die oculos sepulcro cum fide applicans, profluvium crocei humoris emisit ab oculis, ac subito cœcitatis suæ caliginem lætus abstersit.

Lactanti Andrevæ Abreus cum aruissent mammillæ, novena ad sepulcrum Sancti exacta, mox pristinam lactis affluentiam impetravit.

Isabella Johanna Salon cum pluribus annis graviter ulceroso quodam abscessu torqueretur, attactu feretri, quod Sancti cadaver gestaverat, perfectæ sanitatis beneficio potita est.

Isabella Gerbin in supradicto Ruzafa benedicto fonte abluta, simul & febrim & dysenteriam & herniam incolumis abegit.

Anna Monfort, cui paralysis usum membrorum prorsus ademerat, & morbi violentia situm oris fœdissime distorserat, hausto aquæ ex eodem

eodem Ruzafæ fonte, ac invocato sancti Ludovici nomine, tum ipsa valetudini, tum os priori situi restitutum fuit. CONSTIT. XCIII.

Hieronymæ Capell filiolus, rupto peritonæo, forasque extrusis intestinis, jugiter ejulans, & sanguinem vomens, ubi tandem a matre ad fontem Ruzafæ pannis in eo madefactis intinctus fuit, integre sanus domum reportatur. A. D. 1671.

Vincentia Morell vidua ex nervorum dira attractione per undecim menses decumbens; fœdisque ulceribus undique plena, dum panno, quo Sanctus usus fuerat, nervos & ulcera successive obsignat, eodem ordine & hæc sanari, & illos vivide sensit explicari, finitaque singulorum obsignatione, vegeta lectum reliquit.

Cum in conventu sancti Honuphrii Priorem agens, reficiendæ religiosorum communitati panes deesse adverteret, Christi in deserto providentiam imitatus, septem fragmenta, quæ solum domi superfuerant, arripuit, eaque solo benedictionis impendio sic multiplicavit, ut non tantum in prima mensa Fratribus triginta & amplius in prandium abunde suffecerint, sed etiam reliquos in secunda mensa congrue saturaverint.

Johanni de Pedevera domestico Valentini Archiepiscopi famulo delapsum ex alto pondus gravissimum ita utrumque crus diffregerat, ut per novem menses aliter, quam grallis innixus, moveri non potuerit. In his ægerrime usque ad sancti Viri sepulcrum accedens, fusa oratione, confestim in pedes exiliit, grallisque inibi relictis domum incolumis repedavit.

Isabella Vincentia Pujades acuta febri medullitus exusta, jamque a medicis derelicta, morti appropinquabat. Sed ad contactum rosarii, quod sancto Ludovico, dum vixit, usui fuerat, subito, mirantibus quoquot aderant, febris abscessit.

His aliisque non paucis virtutibus ac signis permotus felicis recordationis Paulus V. prædecessor noster servum Dei Ludovicum catalogo beatorum adscripsit. Exinde aliis processibus rite confectis approbata insuper fuere miracula, quæ subsequuntur.

Primum incorrupti sacri corporis post annos fere octoginta ab ejus sepultura, tametsi nunquam interea fuisset aut exenteratum aut ullis adversus corruptionem condimentis imbutum; nihilominus cum anno millesimo sexcentesimo quadragesimo septimo transferebatur in pretiosius monumentum, & anno millesimo sexcentesimo sexagesimo primo, dum a judicibus, auctoritate Apostolica delegatis visebatur, adhuc integrum, illæsum, atque tractabile inveniebatur.

Secundum in repentina sanatione pueruli Aloysii Vincentii Montesinos, qui ardentissima correptus febri, exhaustus dysenteria & vomitibus, scaturiens vermibus, jamque costulis stomacho adnatis, eo deductus erat, ut domesticis plane videretur extinctus, unde mortualibus involucris obfasciatus parabatur ad sepulturam; at mœstissimus parens facto ad sancti Ludovici tumbam recursu, atque ibidem emisso voto, cum festinus domum revertitur, filioli pulsum explorans, vitæ indicium reperit, statimque puer oculos aperiens ex integro sanus deprehenditur.

Tertium in stupenda præservatione quadriennis puellæ Gesualdæ Gildæ Ramirez, quam currus, mole carbonum onustus, rapidoque sex mulorum tractu celer obterendam humi dejecerat, ac duabus rotis substratam valide opprimebat; sed implorato sancti Ludovici præsidio

CONSTIT. XCIII. A. D. 1671. surrexit incolumis puella, & in evidentiam miraculi apparuerunt in ejus capite, collo & humeris clavorum signa a rotis leviter impressa.

Quartum in Bartholomæo Christophoro Dominguez, quem deformis hernia pendulis intestinis adeo laxaverat, ut sicubi in genua procumberet, scrotum ulceribus jam erosum ac putrescens humum tangeret; sed ad invocationem sancti Ludovici tota hæc miselli calamitas illico evanuit.

His & aliis deductis, approbatisque miraculis emanavit decretum a piæ memoriæ Clemente IX. etiam prædecessore nostro, posse tuto deveniri ad solemnem prædicti Beati canonizationem: pro qua obtinenda accesserunt carissimorum in Christo filiorum nostrorum Leopoldi I. Romanorum Regis in Imperatorem electi, & Caroli II. Hispaniarum Regis, necnon & ordinis Prædicatorum preces, quibus a prædictis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, & a nobis eamdem sæpius postulaverunt. Quapropter ejus vitæ sanctissimæ meritis exigentibus, & ad prædictorum preces inclinati, cum jam nihil deesset eorum, quæ ad hanc sacrosanctam functionem necessario, ex sanctorum Patrum auctoritate, sacrorum canonum decretis, S. R. E. antiqua consuetudine, ac novorum decretorum præscripto agenda & servanda requirebantur, justum & debitum esse censentes, ut, quos Deus honorat in cœlis, nos venerationis officio laudemus & glorificemus in terris, hodie in sacrosancta basilica beati Petri principis Apostolorum, in qua solemni ritu cum ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, ac dilectis filiis Romanæ curiæ Prælatis, officialibus & familiaribus nostris, clero sæculari & regulari, ac maxima populi frequentia mane convenimus, post trinas pro canonizationis decreto nobis nomine dicti Caroli Regis per dilectum filium nostrum Ludovicum Tituli sanctæ Sabinæ S. R. E. Presbyterum Cardinalem de Portocarrero pro parte ejusdem Regis porrectas petitiones, post sacros hymnos, litanias, aliasque preces, Spiritus sancti gratia rite implorata;

Ad honorem sanctissimæ & individuæ Trinitatis, ad exaltationem sanctæ fidei catholicæ & christianæ religionis augmentum, auctoritate Domini nostri Jesu Christi, beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra, matura deliberatione præhabita, & divina ope sæpius implorata, ac de venerabilium fratrum nostrorum ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum in Urbe existentium consilio, beatum Ludovicum Bertrandum, Sanctum esse decrevimus & definivimus, ac Sanctorum catalogo adscripsimus, prout præsentium tenore decernimus, definimus & adscribimus, statuentes, ab Ecclesia universali quolibet anno die decima Octobris memoriam ejus inter sanctos Confessores non Pontifices pia devotione recoli debere, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen.

Eadem auctoritate omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus & confessis, qui annis singulis in die festo ipsius sancti Ludovici ad sepulcrum, in quo ejus corpus requiescit, visitandum accesserint, septem annos & totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis, misericorditer in Domino relaxavimus in forma Ecclesiæ consueta.

His peractis Deum Patrem æternum, Regemque gloriæ Christum Dominum Patris sempiternum Filium, & sanctum Paraclitum Spiritum, unum Deum, unumque Dominum laudibus & confessionibus vene-

venerati, facroque hymno, *Te Deum*, folemniter decantato, peculiari in honorem beati Ludovici oratione precati fumus per ejufdem merita, atque ad altare fancti Petri Apoftoli miffam celebravimus cum ejufdem Sancti commemoratione, omnibufque Chriftifidelibus, tunc præfentibus, plenariam omnium peccatorum fuorum indulgentiam & remiffionem conceffimus. CONSTIT. XCIII. A. D. 1671.

Æquum igitur eft, nos gratias agere & laudare Deum Patrem omnipotentem, qui fervum fuum benedixit in omni benedictione fpirituali, ut effet fanctus & immaculatus coram ipfo, & dedit illum univerfis Chriftifidelibus, tanquam fulgentem lucem in hac nocte peccatorum & tribulationum noftrarum, ut Ecclefiæ pacem & tranquillitatem, principibus chriftianis optatam concordiam, & infidelibus a via falutis errantibus lumen veritatis obtineat. Adeamus igitur cum fiducia thronum divinæ pietatis, ore & opere fupplicantes, ut fanctus Ludovicus, univerfo chriftiano populo profit meritis & exemplis, precibus adfit ac patrocinio; & in tempore iracundiæ fiat reconciliatio.

Ceterum quia difficile foret, præfentes noftras literas ad fingula loca, ubi opus effet, deferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impreffis, manu tamen publici notarii fubfcriptis, & figillo alicujus perfonæ in dignitate ecclefiaftica conftitutæ munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ ipfis præfentibus adhiberetur, fi effent exhibitæ vel oftenfæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noftri decreti, definitionis, mandati, ftatuti, conceffionis, elargitionis & voluntatis infringere, vel ei aufu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præfumpferit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apoftolorum ejus fe noverit incurfurum.

Datum Romæ apud fanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millefimo fexcentefimo feptuagefimo primo, pridie Idus Aprilis, pontificatus noftri anno primo.

✠ Ego Clemens Catholicæ Ecclefiæ Epifcopus.

✠ *Ego Francifcus Epifcopus Oftienfis Cardinalis Barberinus S. R. E. Vicecancellarius.*

✠ *Ego Francifcus Maria Epifcopus Portuenfis Cardinalis Brancatius.*

✠ *Ego Uldericus Epifcopus Tufculanus Cardinalis Carpineus.*

✠

✠

✠ *Ego Virginius Epifcopus Albanenfis Cardinalis Urfinus.*

✠

✠ *Ego Cæfar Presbyter Cardinalis Fachenetus.*

✠

✠

✠ *N. Tituli fanctæ Mariæ Tranftiberim Presbyter Cardinalis Ludovifius.*

✠ *Alderanus Tituli fanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis Cybo.*

✠ *Fridericus Tituli fancti Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis Sfortia.*

certitudinem assequutus, beatum virum hujus voti cum suis alumnis compotem effectum, illibatæ vitæ tenorem ad extremum usque spiritum perduxisse, atque ex heroicis virtutibus, quibus cumulatus & insignibus miraculis, quibus in vita & post mortem clarificatus fuerat, gloriose cum eo in cœlis regnare, cujus honorem in terris zelatus fuerat; solemni ritu eumdem inter sanctos Confessores adscripsit, illiusque vitam, virtutes & miracula, necnon actorum seriem ad majorem Dei gloriam, & Christifidelium ædificationem summatim recensere decreverat. Quod cum nec ipse, nec similis recordationis Innocentius Papa XI. & Alexander Papa VIII. ejus successores, nostri autem prædecessores, morte præventi, hactenus peregissent, ne tam pia & exemplaris memoria unquam obliteretur, sed Apostolico roborata testimonio sincere & veridice conservetur in ævum, sequentem narrationem præsentibus literis duximus committendam.

Natus est beatus Cajetanus Vicentiæ, clara Venetæ ditionis civitate, circa annum reparatæ salutis millesimum quadringentesimum octogesimum, parentibus comite Gaspare Thienæo & Maria Porto, ambobus genere præclaris: quem mox, ut enixa est mater, Deiparæ Virgini obtulit, commendavitque: cujus vota benigne suscipere ipsa Deipara visa est, eum semper in posterum specialibus favoribus munerans, ipseque vicissim, ut matrem, illam tenerrimo quodam affectu sæpe compellans, ad ejus patrocinium in arduis omnibus confugiebat, pietati a primis annis addictus, oratione, eleemosynis, aliisque piis operibus animum instruebat, cunctorum oculos in se rapiens mirum in modum, adeout ex tunc Sanctus ab omnibus nuncuparetur.

Aliis studiis emensis, pontificii, & cæsarei juris prudentiæ operam dedit, fuitque utriusque laurea Patavii insignitus: quique adhuc puer in extruendis aris, sacrisque imaginibus exornandis totus fuerat, postmodum adolescens, ut oppidanorum commodo ac pietati serio prospiceret, beatæ Mariæ Magdalenæ ædem una cum germano fratre in proprio Thienæorum pago, quem Rampazum dicunt, a fundamentis extruxit, censuque ad sacra facienda dotavit. Adeo animarum sitiebat salutem, ut eam ob rem etiam corporum male habentium servitio se in nosocomiis manciparet, ac per istiusmodi caritatis officia ægros ad patientiam, Dei amorem, peccatorum suorum expiationem, ac supernæ patriæ desiderium excitabat, nil intactum relinquens, quo Deo animas lucrifaceret, dictus propterea venator animarum. Hinc novum Vicentiæ nosocomium erexit; hinc Venetias confessarii monitu, e cujus ore, nutuque pendebat, ire contendit ad magni, ut vocant, Incurabilium valetudinarii curam suscipiendam. Hinc Romæ ac Neapoli, quo successu temporis eum contigit perrexisse, eadem animo voluebat, ac ea sollicitudine tenebatur, ut nimirum corporum simul & animarum saluti consultum iret, infirmorum calamitatem utrinque leniens: quo factum est, ut grassante Venetiis pestilentia, ea contagione laborantibus propriis ipse manibus Inservire, ac vilissima quæque munia prompto animo aggredi non formidaret.

Romam inde profectus, & recolendæ memoriæ Julio Papæ II. etiam prædecessori nostro in primis carus, inter Protonotarios, ut vocant, participantes adscitus est. Verum postea sæcularium rerum pertæsus, abdicatisque omnibus, ad sodalitium *divini amoris*, quod eo tempore solidæ pietatis fama celebre in Urbe erat, aufugiens, in eo adscribi suppliciter petiit. Voti compos factus, mirum est, quantum in virtutum

omnium

CONSTIT. XCIV. A. D. 1691.

omnium æmulatione ceteros antecelleret, quantumve divinæ illius flammæ ardore flagraret. Inde sacris initiatus, & in patriam post aliquot dies reversus, conceptum cœlitus ignem in eam visus est intulisse, nil magis cupiens, quam, ut eodem civium corda succenderet. Etenim relicta paterna domo, ad ægrotantium publicum hospitale divertit, atque inter infimæ plebis homines in oratorio sancti Hieronymi, quod postea ab *divino amore* voluit dictum, mutuato nomine a Romano illo, cui ipse primum nomen dederat, cuique hoc aggregandum curavit, alterius spiritum in alterum transfundere satagebat, id semper habens in votis, ut lapsos fidelium mores, qua verbo, qua exemplo corrigeret, atque animos ad Dei amorem inflammaret. Præ ceteris id assequutus est, ut sacramentorum frequentem usum in sodales primum, dehinc in alios ferventioris spiritus introduceret, magno cum eorum compendio, qui elutis animæ sordibus ad cœleste epulum accedebant: quod propriis ipse manibus sæpe illis ministrans, identidem ad ejusdem amorem ac sitim ignitis plane eloquiis, lacrymarum vi, ac suspiriis incendebat.

Verum Romam reversus, inito cum similis memoriæ Paulo Papa IV. etiam prædecessore nostro, tunc in minoribus constituto, & Johanne Petro Carafa nuncupato Episcopo Teatino, consilio de restituendo ad pristinam formam clero, cogitare cœpit. Quare illo adjutore, accitisque duobus aliis eximiæ pietatis viris ex præfata *divini amoris* de Urbe sodalitate, Bonifacio nempe a Colle nobili Alexandrino, & Paulo Consiliario Romano, Clericorum regularium ordinem ad Ecclesiæ primitivæ normam instituit, seu potius instauravit: qui videlicet ad eorum morem, quibus cor unum & anima una fuisse legitur, abdicata rerum omnium temporalium cura, ipsaque emendicandi sollicitudine, ex solis eleemosynis sponte oblatis viverent, Deique omnipotentis misericordiam expectarent, atque ita pristinam illam Apostolicam vivendi formam ex integro redditam, magno cum ecclesiastici nominis fœnore, hæreticorumque illud temere deprimentium rubore, hic Dei servus in orbem postliminio revocavit, firmavitque Apostolica auctoritate tribus substantialibus votis, legibus & institutis, statui, decorique Clericorum opido consentaneis, ejusdem memoriæ Clemente Papa VII. pariter prædecessore nostro, approbante, ipsoque Dei servo una cum sociis in Vaticano templo hanc regulam publice profitente. Quam quidem vivendi formam visa est non semel divina providentia rebus in arcto positis, miraculis comprobasse, cavitque sedulo Cajetanus, ne quid unquam ea detrimenti caperet, præsertim cum oblatos ultro Neapoli fundos ac census constantissime recusavit, eo objectans Domini verba: *Respicite volatilia cœli: non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cœlestis pascit illa.*

Ut autem præclara servi Dei virtus non in prosperis solum exerceretur, sed in adversis etiam probaretur, tunc præ ceteris eximia ejus æquanimitas enituit, cum in immani illa Urbis direptione a militibus deprehensus, creditusque, ut olim, divitiis abundare, ut eas proderet, sævissime tortus, eam tormentorum vim mira animi tranquillitate ac mansuetudine perpessus est, eoque tandem in teterrimum carcerem cum sociis detruso, accidit, ut quadam die canentem cum ipsis laudes alternatim lætiori voce, ac si in odeo essent, audiret Hispanorum quidam tribunus: qui profecto tantam demiratus alacritatem, tantamque in perferendis malis constantiam, illico, ut relaxarentur,

atque

atque in sui gratiam liberi dimitterentur, a commilitonibus suis enixe petiit, obtinuitque. CONSTIT. XCIV.

Vinculis exsoluti, ad Tiberis ripam tendunt, incerti animi, quo potissimum transmitterent; cumque commeatum & pecuniam non haberent, adfuit divina providentia vel ipsos aggressores interne movens ad stipem ultro, itinerisque viaticum erogandum. Inde venientes ad Ostia Tiberina, Venetum oratorem auspicato offenderunt, in patriam solventem, a quo benigne excepti, & liberaliter habiti, Venetias tandem obtinuerunt. A. D. 1691.

Ibi per annos aliquot Dei famulus commoratus, admirandæ paupertatis & cœlestis plane vitæ famam diffudit: cumque interim exemplares hos Clericos habendi desiderio flagrans Neapolitana civitas, interposita ejusdem Clementis VII. prædecessoris auctoritate id egisset, ut illuc migrare ac domicilium figere per obedientiam arctarentur, profectioni & muneri Cajetanus eligitur, ac novæ illius domus Præpositus postea renunciatur.

Porro ut tanti viri virtutes egregiæ innotescant, præstat eas, ultra superius delibatas, summatim percurrere, quo per viam salutis incedentibus esse valeant exemplo. Ea in primis divinæ caritatis flamma, quam jamdudum in præfato *divini amoris* sodalitio conceperat, æstuabat, ut intra pectoris sinum contineri cor ejus non sustineret. Hinc juges lacrymæ, suspiria, gemitus, ecstases tanti ardoris indicia. Hinc, ut omnes eadem flamma succenderet, discurrebat huc illuc in similitudinem fulguris coruscantis, atque ut amicum præsulem ob negociorum copiam, quibus distinebatur, sacrum quotidie facere omittentem, moneret, Romam advolat vel æstuante Canicula, pioque officio functus, Neapolim illico rediit.

Catholicæ fidei zelo, & ad hæreticorum confusionem ordinem Clericorum regularium instituit, ac plurima hæresum monstra, eorumque latebras sedula inquisitione non semel detexit ac profligavit, ejusdemque fidei ardore absumtus creditur interiisse, cum Tridentinam Synodum a cœptis desistere, & ulterius non progredi tunc videret.

Orationi ita addictus erat, ut quidquid a domesticis negociis, atque animarum procuranda salute, temporis aut otii superesset, orationi & meditationi daret, mane matutinas preces maturius antevertens, ac vespere ad multam noctem orans ante aram maximam elevata in Deum mente transfigeret. Divinam rem facturus, totus in lacrymas effundebatur, seque eo ministerio indignum reputans, magnæ matris, cujus erat obsequentissimus, opem implorabat, ut vivificum agnum ea, qua decebat, devotione susciperet, concipiens dulcissimo quodam mentis obtutu, adesse inibi Deiparam, quæ lectissimum filium prona ac munifica manu porrigeret.

Inter Sanctos, quos patronos ob specialem cujusque prærogativam, atque ad imitandum sibi proposuerat, majori colebat affectu in primis Petrum Apostolorum principem, ceu suæ Congregationis patrem & antesignanum, cui propterea ex sui præscripto nominatim vota solemnia a Clericis regularibus nuncupantur. Andream item Apostolum, & Lucam Evangelistam ob ardens in eisdem desiderium crucis, cujus tessera voluit suum ordinem insigniri. Franciscum etiam Assisinatem ob idem crucis consortium, atque ob paupertatis amorem præcipuo quod am cultu venerabatur.

CONSTIT. XCIV.

A. D. 1691.

Spe in Deum erecta, sollicitudinem omnem projiciebat in eum, ut propterea unicam hanc in Deo fiduciam ordini suo pro latifundio dederit, totusque erat in regni cœlestis inquisitione, animarum sollicitudine, verbi Dei prædicatione, sacramentorum sedula administratione, divini cultus nitore, exactaque sacrorum rituum observantia: quarum quidem rerum peculiare studium suis demandavit, & ejusdem Clementis VII. prædecessoris jussu Breviarii Romani reformationem una cum præfato, tunc in minoribus constituto, Johanne Petro Carafa sodali suo, aggressus est: quæ postea novis curis absoluta in Romano Breviario vulgata est.

Corpori affligando integras quandoque noctes insumebat, ferrea catena & flagris illud diverberando. Cibus illi vulgaris & parcus, ac sæpissime solius panis & aquæ. Somnus brevis, & in stramentitia culcita, cujus decubitum etiam in ultima ægritudine ad extremum usque sustinuit, tametsi medicus in illa decumbentem nimium laborare advertens, adnisus fuisset, ut aliam molliorem admitteret: cui Cajetanus: *me ne*, inquit, *tam molliter emori? Atqui in cinere & cilicio mori debeo, & volo.*

Oculos & linguam ita compescuit, ut integros dies silentio præteriret, & illos semper humi defixos teneret. Nec ullis unquam illecebris potuit animus ejus vinci, aut curiositate molliri: quo factum est, ut si quando prænobiles matronæ eum alloqui vellent, prope accedere non auderent, ni, omni femineo cultu seposito, exteriorem corporis habitum ad Christianæ humilitatis ac modestiæ leges componerent. Quippe angelicam ejus puritatem, gravitatem & modestiam oris, reverebantur: idque singulare in eo fuit, ut adventantes mire raperet ad virginitatis amorem ac cœlibem in cœnobiis vitam capessendam. Quique a diuturnis & inveteratis carnalium cogitationum stimulis vexabantur, ab illis se protinus liberos agnoscebant, ubi primum Dei servo se commendare ex corde aggressi sunt, aut ejus alloquio vel præsentia frui concessum erat. Quare trium mulierum monasteria Neapoli excitavit. Alterum sacrarum virginum sub arctissima Capuccinorum regula; alterum feminarum: quæ pudicitiæ jacturam aliquando passæ, ad portum salutis per pœnitentiam post naufragium confugiebant; & tertium monialium sanctæ Mariæ, de *Sapientia* nuncupatum, institutrice Maria Carafa præfati Pauli prædecessoris sorore, a quo illius regimen servo Dei, ejusque ordini peculiari jure commissum fuit.

Humilitate, demissione animi, ac vilissima sui æstimatione insignis, fratres & agnatos, qui magno cum comitatu, & pompa Neapolim ad ipsum invisendum perrexerant, ne alloqui aut de vultu quidem excipere voluit. Quippe qui ob Christi amorem mundo & pompis ejus jamdudum vale dixisset. Non alio nomine aut titulo se epistolis obsignabat, quam *Cajetani Presbyteri miseri peccatoris*. Abjectissima quæque ministeria vel in sæculo degens capessivit; & quamvis primus ordinis parens foret, ejus tamen regimen assumere non est passus, sed memorato, tunc in minoribus constituto, Johanni Petro Carafæ illud cessit. Defectus corporis ad confusionem pandebat, animi vero dotes, atque a Deo accepta dona pro viribus occultabat. Quod si quando caritate exstimulante quicquam rarum vel insolitum suis a Deo precibus impetraret, sanctorum potius intercessionibus vel lipsanis, aut orationis virtuti tribuebat.

Deni-

Denique obedientia, paupertate, moderatione animi in adversis, prudentia, ceterisque virtutibus ita eluxit, ut constans fuerit multorum opinio, illum sublimioris sanctitatis gradus attigisse, & consuetas metas prætervolasse.

Quibus virtutibus cumulatus, ac laboribus, vigiliis, ærumnis, jugique sui corporis excruciatione fractus, multoque magis morbo ex animi mœrore correptus, quod acta per eos dies in seditionem plebe, graviter Deum offendi cerneret, quodque Tridentinum Concilium, in quo maxime fidebat, interruptum videret, spe sua frustratus, & ad extremum usque, integris tamen sensibus, & vigore animi perductus, Ecclesiæ sacramentis summa pietate ac spirituali gaudio refectus, & veniam a confratribus suis, quos numquam offenderat, deprecatus, in Crucifixi Redemptoris complexu piissime obiit Neapoli die septima Augusti anni millesimi quingentesimi quadragesimi septimi: qua die populares illi tumultus ipsius intercessione, ut creditur, sedati sunt.

Ad corporis, in Ecclesia omnium votis & solatio expositi venerationem ingens populi multitudo confluxit, quæ jamdiu conceptam sanctitatis opinionem multiplici testabatur veneratione, manuum, pedumque deosculatione, ac lacrymis, quas optimi apud Deum intercessoris jactura ultro erumpentes trahebat.

Fama itaque sanctitatis, quæ in vita invaluerat, gloriosius & longe lateque post obitum diffusa, mirum in modum percrebuit, non traditione solum & memoria ejus singularium virtutum; sed excellentia miraculorum, signorum & gratiarum, quibus in vita & post mortem mirificavit Dominus Sanctum suum. Cujusdam enim ex religiosis, Beati instituto addictis, crus alterum ex gravi lapsu sic fuerat effractum, ut medicus, qui adhibita varia remediorum genera, nihil proficere noverat, extremum illius secandi consilium iniisset; sed cum Beatus vir, ut in posterum diem sectio differretur, rogasset, noctu decumbentem adit, ac fasciis detractis in genua procidens, ægrum, ut una secum orationi operam daret, admonuit, eaque breviter absoluta, signo crucis vulnus signavit, & osculatus est, & illo rursus obligato discessit. Reversus mane medicus interrogatum ægrum, doloris omnis expertem audivit, & luxatum crus, solutis fasciis perinde integrum reperit solidumque, ac si numquam afflictum, fractumque fuisset, vix tanti vulneris remanente vestigio.

Comes Georgius Trivultius viginti dierum febri eo fuerat adductus, ut nec cibum, nec aliud quidpiam, quod reficiendæ naturæ ingereretur, retinere, minusque deglutire valeret, pulsuque amisso a medicis morti proximus fuerat proclamatus; sed ab uxore beato Cajetano commendatus, parum jusculi suscepit, retinuitque, & post brevissimam quietem a febre & morbo convaluit incolumis.

Helena Gritti nobilis Veneta per duos fere menses febri continua, magnisque angoribus oppressa, jacebat immobilis, deficiente loquela, ac prorsus desperata a medicis salute, sed intimo cordis affectu ope Cajetani implorata, membrorum vigori & sanitati statim restituitur.

Petrus Francus, qui articulari sinistri brachii dolore molestissimo decem annos laboraverat, quadam die vehementius solito excruciatus, ad Ecclesiam Clericorum regularium confugit, ibique ante Beati imaginem enixas preces effudit, nec mora, sedatur decumanus dolor, & brachium pristina sanitate donatur.

CONSTIT. XCIV.
A. D. 1691.

Franciscus Virga Mediolanensis letali febre decumbens, mortique proximus, admonitus fuit, ut Cajetani opem imploraret: quod ubi peregit, se propulsari, propellique vi quadam a tergo sensit, ut e lecto exiliret. Paruit impulsui, surrexitque nulla mora, incolumis ac si nunquam decubuisset.

Duodecim annos comitiali morbo laboraverat Vienna Musca Vicentina, ea quidem vi, ut viginti quatuor horarum spacio vel ter miserabiliter caderet, & miserabilius binas, ternasque horas singulis vicibus sensibus destituta jaceret. Vovit, orationem Dominicam & salutationem Angelicam ante imaginem Beati se quotidie recitaturam. Votum excepit illico salus, at die quadam post duos menses oblita votum persolvere, rediit illico morbus, sed iterum facessit, cum amplius memoria non exciderit datam fidem liberare.

Catharina Buranella Veneta tres annos excruciata fuerat pessimo quodam ulcere in superiori parte palati, carne ad nares usque perforata, adeo, ut cum misera biberet, vinum per nares excurreret. Invocata ex corde ope Cajetani, ejusque imagine naribus & corrupto ori admota, somnum cœpit, ac mane experrecta, omni se morbo liberam invenit.

Dignamerita Catotia Veneta, quæ tredecim annos aqua intercute laboraverat, vehementi cruciatu correpta, & ceu sibi forent ossa comminuta seu luxata, nullo modo moliri se valens, invocato quadam nocte beato Thienæo, qui sibi radiis circumfusus apparuerat, repente surrexit, omni levata dolore, & integræ incolumitati restituta.

Juliam Crottam puellulam Mediolanensem invaserat, & miserandum in modum vexabat malignus spiritus, qui exorcismis jussus abscedere, se in Ecclesia sancti Antonii ante imaginem beati Cajetani abiturum respondit: quo cum fuisset perducta puella, malignus spiritus, edito a parentibus voto exire adactus, concussam illam, peneque exanimem, prout in sui discessus indicium futurum prænunciaverat, ter Beatum nominans, reliquit.

Hinc sanctitatis fama juxta ac populorum devotione in dies ubique percrebescentibus, cum opportuni processus Apostolica auctoritate confecti, ac post eorundem relationem piæ memoriæ Urbano Papæ VIII. similiter prædecessori nostro a tribus causarum palatii Apostolici auditoribus factam in Congregatione, tunc sacris Ritibus præpositorum S. R. E. Cardinalium, de ejusdem Urbani prædecessoris mandato, citato etiam & audito promotore fidei, ad relationem bonæ memoriæ Antonii, tunc sanctæ Mariæ in Aquiro Diaconi Cardinalis, Barberini nuncupati, per plures sessiones acerrime discussi fuissent: & cognito primum super validitate dictorum processuum, deinde super virtutibus heroicis, & demum super miraculis in vita & post mortem dicti servi Dei ab Altissimo patratis; iidem Cardinales unanimi consensu decrevissent, tuto posse, quandocumque Romano Pontifici placuisset, ad solemnem canonizationem præfati servi Dei deveniri, ac pro parte claræ memoriæ Ferdinandi II. tunc Romanorum Regis in Imperatorem electi, & Ludovici XIII. tunc Francorum Regis Christianissimi, necnon tunc in humanis agentis Ducis & Reipublicæ Venetorum, aliorumque Christianorum Principum, ac etiam tunc existentis Præpositi generalis, & Congregationis Clericorum regularium, Teatinorum nuncupatorum, fuisset eidem Urbano prædecessori humiliter supplicatum, ut interim, donec ad solemnem illius canonizationem deveniretur, idem servus Dei Cajetanus Thienæus *Beatus* nuncupari, atque officium & missa de

eo,

eo, ut infra, celebrari valeret; idem Urbanus prædecessor piis præfatorum votis hujusmodi, & supplicationibus annuens, de eorumdem Cardinalium consilio, ut ipse Dei servus in posterum *Beatus* nuncupari, atque ab omnibus Clericis regularibus ubique existentibus officium de communi confessoris non pontificis in die ejus obitus recitari, & missa celebrari juxta Breviarii & missalis Romani rubricas, etiam per sacerdotes regulares & sæculares ad eorum Ecclesias confluentes; in civitate vero Vicentina, ubi natus fuerat, & Neapolitana, ubi sacrum ejus corpus requiescit, in omnibus Ecclesiis, tam sæcularium, quam regularium missa & officium, ut supra, celebrari & recitari valeret; ac pro tunc decurrente anno, dicti Præpositus generalis & Clerici solemnem beatificationem cum officio & missa in die eis benevisa hic Romæ in Ecclesia beati Andreæ de Valle, necnon alii ad illam confluentes, celebrare libere & licite possent, per suas in forma Brevis desuper die septima Octobris millesimi sexcentesimi vicesimi noni expeditas literas, licentiam & facultatem concessit.

Verum editis deinde novis decretis ejusdem Urbani prædecessoris, siluit causa, donec super ejus reassumptione a felicis recordationis Innocentio Papa X. etiam prædecessore nostro signata fuisset commissio, confectisque novis processibus super iis, quæ post indultam venerationem supervenerant, prævia memoratæ Congregationis declaratione emissa, die vicesima nona Novembris millesimi sexcentesimo quinquagesimi octavi, quod de percrebescentia famæ, venerationis & cultus erga præfatum Beatum virum concludenter constabat; in Congregatione coram eodem Clemente X. prædecessore die undecima Novembris millesimi sexcentesimi septuagesimi habita, referente bonæ memoriæ Friderico tunc Tituli sancti Petri ad Vincula Presbytero Cardinali, Sfortia nuncupato, idem Clemens prædecessor de venerabilium fratrum nostrorum, tunc suorum, S. R. E. Cardinalium iisdem sacris ritibus præpositorum consilio, de præfatorum processuum relevantia constare pronunciavit, & ex novem tunc propositis & discussis miraculis, tria, tanquam, concludentissime probata, & supra naturæ creatæ vires patrata, approbavit.

Primum siquidem processus Liciensis sanationis Franciscæ de Core a cancro, exorto in vola manus sinistræ, mox exulcerato, gangræna invaso, & in sphacælum converso cum brachii & partium cordi adjacentium infestatione, nil prorsus juvantibus humanis remediis, frustulorumque putridæ carnis, inde facta erosione, ponderis unciarum quinque, absque ullo infirmæ dolore, itaut chirurgus sequenti mane vellet ei manum abscindere, & brachium ustione curare; sed præcedenti nocte, uncta manu oleo lampadis beati Cajetani, cui sese toto corde commendaverat, postmodum se sanam & incolumem, manumque jam emortuam & fœtentem vivificatam absque ullo cicatricis signo comperit, non absque omnium admiratione.

Secundum, quod est quartum ex eodem processu, Josephi de Ajello, qui cum quatuordecim annorum spacio laborasset cancro exulcerato, *Lupa* nuncupato, in sinistra coxendicis parte posteriori, qui tribus digitis distans a genu incipiebat, & ad inguinem extendebatur, quatuor digitis in latitudinem progrediens, & tribus in profunditatem, carnem ipsam erodens & depascens, putridus insuper ac fœtens, invocata ope Beati, unctaque coxendice oleo lampadis, ante ipsius aram ardentis, sanus & incolumis visus fuit absque ullo cicatricis vestigio, pelle siquidem exten-

CONSTIT. XCIV.

A. D. 1691.

extensa & æquata, naturali insuper colore prædita, ac si tali morbo nunquam invasus fuisset.

Tertium denique, quod est primum processus Romani, Nicolai filii Ducis Gasparis Caffarelli, qui febri maligna correptus, convulsione cum intensione & extensione manuum, pedum & trunci totius corporis, instar Sirenis, thoracis musculis convulsis, absque loquela, aliisque infirmitatibus & symptomatibus letalibus oppressus, viribus consumptus, & a medicis proclamatus, veluti eademmet nocte vigesima nona suæ infirmitatis moriturus. Emisso tandem voto dicto Beato, qui illi, radiis & splendoribus circumfusus apparuit, statim & in continenti sanus, incolumis & robustus compertus est cum omnimoda virium recuperatione æque ac si hujusmodi morbis numquam laborasset, medicis, ceterisque illud admirantibus, & Deum mirabilem in servo suo collaudantibus.

Quapropter eadem Congregatio accitis iterum consultoribus, censuit unanimi voto, sic annuente eodem Clemente prædecessore, posse quandocumque ad solemnem dicti Beati canonizationem juxta ritum dictæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac sacrorum canonum decreta tuto deveniri, eumque cum Deo regnantem definiri, & universali Ecclesiæ colendum, & venerandum proponi.

Accedentibus itaque carissimorum in Christo filiorum nostrorum, tunc suorum Leopoldi Romanorum Regis, in Imperatorem electi, Caroli Hispaniarum Regis Catholici, & Mariannæ Reginæ viduæ, ejus matris, necnon tunc in humanis agentis Ducis & Reipublicæ Venetorum, ac bonæ memoriæ Ferdinandi Mariæ, dum vixit, utriusque Bavariæ Ducis, Romani Imperii principis Electoris, & Adelaidis ejus conjugis, aliorumque Principum Christianorum, necnon tunc existentis Præpositi generalis Clericorum regularium, nomine totius ordinis, ac demum civitatis Neapolitanæ precibus; postquam præfatus bonæ memoriæ Antonius, tunc Episcopus Prænestinus, Cardinalis Barberinus nuncupatus, vice similis memoriæ Martii Episcopi Portuensis Cardinalis, Ginetti nuncupati, memoratæ Congregationis præfecti, morbo tunc detenti, summam processus, suamque & aliorum suorum collegarum dictæ S.R.E. Cardinalium sacris ritibus præpositorum, sententiam, cui ceteri in eodem consistorio præsentes Cardinales unanimi adhæserunt suffragio, retulerat; & in sequenti publico consistorio, quo præter Cardinales præfatos, etiam supradicti Patriarchæ, Archiepiscopi & Episcopi, in Urbe commorantes, ac dilecti filii Romanæ curiæ Prælati, ipsiusque Clementis prædecessoris familiares convenerant, dilectus etiam filius magister Marcellus Severolus, nostræ tunc suæ, consistorialis aulæ advocatus, de beati viri vita, virtutibus & miraculis dixerat, ac præfatorum Leopoldi Romanorum Regis, in Imperatorem electi, Caroli Hispaniarum Regis Catholici, tunc in humanis agentis, Ducis & Reipublicæ Venetorum, & ordinis Clericorum regularium supplices preces instauraverant, idem Clemens prædecessor ejusmodi preces perlibenter excepit, quibus supremi sanctitatis honores Beato viro expetebantur; & sicut gavisus summopere fuit, excitatum eidem triumphum animadvertere in obsequiis principum & in veneratione populorum, ita jure merito fore confidit, ut imitari non pigeret, quem celebrare delectabat. Quia tamen in maximi momenti negocio illius erat exploranda voluntas, qui Sanctorum principatum tenet, omnes idcirco & singulos hortatus fuit ex animo, ut precationibus, jejuniis, elee-

eleemosynis, ceterisque eximiæ pietatis operibus difficillimam illam ad investigationem auxilium eidem de Sancto comparare contenderent, sine quo impervia sunt mortalium oculis consilia divinitatis. Quin etiam sententiam præfatorum venerabilium fratrum nostrorum, tunc suorum, S. R. E. Cardinalium, necnon Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum omnium, tunc in Urbe commorantium, ad rem in terris cœlestem consultissime decernendam, exquisivit: qui in sequenti consistorio semipublico, ad hunc effectum indicto, præsentibus etiam nostris, tunc suis, & Sedis Apostolicæ notariis, & causarum palatii Apostolici auditoribus ex iis, quæ ab eo proposita, & ex processu relata fuerunt, ad solemnem canonizationem beati Cajetati posse procedi, publicis suffragiis censuerunt.

Quorum unanimi sensu audito, cum nihil aliud desideraretur eorum, quæ ex sanctorum Patrum auctoritate, sacrorum canonum institutis, præfatæ S. R. E. consuetudine, ac novorum decretorum præscripto agenda & observanda erat; idem Clemens prædecessor aperiens os suum in benedictione & gratias agens divinæ clementiæ, quod tantam suo servo gratiam contulisset, solemni illius canonizationi peragendæ Dominicam secundam post Pascha, nempe duodecimam diem tunc immediate sequentis mensis Aprilis anni reparatæ salutis millesimi sexcentesimi septuagesimi primi, ac primi pontificatus sui, designavit. Qua adveniente, in sacrosancta beati Petri Apostolorum principis basilica, quo solemni ritu cum venerabilibus fratribus nostris, tunc suis, ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, & dilectis filiis dictæ Romanæ curiæ Prælatis, officialibus & familiaribus suis, clero sæculari & regulari, ac maxima populi frequentia mane convenerat, iteratis primo, secundo & tertio pro canonizationis decreto instantiis per venerabilem fratrem nostrum Palutium Episcopum Sabinensem, tunc Basilicæ XII. Apostolorum Presbyterum Cardinalem, de Alteriis nuncupatum, nomine præfatorum Leopoldi Romanorum Regis, in Imperatorem electi, Caroli Hispaniarum Regis Catholici, & tunc existentis Ducis & Reipublicæ Venetorum, post sacros hymnos, litanias, aliasque preces, ac post Spiritus sancti gratiam rite imploratam;

Ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicæ & christianæ religionis augmentum, auctoritate Domini nostri Jesu Christi, beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac sua, matura deliberatione præhabita, & divina ope sæpius implorata, ac de præfatorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum tunc in Urbe existentium consilio, beatum Cajetanum una cum beatis Francisco Borgia, Philippo Benitio, Ludovico Bertrando & Rosa de sancta Maria, Sanctum esse decrevit & definivit, ac Sanctorum catalogo adscripsit, statuens, ab Ecclesia universali quolibet anno die septima Augusti memoriam ejusdem inter sanctos Confessores non Pontifices recoli debere, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen.

His peractis Deum Patrem æternum, Regemque gloriæ Christum Dominum Patris sempiternum Filium, & sanctum Paraclitum Spiritum, unum Deum, unumque Dominum laudibus & confessionibus veneratus, sacroque hymno, *Te Deum*, solemniter decantato, peculiari oratione etiam per beati Cajetani merita precatus fuit, atque ad altare beati Petri Apostoli cum ejusdem beati Cajetani commemora-

tione

CONSTIT. CXIV. A. D. 1691.

tione celebravit, omnibusque Christifidelibus, inibi præsentibus, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem concessit. Visitantibus autem quotannis in die festo ejusdem sancti Cajetani sepulcrum, in quo ejus corpus requiescit, septem annos & totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis, misericorditer in Domino relaxavit in forma Ecclesiæ consueta.

Ne autem de decreto, definitione, adscriptione, statuto, concessione, relaxatione, aliisque præmissis ex eo, quod super illis ipsius Clementis prædecessoris literæ confectæ non fuerint, valeat quomodolibet hæsitari; volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, quod decretum, definitio, adscriptio, statutum, concessio, relaxatio, aliaque præmissa a dicta die duodecima Aprilis anni millesimi sexcentesimi septuagesimi primi, suum consequantur effectum, ac si super illis ipsius Clementis prædecessoris literæ sub datum ejusdem diei confectæ fuissent, prout superius enarratur: quodque præsentes literæ ad probandum plene decretum, definitionem, adscriptionem, statutum, concessionem & relaxationem, aliaque præmissa, ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Ceterum quia difficile foret, præsentes nostras literas ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum voluntatis & decreti infringere, eique ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo primo, Idibus Julii, pontificatus nostri anno primo.

✠ Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

✠ *Ego Alderanus Episcopus Ostiensis Cardinalis Cybo.*
✠ *Ego Flavius Episcopus Portuensis Cardinalis Chisius.*
✠ *Ego Jacobus Episcopus Tusculanus Cardinalis Franzonus.*
✠ *Ego Palutius Episcopus Sabinensis Cardinalis de Alteriis S. R. E. Camerarius.*
✠
✠
✠ *Ego Franciscus Tituli sanctæ Mariæ in Via Presbyter Cardinalis Maidalchinus.*
✠ *Ego Carolus Tituli sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Barberinus.*
✠
✠
✠
✠
✠ *Ego Nicolaus Tituli sancti Calixti Presbyter Cardinalis Acciajolus.*

✠ *Ego*

✠ *Ego Gaspar Tituli sanctæ Mariæ Transtiberim Presbyter Cardinalis de Carpineo.* CONSTIT. XCIV.

✠ *Ego Cæsar Tituli sanctissimæ Trinitatis in monte Pincio Presbyter Cardinalis d'Estrees.* A. D. 1691.

✠

✠

✠

✠ *Ego Franciscus Tituli sancti Matthæi in Merulana Presbyter Cardinalis Nerlius.*

✠ *Ego Hieronymus Tituli sancti Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Casanate.*

✠ *Ego Galeatius Tituli sanctorum Quirici & Julittæ Presbyter Cardinalis Marescottus.*

✠ *Ego Fabricius Tituli sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis Spada.*

✠ *Ego F. Thomas Hovardus Tituli sanctæ Mariæ super Minervam Presbyter Cardinalis de Norfolcia.*

✠ *Ego Johannes Baptista Tituli sanctæ Ceciliæ Presbyter Cardinalis Spinula.*

✠

✠ *Ego Savus Tituli sancti Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis Millinus.*

✠

✠ *Ego Frater Laurentius Basilicæ sanctorum XII. Apostolorum Presbyter Cardinalis de Lauræa.*

✠ *Ego Jacobus Tituli sanctæ Mariæ de Aracœli Presbyter Cardinalis de Angelis.*

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠ *Ego Johannes Tituli sancti Petri in Monte Aureo Presbyter Cardinalis de Goessen.*

✠

✠ *Ego P.M. Tituli sancti Marcelli Presbyter Cardinalis Petruccius.*

✠

✠

✠

✠ *Ego Joseph Saens Tituli sanctæ Balbinæ Presbyter Cardinalis de Aguirre.*

✠ *Ego Leander Tituli sanctorum Nerei & Achillei Presbyter Cardinalis Colloredus, major Pœnitentiarius.*

✠ *Ego F. Tituli sanctorum Johannis & Pauli Presbyter Cardinalis Carafa.*

✠ *Ego Bandinus Tituli sancti Thomæ in Parione Presbyter Cardinalis Panciaticus.*

✠

✠ *Ego F. Tituli sancti Clementis Presbyter Cardinalis de Abdua.*

✠ *Ego Tussanus Tituli sanctæ Agnetis extra mœnia Presbyter Cardinalis de Janson de Forbin.*

CONSTIT. XCIV.

A. D. 1691.

✠ *Ego Johannes Baptista Tituli sancti Laurentii in Pane & Perna Presbyter Cardinalis Rubinus.*

✠

✠ *Ego Johannes Baptista Tituli sancti Bernardi Presbyter Cardinalis Costagutus.*

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠ *Ego Fulvius sanctorum Cosmæ & Damiani Diaconus Cardinalis Astallius.*

✠

✠

✠ *Ego Petrus sancti Laurentii in Damaso Diaconus Cardinalis Otthobonus S. R. E. Vicecancellarius.*

✠ *Ego Carolus S. Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis Bichius.*

✠

✠ *Ego Aloysius S. Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis Homodeus.*

✠ *Ego Johannes Franciscus sancti Hadriani Diaconus Cardinalis Albanus.*

✠ *Ego Franciscus sancti Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Barberinus.*

✠ *Ego Laurentius sanctæ Mariæ in Aquiro Diaconus Cardinalis de Alteriis.*

B. Card. Prodatarius. J. F. Card. Albanus.

Visa de Curia J. Sacripantes.

D. Ciampinus.

Loco ✠ plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

N O T A.

Vicetia, alias *Vicentia*, celeberrima urbs Venetorum, protulit *Cajetanum*, familiæ *Thienææ* germen illustre, qui III., viris Clericorum regularium conditoribus, Jo. Petro Carafa Episcopo Teatino, duce, mox summo Pontifice Paulo IV. eorundem Congregationis primarium institutorem, adjunctus, maxima sanctitatis laude floruit. De eo agit Antonius Caracciolus Clericus regularis in Vita *Latina* Pauli IV. ab *Italica*, quam, needum editam, conscripsit, diversa. Agunt etiam Jo. Baptista Tufus & Josephus Silos in Historiis *Clericorum regularium*. Ceterum iidem *Clerici* regulares, vulgo *Teatini*, ab eodem Carafa *Teatis* olim Episcopo, dicti sunt. *Teate* enim Latine, Italice *Chieti* appellatur; unde *Chietini* primitus nuncupati; atque etiamnum apud Venetos viri pii, *Chietini* passim dicuntur: feminæ vero *Chietine*. Carafa enim *Teatinus* olim Episcopus una cum optimis sodalibus suis diu mansit Venetiis, ob religionem magno in honore habitus. Romæ in domo eorundem Clericorum regularium in Quirinali in claustro supra portam, per quam itur in secretarium, exstat hujusmodi inscriptio

PAVLO . IIII. P. O. M.
CONGREGATIONIS
CLERICORVM . REGVLARIVM
INSTITVTORI

Vide Paulum Morigium in Historia ordinum religiosorum cap. LXXVI. vel ejus exscriptorem Ægidium Menagium in Originibus linguæ Italicæ. *V. Teatini*. Quum vero Cajetanus, unus ex quatuor conditoribus, qui, duce Carafa, cœtum Clericorum regularium primi instituerunt, primus ex iisdem Clericis regularibus fuerit, ab Ecclesia Romana in sanctorum canonem relatus, ideo eorundem Clericorum præcipuus apud Deum patronus & primus veluti parens haberi potest.

IDEM

CONSTIT. XCV.
A. D. 1691.

XCV.

IDEM

INNOCENTIUS . XII

Beatum Johannem ab opido ſancti Facundi, vulgo *Sahagun*, in regno & diœceſi Legionenſi, ordinis Fratrum Eremitarum ſancti Auguſtini, per Alexandrum VIII. Pont. Max. Sanctorum confeſſorum canoni adſcriptum fuiſſe promulgat. Obiit Johannes die xi. Junii A. D. 1479.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Rationi congruit & convenit æquitati, ut ea, quæ Romani Pontificis provida deliberatione, ac venerabilium fratrum ſuorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, necnon Patriarcharum, Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, tunc in Romana curia commorantium unanimi conſilio decreta, definita & ſtatuta fuerunt, licet ipſius ſuperveniente obitu literæ Apoſtolicæ deſuper confectæ non fuerint, ſuum debitum conſequantur effectum. Const. XCV. A. D. 1691.

Dudum ſiquidem felicis recordationis Alexander Papa VIII. prædeceſſor noſter pia ſecum conſideratione perpendens, quod glorioſus in majeſtate ſua Unigenitus æterni Patris Filius Chriſtus Dominus & Redemptor noſter, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & veniens in hunc mundum pacem evangelizavit, e cœlorum ſummitate proſpiciens conditionis humanæ dignitatem, ſatis nunquam deplorata miſeria, cui primi parentis culpa dedit initium, deformatam, criminumque tenebris obſcuratam, ineffabili ſemper diſpoſitione providit, ut ſuis apte temporibus exurgerent viri ſanctitate conſpicui, qui hominibus ſeneſcente mundo in pejora ruentibus adjutrices manus porrigerent, & gliſcentium vitiorum ſpinas de Eccleſiæ vinea evellerent, ac tanquam lucernæ inter effuſas peccatorum tenebras viam ad cœleſtem patriam commonſtrarent, & hinc, dum Hiſpania partim Mahumetanæ perfidiæ, & Saracenæ tyrannidis pertinacibus adhuc reliquiis occupata, partim frigeſcente caritate præpotentibus ac pluribus dire præſertim ſimulatis vitiis languebat oppreſſa, ad illuminandas obtenebratas peccatorum mentes, eoſque revocandos ad viam ſalutis & pacis, Johannis, de ſancto Facundo nuncupati, ſpiritum ſuſcitavit, qui in tempore iracundiæ

CONSTIT. XCV. A. D. 1691. factus reconciliatio, ac æmulatus charifmata meliora, ore fimul & opere doceret, quanta erga Deum æftuaret caritate, quanta in proximum dilectione, quantoque contra vitia & diffidia afficeretur odio, factus contra ea declamator acerrimus.

Juftum proinde idem Alexander prædeceffor ratus, ut eximium hunc virum, virtutibus & miraculis præclarum, quem corona, expreffa figno fanctitatis Dominus redimiverat in cœlis, Sanctorum etiam laurea coronaret in terris, operi jamdiu pertractatæ canonizationis ultimam manum admovit, fervatis tamen fervandis, & præviis legitimis proceffibus, quorum fummam juxta memorati prædeceffioris præordinationem ad perpetuam rei memoriam, & Chriftifidelium ædificationem hifce Apoftolicis literis duximus recenfendam, ut fequitur.

In opido fancti Facundi, vulgariter *Sabagun* nuncupati, eaque Hifpaniæ parte, quæ vergit ad Septentrionem, prope diœcefim Legionenfem poft diuturnam matris fterilitatem piis parentum precibus impetratus Johannes circa annum reparatæ falutis millefimum quadrigentefimum tricefimum natus eft. Ut vero fortitus erat animam bonam, pie a parentibus educatus, cœpit ab ipfa pueritia non obfcura dare futuræ fanctitatis indicia.

Præventus enim a Domino in benedictionibus dulcedinis, & inde puerilium pertæfus, ac de pace condifcipulorum follicitus, quæ ad concordiam, bonos mores, pietatem, ceterafque virtutes conferebant, illis proponebat, ejufque zelo fuccenfus, qui linguas infantium facit effe difertas, ubi vel locus, vel faxum prominens occurrebat, mira fupra ætatem facundia concionabatur, innocenti præfignans tirocinio, quantus, quamque proficuus præco altiffimæ veritatis effet futurus.

Ætate & virtute adolefcens humanioribus literis, Philofophiæ & Theologiæ, multoque magis pietati operam dedit apud monachos fanctorum Facundi & Primitivi. Interim vero ordinatus in clericum, beneficio, cui cura animarum imminebat, per vicarium, donec ad presbyteratum promoveretur, regendo, Patre adnitente, præponitur. At evangelicum documentum boni paftoris cognofcentis oves fuas, & ab illis cogniti reformidans, atque inde anxius tum de ovibus, non paftoris, fed mercenarii cuftodiæ, quamvis temporaliter, creditis, tum de fructibus non fuæ, fed interpofitæ perfonæ labore partis, illibatam confcientiam, cujus ftimulis angebatur, non prius, quam eodem beneficio dimiffo, priftinæ tranquillitati reftituit.

Emenfo ftudiorum curriculo inter Epifcopi Burgenfis familiares adfcitus, ea enituit morum honeftate, præclaraque indolis fpecie, ut apud ipfum intimam nactus benevolentiam, & gratia valens, pro omnibus, præfertim pro pauperibus, ad fuum paftorem confugientibus, non inutilis interceffor exifteret. Sacris infignitus ordinibus a memorato Epifcopo, amplo Ecclefiæ Burgenfis canonicatu donatus, poft aurum non abiit, nec fperavit in pecunia & thefauris, fed manum fuum inopi liberaliter aperiens, & palmas fuas extendens ad pauperem, uti fidelis difpenfator & prudens, uberes dicti canonicatus, & aliorum beneficiorum fructus difperfit, dedit pauperibus, ut juftitia ejus maneret in fæculum fæculi.

Nec tamen hic fubftitit ardens ejus Deo placendi & ferviendi defiderium, fed, ut proprium electorum eft ire de virtute in virtutem, ad altiora refpiciens, & Chriftum propter Chriftum, non propter fua quærens, familiari, quo apud præfatum Epifcopum Burgenfem fungebatur mini-

ministerio, canonicatui & beneficiis omnibus abrenuncians, solisque eleemosynis pro missæ sacrificio ad sui sustentationem contentus, ferventius orationi, & attentius sacrorum librorum lectioni animum adjunxit, & ne sibi solum, sed aliis viveret, cœpit verbum Dei magno auditorum concursu, parique profectu in eadem Burgensi civitate annunciare. CONSTIT. XCV. A. D. 1691.

Irrepserat tunc Salmanticæ summa & impunis peccandi licentia, adeoque exarserant potissime inter nobiles intestina odia & pertinacia dissidia, ut inde civitas in efferatas factiones scissa, maxima animorum acerbitate, cædiumque frequentia sæviret, quando æterna majestas caritatem servi sui, ut illuc, tanquam pacis Angelus pergeret, excitavit. Piis ibi operibus, & verbi Dei prædicationi pro viribus, & utiliter plurium annorum spacio addictus, nihil timuit, nihil recusavit, nihil omisit, ut animas e peccatorum cœno eruens, Deo lucrifaceret, & civiles flammas rore pietatis & imbre prædicationis extingueret.

Sed ut Dei virtus in infirmitate Johannis magis eluceret, gravi calculorum morbo corripitur, e quo cum non posset, nisi extremo & ancipiti sectionis remedio, medicorum judicio liberari, in eo, qui sanat omnes infirmitates, confisus, votum vovit, religiosæ vitæ institutum capessendi, si ab eodem gravi morbo, graviorique sectionis discrimine ad majorem Dei gloriam convaluisset.

Exaudivit Dominus deprecationem servi sui, qui pristinæ restitutus sanitati, reddidit Altissimo vota sua, in religionem Eremitarum sancti Augustini, selecto Salmanticensi conventu, ubi regularis disciplinæ strictior observantia vigebat. Annum agens probationis, licet ætate provectus, gradu Baccalaureus, ordine sacerdos tanta enituit humilitate, modestia & obedientia, ut, tanquam lucerna super candelabrum luceret omnibus, qui in domo erant; tirocinium quippe Religionis virtus veterana præcesserat.

Emissa professione, per arduas regularis perfectionis semitas, abnegando semetipsum, jactoque profundo fundamento humilitatis, in sublime virtutum consurrexit, & exinde animarum zelo magis exardens, ac propterea omnia sufferens, omnia sustinens, in Deo, qui perennis caritas est, mansit, & Deus in eo.

Superseminaverat interea humani generis inimicus plura & pejora vitiorum & recrudescentium dissidiorum zizania, ad quæ eradicanda e claustro revocatur Johannes, qui religionis loriça, & Dei virtute præcinctus, pietatis ac pacis inimicos sic in Domino adorsus est, & persequutus, ut non converteretur, donec deficerent. Apostolico spiritu insurgebat in scelera, & fervido simul ac facundo caritatis impetu sic invehebatur in odia, ut surdæ alioquin pacificis consiliis aures, & indurata inveteratis peccatis, & simultatibus pectora non possent resistere sapientiæ & spiritui, qui loquebatur per os ejus. Hinc, ut civium discordias evelleret, aliquorum magis pertinacium odia in seipsum convertit, dum illis vitia exprobrat, prout Spiritus sanctus dabat eloqui. At nullis injuriis revocatus, nullis periculis, vel minis territus unquam potuit a sancto opere dimoveri, sed potius persequutionem patiens propter justitiam, animo semper invicto nunquam fuit promptior, quam inter discrimina, nunquam fortior, quam inter adversitates. Si tamen aliquando divinum verbum seminavit in lacrymis, uberes etiam manipulos plurimarum animarum Deo reconciliatarum in exultatione messuit.

Cum

CONSTIT. XCV.
A. D. 1691.

Cum iis, qui odio habebant pacem, erat pacificus, & Evangelici Samaritani instar fauciatarum animarum misericordia motus, easdem opportune modo compungebat vino acris comminationis divini judicii, modo fovebat oleo sperandæ remissionis peccati. Non e suggestu solum, sed in privatis colloquiis peccatores ad pœnitentiam, & discordes revocavit ad pacem. Natura mitis, aspectu jucundus, eloquio suavis, audientium conciliabat affectus, extinguebat odia, arcebat vindictas, felix mediator pacis, potens intercessor veniæ, strenuusque Salmanticensium dissidiorum dissipator & sedator. Nec mirum, quia divino magisterio instructus, ad aram sacris operans, de iis, quæ ad animarum salutem & dissidentium pacem annuncianda erant, ab ipso Christo Domino erudiebatur.

Muneri concionandi ministerium addebat sacramenti pœnitentiæ, ut qui ab accepta justificationis gratia per peccatum exciderant, Deo reconciliarentur. Impiger operarius in vinea Domini, audiendis confessionibus pœnitentium, qui, fama sanctitatis & experientia caritatis allecti, ad eum jugiter confluebant, gnaviter & proficue incumbebat, alios dulci sermone recreans, alios suavi simul & gravi correctione ad contritionem excitans, & a recidivis lapsibus præmuniens, gnarusque, restitutionem rei alienæ esse actum justitiæ ad salutem necessarium, suspensa interim absolutione, confitentes ad illam peragendam non verbis solum, sed opportunis factis coadjuvabat.

Eodem caritatis impulsu frequenter consolabatur afflictos, invisebat ægrotos & quæsitis eleemosynis inopiam pauperum sublevabat, felix perditarum animarum venator, prostitutarum præsertim mulierum, quas concionibus, cohortationibus, precibus & quæsitis similiter opibus a dœmonis servitute redemptas victimas ab impudicitiis purificatas offerebat Deo in holocaustum acceptabile.

Nec secundum dumtaxat ex duobus mandatis, in quibus universa lex pendet & Prophetæ, dilectionis nimirum erga proximum fideliter servavit, sed multo magis primum & maximum ardentis amoris, quo ferebatur in Deum ex toto corde suo, in tota anima sua, & in tota mente sua. Hinc in sæculo voluntariæ paupertatis studio pinguia beneficia ecclesiastica dimisit, effusus in preces, in Dei meditatione defixus & operibus pietatis addictus, a mundo, ejusque illecebris segregatus vivebat. In claustro autem trium votorum exactissimus cultor, ac virtutum præfulgens exemplar, & quasi cœlestem vitam agens, corpus suum hostiam viventem, & animam sanctam Deo placentem semper exhibuit: & tamen in hac innocentia vitæ & cordis simplicitate singulis diebus non semel salutari pœnitentiæ sacramento magis purificari concupivit, quasi cum Psalmista ad Dominum incessanter clamaret: *Amplius lava me*.

Cum igitur immaculatus ambulasset in lege Domini, & toto corde exquisivisset eum, meruit singulari charismate cœlestis beatitudinis suavitatem in hac vita prælibare. Eo enim fidei & caritatis ardore rapiebatur in Deum in augustissimo missæ sacrificio, ut cœli gaudia prægustans, Christum Dominum sole splendidiorem, & lucidiora stellis vulnera exhibentem intueretur, vivis e fontibus Salvatoris hauriens in gaudio fluenta vitæ & arcana cœli mysteria; unde ab altare post longum temporis intervallum divelli vix poterat, quotidiana discens experientia, quam suavis esset Dominus, ejus mira dulcedine superfusus, quia tunc demum plene satiaretur in gloria Dei: cujus eximii & perfecti doni

doni descendentis a Patre luminum præter plurimos testes & histori- CONSTIT. XCV. A. D. 1691.
cos, omni fide dignus relator & prædicator extitit sanctus Thomas de Villanova, qui post obitum sancti Johannis in eadem religione & præsulatu Valentino suaves virtutum omnium odores effudit.

Postremo cum bonum certamen certavisset, cursum consummavisset, fidem servavisset, sacramentis Ecclesiæ effuso cordis affectu receptis, properans ad coronam justitiæ, die undecima Junii anno reparatæ salutis millesimo quadringentesimo septuagesimo nono pie, sancteque obdormivit in Domino, qui fidelem servum suum miraculis ad ejus intercessionem patratis clarificavit.

Fama igitur sanctitatis, quæ, eo vivente, invaluerat, post obitum in dies excrescente, piæ memoriæ Paulus Papa III. etiam prædecessor noster prævio examine processuum, annis millesimi quadringentesimi octogesimi octavi, & millesimi quingentesimi vicesimi quinti, ordinaria auctoritate factorum, per suas in forma Brevis expeditas literas die vicesima secunda Maji millesimi quingentesimi quadragesimi secundi, confectionem novorum processuum super puritate fidei, sanctitate vitæ & miraculis beati Johannis delegavit, quibus absolutis, & postmodum jussu recolendæ memoriæ Clementis Papæ VIII. pariter prædecessoris nostri, primum per Hieronymum Pamphilium & Johannem Garziam Millinum, tunc causarum palatii Apostolici auditores, deinde per bonæ memoriæ Cæsarem Tituli sanctorum Nerei & Achillei Baronium, Silvium Tituli sancti Salvatoris in Lauro Antonianum, & Robertum Tituli sanctæ Mariæ in Via Bellarminum, nuncupatos, S.R.E. Presbyteros Cardinales, ex quibus Antonianus vitæ & miraculorum relationem exaravit; & demum ad eorumdem Cardinalium relationem in Congregatione Cardinalium, sacris ritibus præpositorum, diligenter recognitis & examinatis; idem Clemens prædecessor piis claræ memoriæ Philippi III. Hispaniarum Regis Catholici, ac Collegii maximi sancti Bartholomæi, necnon Prioris & Fratrum conventus sancti Augustini Salmanticensis, ac Provincialis & Fratrum ejusdem ordinis provinciæ Castellæ, precibus benigne annuens, de supradictorum Cardinalium sacris ritibus præpositorum voto, ut in Ecclesia sancti Augustini Salmanticæ, ubi corpus ejusdem beati Johannis, etiam tunc requiescebat, & summa veneratione asservabatur, officium & missa de communi confessoris non pontificis singulis annis postridie ejus obitum, nempe die duodecima Junii ob festivitatem sancti Barnabæ, in antecedentem diem undecimam cadentem, libere & licite celebrari posset, similibus in forma Brevis literis die decima nona Junii millesimi sexcentesimi primi, datis, indulsit: & hujusmodi indultum idem Clemens prædecessor prius ad universum ordinem Fratrum Eremitarum sancti Augustini, & quascunque domos & Ecclesias tam Fratrum, quam monialium ejusdem ordinis ubique locorum, & postmodum ad omnes Ecclesias tum clericorum sæcularium, tum cujusvis ordinis regularium Salmanticæ, & opidorum de Sagahun, seu sancto Facundo patriæ servi Dei, necnon Cez, patriæ ejus genitricis, aliis in eadem forma Brevis literis sub diebus decima quinta Octobris & vicesima quarta Novembris anni millesimi sexcentesimi tertii, ac demum felicis recordationis Innocentius Papa X. etiam prædecessor noster decreto memoratæ Congregationis Rituum approbato die decima quarta Februarii anni millesimi sexcentesimi quadragesimi septimi, ad omnes Ecclesias civitatis & diœcesis Burgensis extenderunt & ampliarunt.

Magis-

CONSTIT. XCV.
A. D. 1691.

Magisque interim fama sanctitatis & miraculorum percrebrescente, & in vim specialis commissionis, ab ejusdem felicis recordationis Paulo Papa V. pariter prædecessore nostro signatæ, confectis de annis millesimo sexcentesimo vicesimo secundo, & millesimo sexcentesimo vicesimo tertio, binis novis processibus remissorialibus & compulsorialibus in præfatis civitate Salmanticæ & opido de sancto Facundo, cum supervenerint notoria decreta similis recordationis Urbani Papæ VIII. prædecessoris nostri, signata postmodum fuit a memorato Innocentio X. prædecessore commissio reassumptionis causæ in statu & terminis, in quibus reperiebatur, eaque directa præfatæ Cardinalium sacris ritibus præpositorum Congregationi, quæ attentis dictis literis in forma Brevis præfati Clementis prædecessoris super concessione & extensionibus respective indulti officium & missam celebrandi, die vicesima septima Junii millesimi sexcentesimi quinquagesimi primi ad relationem bonæ memoriæ Julii tunc Tituli sanctæ Susannæ Presbyteri Cardinalis, Sacchetti nuncupati, declaravit, constare, cultum beato Johanni exhibitum fuisse, & tunc exhiberi vigore dictorum indultorum Apostolicorum, & propterea hujusmodi casum inter exceptos in decretis ab eodem Urbano prædecessore super non cultu editis comprehendi.

Cumque in eorumdem decretorum exequutionem ex præfatis prioribus processibus ante indultam venerationem peractis plene constitisset de puritate fidei, sanctitate vitæ & virtutibus requisitis ad solemnem canonizationem, quorum relatio olim, ut præfertur, commissa Cardinalibus Baronio, Antoniano & Bellarmino, & a dicto Cardinali Antoniano subscripta exhibita fuit una cum summario testium & actorum desuper confecto, memorata Congregatio Cardinalium sacris ritibus præpositorum die vicesima prima Julii anni millesimi sexcentesimi sexagesimi octavi, ejusdem memoriæ Clemens Papa X. prædecessor noster, Petro Tituli sancti Calixti Presbytero Cardinali, Vidono nuncupato, referente, censuit, procedendum esse ad ea, quæ post venerationem supervenerant, si placuisset piæ memoriæ Clementi Papæ IX. etiam prædecessori nostro, qui facta prius prædictorum relatione, eadem die benigne annuit.

Quare in Congregatione coram ejusdem memoriæ Clemente Papa X. similiter prædecessore nostro habita die octava Martii anni millesimi sexcentesimi septuagesimi secundi, ad relationem præfati Cardinalis Vidoni discusso dubio de iis, quæ post indultam beato Johanni venerationem supervenerant. Idem Clemens X. prædecessor consultoribus prius auditis de venerabilium fratrum nostrorum, tunc suorum, S. R. E. Cardinalium, iisdem sacris ritibus præpositorum consilio, decrevit, ex dictis posterioribus processibus, in eadem sacra Congregatione die vicesima quinta Septembris anni millesimi sexcentesimi sexagesimi tertii examinatis & approbatis, constare de eorum relevantia, nempe continuatione famæ sanctitatis, devotionis populorum & miraculorum, & percrebrescentia cultus & venerationis, ac ex octo inter plura selectis duo miracula concludentissime probata esse declaravit. Primum scilicet Elisabethæ Gomez de la Roccha, quæ cum cancro in mammilla sinistra per sesquiannum inveterato, & in molem insignem aucto, & altero subtus brachium in latere sinistro prope cor, medicorum judicio insanabilibus laborasset, post accessum ad sepulcrum ejusdem Beati, illiusque invocationem, necnon post confessionem sacramentalem & susceptionem sanctissimæ Eucharistiæ, ac impositionem habitus illius super mammillam mane sequenti iterata Beati invocatione, sana & in-

& incolumis a prædictis cancris & acutis, quibus afficiebatur, doloribus, absque ullo signo seu vestigio prædictæ infirmitatis comperta est. Et quartum Emmanuelis de Castello gibbosi per triennium ex ruptura spinæ dorsi ob lapsum e scala, dum erat novennis: qui cum propterea cogeretur curvatus medio corpore manibus super genua appositis, & cum adjutorio sustentaculi sic incedere, ut, se erigere volens, cum impetu procideret, ductus a matre ad sepulcrum Beati, ut novemdialibus precibus imcumberet, illuc ingressus, ab ingentibus, quos patiebatur doloribus, & ab incurvatione sanus evasit, consolidatis nimirum vertebris disruptis, cruribusque sic corroboratis, ut domum maternam veloci gressu redierit, sustentaculum in altum gerens: ac demum etiam a gibbositate convaluit postquam denuo a matre in capellam Beati ductus, Evangelium in fine missæ lectum, audivit, permanente tamen osse elevato, ubi prius erat gibbosus. CONSTIT. XCV. A. D. 1691.

Quapropter eadem Congregatio audito prius in voce & in scriptis Fidei promotore, & accersitis denuo consultoribus, communi omnium voto censuit, eundem Clementem X. prædecessorem, quandocumque sibi visum fuisset, posse ad solemnem ejusdem beati Johannis de sancto Facundo canonizationem, juxta sanctæ Romanæ Ecclesiæ ritum & sacrorum canonum decreta, devenire, eumque Sanctum cum Deo regnantem definire, atque ab universali Ecclesia colendum & venerandum proponere.

Verum prædefunctis interim eodem Clemente X. ac similis memoriæ Innocentio Papa XI. etiam prædecessoribus nostris, solemni adhuc canonizatione non expleta, cum aliæ preces memorato Alexandro prædecessori a carissimo in Christo filio nostro Carolo II. Hispaniarum Rege Catholico, necnon a pluribus venerabilibus fratribus nostris, tunc suis, ejus nationis Episcopis, ac dilectis filiis universo sancti Augustini ordine, ac pluribus ejusdem nationis civitatibus, fuissent humiliter porrectæ; ac subinde venerabilis frater noster, tunc suus, Flavius Episcopus Portuensis S. R. E. Cardinalis, Chisius nuncupatus, vice venerabilis fratris nostri, tunc sui, Alderani Episcopi Ostiensis ejusdem S. R. E. Cardinalis, Cybo nuncupati, præfatæ Congregationis Præfecti, morbo tunc detenti, in consistorio ipsius Alexandri prædecessoris secreto summam processus, suamque & aliorum collegarum suorum dictæ S. R. E. Cardinalium sacris ritibus Præpositorum, sententiam exposuisset, ceterique in eodem consistorio præsentes Cardinales ei unanimi suffragio adhæsissent; & postea in alio publico consistorio, quo præter Cardinales præfatos, etiam supradicti Patriarchæ, Archiepiscopi & Episcopi, in Urbe commorantes, & dilecti filii Romanæ curiæ Prælati, ipsiusque Alexandri prædecessoris familiares convenerant, dilectus etiam filius Johannes Franciscus Fagnanus, nostræ, tunc suæ, consistorialis aulæ advocatus, de vita, virtutibus & miraculis dicti beati Johannis de sancto Facundo dixisset, ac nomine Regis, Episcoporum, civitatum & ordinis præfatorum supplices deprecationes pro ejusdem canonizatione detulisset, idem Alexander prædecessor ejusmodi deprecationes libenter excepit, quibus sanctorum albo adscribendus sibi proponebatur impiger contentionum sedator, ut æstuantibus undique sæculi hujus tot privatarum simultatum & efferatorum bellorum fluctibus, atque procellis, ad ejus præsidium conversi fideles, pacem & concordiam exposcentes, firmam tranquillitatis stationem, tum in via hujus vitæ, tum in cœlesti Hierusalem, quæ est beata pacis visio, felicissime consequerentur.

Nnn Ante-

CONSTIT. XCV. A. D. 1691.

Antequam tamen ad rei tam gravis deliberationem procederet, orationibus, jejuniis, aliisque piis operibus publice indictis, & concessa ad hoc fidelibus indulgentia, divinæ voluntatis beneplacitum, sine prævia cujus intelligentia, infirma fuisset quælibet deliberatio, explorare sategit: ac ad omnes accuratissimi judicis partes explendas, exquisivit primum sententias præfatorum venerabilium fratrum nostrorum, tunc suorum, dictæ S. R. E. Cardinalium, necnon Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum, tunc in Urbe commorantium, qui in consistorio semipublico, ad hunc effectum postmodum habito, præsentibus etiam nostris, tunc suis, & Sedis Apostolicæ notariis, & causarum palatii Apostolici auditoribus, ex iis, quæ ab eo proposita & relata fuerunt, beatum Johannem de sancto Facundo, canonizandum esse unanimibus suffragiis aperte decreverunt, unde gaudens ex animo, hujusmodi canonizationem in magnam Dei gloriam, splendidumque Ecclesiæ catholicæ decus cessuram esse, aperte intellexit; ac decimam sextam tunc decurrentis mensis Octobris diem præclaræ hujusmodi solemnitati designans, perspectam eorundem pietatem ad perseverandum in effundendis ad Dominum infallibilis veritatis enixis precibus impense hortatus fuit, ut, ipso inspirante, præstantissimo huic negocio supremam rite manum imponere posset.

His peractis, cum nihil aliud desideraretur eorum, quæ ex sanctorum Patrum auctoritate, sacrorum canonum decretis, præfatæ S.R.E. consuetudine, ac novorum decretorum præscripto agenda & observanda erant; idem Alexander prædecessor prædicta designata die sextadecima Octobris anni præteriti millesimi sexcentesimi nonagesimi, pontificatus sui secundi, in sacrosancta beati Petri Apostolorum principis basilica, quo solemni ritu cum venerabilibus fratribus nostris, tunc suis, ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, & dilectis filiis dictæ Romanæ curiæ Prælatis, officialibus & familiaribus suis, clero sæculari & regulari, ac maxima populi frequentia mane convenerat, iteratis primo, secundo & tertio pro canonizationis decreto instantiis per dilectum filium nostrum, tunc suum, Petrum sancti Laurentii in Damaso Cardinalem, Otthobonum nuncupatum, nomine memorati carissimi in Christo filii nostri Caroli II. Hispaniarum Regis Catholici, post sacros hymnos, litanias, aliasque preces, & post Spiritus sancti gratiam rite imploratam;

Ad honorem sanctissimæ & individuæ Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicæ & christianæ religionis augmentum, auctoritate Domini nostri Jesu Christi, beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac sua, matura deliberatione præhabita, & divina ope sæpius implorata, ac de præfatorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum, tunc in Urbe existentium, consilio, beatum Johannem de sancto Facundo una cum beatis Laurentio Justiniano, Johanne a Capistrano, Johanne de Deo & Paschale Baylon, Sanctum esse decrevit & definivit, ac Sanctorum catalogo adscripsit, statuens, ab Ecclesia universali quolibet anno die ejusdem festo memoriam ipsius inter sanctos Confessores non Pontifices pia devotione recoli debere, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen.

Eademque auctoritate omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus & confessis, qui annis singulis in die festo ejusdem sancti Johannis ad sepulcrum, in quo ejus corpus requiescit, visitandum accessissent, septem annos & totidem quadragenas de injunctis eis, aut

alias

alias quomodolibet debitis pœnitentiis, misericorditer in Domino relaxavit in forma Ecclesiæ consueta. CONSTIT. XCV. A. D. 1691.

Quibus peractis, Deum Patrem æternum, Regemque gloriæ Christum Dominum Patris sempiternum Filium, & sanctum Paraclitum Spiritum, unum Deum, unumque Dominum laudibus & confessionibus veneratus, sacroque hymno, *Te Deum*, solemniter decantato, peculiari oratione etiam per dicti beati Johannis merita precatus fuit, atque missæ ad altare beati Petri Apostoli cum ejusdem beati Johannis commemoratione a venerabili fratre nostro, tunc suo, Palutio Episcopo Sabinensi S. R. E. Cardinale, de Alteriis nuncupato, solemni ritu celebratæ interfuit, omnibusque Christifidelibus, tunc præsentibus, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem concessit.

Ne autem de decreto, definitione, adscriptione, statuto, relaxatione, concessione, aliisque præmissis ex eo, quod super illis ipsius Alexandri prædecessoris literæ, ejus superveniente obitu, confectæ non fuerant, valeat quomodolibet hæsitari; volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, quod decretum, definitio, adscriptio, statutum, relaxatio, concessio, aliaque præmissa a dicta die sextadecima Octobris suum consequantur effectum, ac si super illis ipsius Alexandri prædecessoris literæ sub datum ejusdem diei confectæ fuissent, prout superius enarratur: quodque præsentes literæ ad probandum plene decretum, definitionem, adscriptionem, statutum, relaxationem & concessionem, aliaque præmissa ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Ceterum quia difficile foret, præsentes nostras literas ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum voluntatis & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo primo, Idibus Julii, pontificatus nostri anno primo.

✠ Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

✠ *Ego Alderanus Episcopus Ostiensis Cardinalis Cybo.*
✠ *Ego Flavius Episcopus Portuensis Cardinalis Chisius.*
✠ *Ego Jacobus Episcopus Tusculanus Cardinalis Franzonus.*
✠ *Ego Palutius Episcopus Sabinensis Cardinalis de Alteriis S. R. E. Camerarius.*
✠
✠
✠ *Ego Franciscus Tituli sanctæ Mariæ in Via Presbyter Cardinalis Maidalchinus.*

sustulit de gregibus ovium, & de post fœtantes accepit, implevitque spiritu sapientiæ & intellectus, ut quem suscitarat de terra inopem, collocarit in cœlo cum principibus populi sui. Quibus de rebus certior factus idem Alexander prædecessor ex processibus, diligenti inquisitione confectis, & sedula discussione examinatis, ex quibus de illius vitæ sanctitate & miraculis ad ejus intercessionem patratis evidenter constare percepit, Beatum virum sanctorum albo solemniter adscripsit, animo ex tunc revolvens, hujusmodi vitæ miraculorum & actorum summam catholicæ Ecclesiæ notam facere: quod cum ipse morte præventus non expleverit, nos, qui divina disponente clementia in ejus locum successimus, hujusmodi seriem ex memoratis processibus breviter desumptam, in hunc, qui sequitur, modum, ad perpetuam rei memoriam duximus enarrandam. CONSTIT. CXVI. A. D. 1691.

Anno a partu Virginis millesimo quingentesimo quadragesimo, sacro recurrente festo Pentecostes, natus est Dei servus in opido Turris Formosæ diœcesis Seguntinæ in regno Aragoniæ ex catholicis, sed pauperibus parentibus, ablutusque fuit aqua Baptismatis, & procedente tempore sacro chrismate confirmatus.

A teneris annis insigne futuræ sanctitatis specimen dedit, dum adhuc puer quascunque mundi illecebras & innoxios etiam ejus ætatis & conditionis ludos & exercitationes aspernabatur. Abiens post vestigia gregum, quorum custodiæ paterna illum inopia destinaverat, sedulo satagebat, ne illæ alienis agris, vel pascuis damnum aliquod inferrent. Virtutum cultor eximius, orationi, abstinentiæ, pudicitiæ & silentio deditus, a juramentis, mendaciis, detractionibus, ac vanis & otiosis verbis penitus abstinebat, ac socios ad odium peccati, Deique religionem & amorem, ac in Deiparam pietatem qua verbo, qua exemplo, suaviter excitabat, adeout omnes tantæ innocentiæ, & singularium virtutum admiratores jam tum præviderent, magnos hujus servi Dei futuros in sanctitate progressus, quem in ætate puerili adeo innocentem vitam agere dignoscebant.

Simplex, rectus & timens Deum, ætate simul & virtutibus crescebat Paschalis. Humilitate, caritate, modestia, morumque suavitate, sic eorum, qui ipsum noverant, conciliabat affectus, ut sancta monita & consilia libenter excipientes, & ipsum diligere, ac in ejusdem conversatione magnopere delectarentur. Id quod præsertim accidit prædiviti cuidam ejus hero, qui prole carens, eundem adoptare, & suorum bonorum hæredem designaverat instituere. Sed gnarus Paschalis, quod quicunque spiritu Dei aguntur, ii sunt Filii Dei, accipientes spiritum adoptionis, in quo clamant *Abba Pater*, adoptivam heri filiationem & hæreditatem despexit, sperans tum se beatius fore filium & hæredem Dei, cohæredemque Christi, dum paupertate, humilitate, suique corporis mortificatione Christo ipsi compateretur.

Ardore itaque religiosi instituti, quod paupertate & observantia præstaret, ab ineunte ætate succensus, circa annum salutis millesimum quingentesimum sexagesimum quartum voti compos efficitur, ex pastore ovium in gregem Domini adscitus sub regula sancti Francisci strictioris observantiæ, in provincia sancti Johannis Baptistæ regni Valentiæ, ubi summo fervore & gaudio, habitu minorum Discalceatorum suscepto, riteque emissa regulari professione, iis cumulatus virtutibus statim apparuit, & disciplina religionis instructus in illis ita profecit, ut, tanquam lucerna ardens, iis, qui in domo Dei, & religioso consortio vivebant, præfulgeret.

San-

CONSTIT. XCVI. A. D. 1691.

Sancti institutoris sui exemplo, pauper & humilis, volens excelsam fabricam virtutum construere, de fundamento prius cogitavit humilitatis, qua in abjectissimis conventus officiis sese libenter exercuit: & si quando ab illis propter vitæ sanctitatem vel ætatem, jussu superiorum retrahebatur, supplices, humilesque preces non intermittebat, donec eorundem exercitio simul cum aliis laicis & juvenibus fratribus restitueretur. Sui contemptor eximius, quidquam in propriam laudem neque audire voluit, neque retulit. In loquela, incessu, vultu, oculis, omnique actionum genere, profundam ostendebat humilitatem, quin de seipso adeo demisse & vilissime sentiebat, ut cum præclare vir sanctitatis haberetur, ipse tamen nullis se præditum meritis, sed magnum peccatorem reputaret & affirmaret. Rogatus, ut manus imponeret super ægros, pristinæ se valetudini per ejus merita restituendos fore sperantes, summa animi demissione se comiter excusabat, donec vel obedientiæ præcepto compulsus, vel postulantium precibus motus, eos signo Crucis aliquando obsignaret; frequentius vero suaderet iisdem, ut sua se manu signarent, quo reddi corpori sanitatem & robur in Crucis virtute perciperent.

Paupertatis non in sæculo solum, sed etiam in religione, amantissimus, ejusdem Sancti institutoris imitator egregius, unica tantum induebatur tunica, eaque aspera, angusta, abjectissima, multisque frustis refecta, ratusque, supervacaneum esse munditiem in cilicio quærere, eadem femoralia detrita prorsus & lacera, ac quibus poterat fragmentis resarcta, ad decem & octo annos pertulit.

Nec carnis mortificationem in sola & extrinseca indumenti asperitate continuit, sed eandem, ne unquam noxie moliretur in spiritum, continua maceravit inedia, & perenni afflictatione subegit. Parcissimo ejus cibo frequens succedebat in pane & aqua jejunium, & quotidiano ejus victui necessaria rigide subtrahens, alendo servabat pauperi. Plerumque vino abstinens, nigriora & duriora panis fragmenta ac deteriora, & ab aliis Fratribus derelicta edulia, quando poterat, sibi deligebat. Nudam humum, aut rudes tabulas, pellibus superimpositis aliquando stratas, pro lecto habebat, frustumque ligneum vel saxum pro pulvinari, ibique jacens, vel parieti innixus, brevissimum carpebat somnum, reliqua nocte orationi data. Nudis incedebat pedibus, etiam longum vel arduum iter agens. Diris flagellationibus, variis & asperrimis ciliciis, ferreaque catena bis, terque circumducta, corpus dilanians, illud in adeo districtam servitutem redegit, ut in eo spiritus pacifice dominaretur, nihilque vel minimum tum in sæculo, tum in claustro visus fuerit peragere vel dicere, quod ipsius castitatem unquam offenderet vel adumbraret.

Religiosis paupertatis & castitatis virtutibus indivisibilem earum comitem obedientiam adjunxit, quam ita exacte, ita studiose colendam suscepit, ut totus a superiorum nutibus pendens, ne quid minimum unquam petens vel desiderans, omnia, licet dura & ardua, ab illis demandata, reverenti semper gaudio susceperit, & alacri promptitudine impleverit. Præsertim vero religiosæ obedientiæ, cujus studio exardebat, simul ac catholicæ fidei, cujus zelo flagrabat, insigne præbuit experimentum, cum a superioribus jussus longum & asperum iter per terras, plerumque hæresis labe fœdatas, peragere, jussa capessere cunctatus non est, eaque hilaritate, qua injunctum emensus est iter, contumelias, probra, minas & lapidationes ab hæreticis, catholicæ reli-

religioni, præsertimque Regularium ordini apprime infensis, patienter & fortiter pertulit, illorumque impie de fide sentientium audaciam retundens, publice & palam catholicam doctrinam & fidem professus est: a quibus persequutionibus & angustiis, licet Dei misericordia tandem evaserit, defuit tamen ei potius martyrium, quam ipse martyrio.

Nullam pene diu, noctuque labi sinebat horam, qua non esset in preces effusus, seu mente elevatus in Deum. Quidquid temporis sibi ex obedientiæ præscripto, muneribus, proximorum saluti, brevisque somni tormento potius, quam quieti supererat, totum id orationi & contemplationi ubique impendebat, & Dei præsentiam in ipsis exterioribus actibus non oblitus, jugi cum attentione, & interna oratione venerabatur. Pervigil semper, nocte intempesta nocturnis horis aderat: & quamvis perpetuis laboribus atque afflictationibus fatigatus, & pene fractus, non nisi post auroram revertebatur in cellulam, toto eo tempore in choro, vel Ecclesia inter meditandi delicias traducto.

Zelator animarum, quos alloquebatur ad compunctionem & expiationem peccatorum, Deique & virtutum amorem, mira disponebat dulcedine; doctrinam Christianam docebat ignaros, religiosos ad perfectionem suavi excitabat eloquio, corda antiquis odiis ad vindictam accensa, & aliorum, pietate vel auctoritate præstantium suasionibus inflexibilia, paucis verbis sedabat, & veniæ intercessione ad pacem & meliorem frugem revocabat.

Hinc Altissimus, qui sapientiam præbet diligentibus se, justo huic, quem deducebat per vias rectas, absconditos sapientibus & prudentibus hujus sæculi sapientiæ & scientiæ suæ thesauros cœlitus revelavit. Homo enim literarum plane rudis, nulloque mortalium magisterio eruditus, adeo excelso scientiæ dono meruit illustrari, ut altissima catholicæ fidei mysteria de Trinitate, incarnatione, prædestinatione, gloria cœlesti, sanctissimo Eucharistiæ sacramento, & alia hujusmodi, necnon difficillimos sacræ Scripturæ sensus etiam disputando, cœlesti sublimitate tractaret, parique dilucidatione explicaret arduas quæstiones a doctissimis etiam Theologis propositas: quos tamen non tenebat admiratio, quomodo literas sciret, cum non didicisset, quia in eo infusæ divinitus scientiæ donum ad evidentiam dignoscebant.

Prophetico etiam spiritu afflatus nonnulla futura, & præsertim ægrotis integram valetudinem, sanis infirmitatem, sibique & aliis mortem prædixit.

Traducto itaque & consummato sanctæ vitæ curriculo per arduas pœnitentiæ, & aliarum virtutum semitas, quibus per Dei gratiam regno cœlorum vim inferre, illudque violentus rapere studebat, post gloriosa mundi hujus certamina, sacramentis Ecclesiæ rite, sanctæque munitus, die decima septima Maji anni millesimi quingentesimi nonagesimi secundi qua prædixerat hora, in conventu opidi Villæ Regalis Dertusensis diœcesis in regno Valentiæ beato fine quievit, quique ab infantia spiritu semper vixit, spiritu & ambulavit, ac desideria carnis non perfecit, eodem illapsi olim super Apostolos Spiritus sancti recurrente die, quo natus fuerat in terris, meruit æternum triumphaturus renasci & in cœlis.

Statim ac Beati viri obitum fama vulgavit, ad illius venerationem mira undique populorum multitudo confluxit, quæ antiquam sanctitatis opinionem eo vivente excitatam, etiam in ejus cadavere confirmari

mirata fuit, dum istud, licet exanime, quod fervidus, quem in vita habuerat, erga Eucharistiæ sacramentum, demonstraretur affectus, visum est in illius elevatione oculos aperire, mox & in depositione occludere, quod pariter in elevatione & depositione calicis renovavit.

Piæ multitudinis obsequio, & devotæ ægrotantium spei, opus fuit triduana cadaveris expositione indulgeri. Nec eam spem fefellit eventus, liquore quodam ex ejus vultu & collo tunc temporis manante, quo aliqui perliniti integram sanitatem receperunt; inter quos Catharina Simonis pluribus affecta tumoribus, iisque, uno excepto, perforatis, ac medicorum & chirurgi judicio post biennalem curationem insanabilibus, hujusmodi delibuta liquore, ab omni morbo & tumoribus, cicatrice dumtaxat remanente, illico convaluit. Id quod omni vel cicatricis abolito vestigio, obtigit etiam Ursulæ Mascarellæ, eodem liquore perunctis inveteratis femorum ulceribus, quibus excruciata fuerat, post triennales medelas incassum semper adhibitas.

Ex iis etiam, qui expositum cadaver deosculantes, servi Dei opem intima devotione implorarunt, Baptista Cabillin & Isabella Cano, prorsus attracti, ille crure, & sic claudus, ut sine fulcimento non valeret incedere, ista brachio & manu per sesquiannum, ut ejus sanationem chirurgi jam desperassent, ad eorundem membrorum pristinum robur & usum, ac si nunquam læsa fuissent, repente revocantur.

Johanna Dominica cum sexagesimum tertium ætatis suæ annum ageret, ex alto delapsa, talem ossis sacri fracturam, & alterius ossis in femore luxationem passa fuerat, ut genua flectere, & sine fulcimentis incedere prorsus nequiret. Sed quinto ægritudinis suæ anno adhuc insepulti servi Dei manum, ubertim fluentibus lacrymis, osculata, illiusque intercessionem ex corde deprecata, cum se fulcimentis niteretur attollere, repente vehementi dolore os fractum consolidari, & luxatum sensit reponi, statimque expedite & sine ullis fulcimentis ambulavit, & incolumis effecta est.

Cæcilia Sorli in altero corporis latere septemdecim mensibus fuerat ea correpta paralysi, ut inibi nullus prorsus motus, vel sensus carnis, a qua, pungenti ferro tentata, nec sanguis exibat, remansisset, brachio & crure pendentibus, manu attracta, digitis immobiliter aduncis, carneque ejusdem lateris adeo consumpta, ut solam & siccam pellem ossibus superinductam haberet; meritis beati Paschalis in spem salutis erecta, ad ejus sepulcrum curavit afferri, statimque ac singulis membris læsis applicabatur catena, qua Dei servus in vita præcingebatur, sensus, motus, robur, caro, incessus & pristina salus redibant, donec Cæcilia ingenti perfusa gaudio, citato per Ecclesiam gradu exiliens discurrit.

Ob quoddam sanguinis profluvium nec pupillæ, nec ulla earum vestigia remanserant Michaeli Gabaldo, qui a sexto ætatis mense ad septimum annum vitam duxerat, non cæcitate solum, sed superveniente surditate deplorabilem. Emisso per afflictam matrem voto sepulcrum beati Paschalis adeundi, ejusque ope ferventius invocata, e vestigio puer videns & audiens ad illam festinus accurrit, perfectumque utriusque sensus usum jugiter exinde retinuit.

Extrema unctione jam delibutus, & desperantibus salutem medicis, agebat animam Petrus Gil, qui magnis febribus, vomitibus, aliisque accidentibus septem vel octo mensium spacio fuerat afflictatus, gravissimum exhalans fœtorem, corruptis præ morbi gravitate visceribus; vix

vix mœstissima uxor votum invisendi beati Paschalis sepulcrum, & parata funeri deferendi, emiserat, cum vir nulla mora surrexit incolumis, & uxore comite votum emissum persolvit. CONSTIT. XCVI. A. D. 1691.

Fama igitur sanctitatis beati Paschalis miraculis & gratiis ad ejus invocationem & intercessionem obtentis in dies percrebrescente, post varias probationes ordinaria auctoritate receptas, supervenit delegatio Apostolica, cujus vigore confectis quinque processibus, iisque primum a tribus causarum palatii Apostolici auditoribus, qui accuratam, & distinctam edidere relationem, & postmodum in Congregatione, tunc sacris ritibus præpositorum Cardinalium, bonæ memoriæ Roberto Tituli sanctæ Mariæ in Via, dum vivebat, Presbytero Cardinale, Bellarmino nuncupato referente, diligenter examinatis & mature discussis, piæ memoriæ Paulus Papa V. etiam prædecessor noster humilibus supplicationibus universi ordinis Fratrum Minorum sancti Francisci de observantia Discalceatorum nuncupatorum, claræ memoriæ Philippi III. tunc in humanis agentis Hispaniarum Regis Catholici, bonæ memoriæ Francisci Cardinalis Lerme nuncupati, & totius Regni Valentiæ procerum, inclinatus, de eorundem sacris ritibus præpositorum Cardinalium consilio, ut præfatus Dei servus, in posterum, *Beatus* nuncupari, atque de eo singulis annis die decima septima Maji, quo obdormivit in Domino, a Fratribus ejusdem ordinis, in Regno Valentiæ commorantibus, tanquam de confessore non pontifice, juxta rubricas Breviarii & Missalis Romani officium recitari & missa celebrari, necnon in Ecclesia Fratrum ejusdem ordinis opidi Villæ Regalis, in eodem Regno Valentiæ existentis, ubi ejus corpus requiescere asserebatur, ab omnibus presbyteris tam sæcularibus, quam Regularibus, missa similiter celebrari, libere & licite valeret, Apostolica auctoritate, per suas in forma Brevis die vicesima nona Octobris anni millesimi sexcentesimi decimi octavi desuper expeditas literas, concessit & indulsit; & hujusmodi indultum per similes in forma Brevis literas, die decima Februarii anni millesimi sexcentesimi vicesimi ad omnes utriusque sexus religiosos dicti ordinis Minorum regularis observantiæ, in Regnis Castellæ & Aragoniæ commorantes, pari auctoritate ampliavit & extendit, atque ut in Villæ Regalis, ubi ejusdem beati Paschalis corpus requiescere, & Turris Formosæ, ubi idem Beatus natus & educatus asserebatur, opidis prædictis, ab omnibus utriusque sexus regularibus, ac etiam presbyteris & clericis sæcularibus, de eodem beato Paschale juxta rubricas Breviarii & Missalis Romani hujusmodi, de communi confessoris non pontificis officium recitari & missa celebrari respective valeret, eadem auctoritate concessit pariter & indulsit.

Reassumpta postmodum in statu & terminis causa, in vim specialis commissionis manu recolendæ memoriæ Innocentii Papæ X. similiter prædecessoris nostri, signatæ, post novos processus interpolatis temporibus confectos, eadem Congregatio sacris ritibus præpositorum S. R. E. Cardinalium, cui de cultu beato Paschali auctoritate Apostolica in vim præfati indulti ejusdem Pauli prædecessoris exhibito, & de validitate processuum hujusmodi, super iis, quæ post indultam beatificationem supervenerunt, rite confectorum, satis constitit; tandem in Congregatione, die vicesima septima Septembris anni millesimi sexcentesimi septuagesimi quarti habita coram ejusdem memoriæ Clemente Papa X. etiam prædecessore nostro, discussis plerisque miraculis, quæ Deus, qui facit mirabilia magna solus, intercessione servi sui dignatus

 est

CONSTIT. XCVI. A. D. 1691.

est operari, duo & sane celebriora, ad relationem bonæ memoriæ Camilli Tituli sancti Eusebii, dum vixit, Presbyteri Cardinalis, de Maximis nuncupati, ex unanimi consultorum sententia, & præfatorum sacris iisdem ritibus præpositorum Cardinalium suffragio, uti omnibus probationis calculis absoluta, comprobata fuerunt. Primum nempe Francisci de Bargas, cui index sinistræ manus securis ictu ita præcisus, ut vix cutis particulæ cohæreret, statim consolidatis ossibus, nervis & cute, omnino validus restitutus est. Et quartum Dominici Perez agricolæ, qui ope Beati implorata, ad primum ligonis ictum ex aridiori terræ situ perennis & numquam vel excrescentis, vel deficientis aquæ fontem exilire obtinuit, quo publica loci & armentorum calamitas fuit reparata. Quare peractis omnibus, quæ felicis recordationis Urbani Papæ VIII, similiter prædecessoris nostri decreta exigebant; idem Clemens prædecessor accitis iterum consultoribus, eorum unanimem sententiam, & Cardinalium præfatorum suffragia probavit, posse videlicet quandocumque tuto deveniri ad solemnem memorati beati Paschalis canonizationem juxta ritum sanctæ Romanæ Ecclesiæ & sacrorum canonum instituta, eumque definiri cum Deo regnantem in gloria sanctorum, & eorum catalogo adscriptum toti Ecclesiæ colendum proponi.

Interim vero eodem Clemente & similis recordationis Innocentio Papa XI. etiam prædecessoribus nostris, viam universæ carnis ingressis, ultima manu huic canonizationis negocio nondum admota, cum aliæ preces memorato Alexandro prædecessori a carissimis in Christo filiis nostris Leopoldo Romanorum Rege, in Imperatorem electo, & Carolo Hispaniarum Rege Catholico, porrectæ fuissent; ac subinde venerabilis frater noster, tunc suus, Flavius Episcopus Portuensis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Chisius nuncupatus, vice venerabilis etiam fratris nostri, tunc sui, Alderani Episcopi Ostiensis ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Cybo nuncupati, præfatæ Congregationis Præfecti, morbo tunc detenti, in consistorio ipsius Alexandri prædecessoris secreto summam processus, suamque & aliorum collegarum suorum dictæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium sacris ritibus præpositorum, sententiam exposuisset, ceterique in eodem consistorio præsentes Cardinales ei unanimi suffragio adhæsissent; & postea in alio publico consistorio, quo præter Cardinales præfatos, etiam Patriarchæ, Archiepiscopi & Episcopi, in Urbe commorantes, ac dilecti filii Romanæ curiæ Prælati, ipsiusque Alexandri prædecessoris familiares convenerant, dilectus etiam filius Alexander Casalius, nostræ, tunc suæ, consistorialis aulæ advocatus, de vita, virtutibus & miraculis dicti beati Paschalis dixisset, atque præfatorum Romanorum Regis, in Imperatorem electi, & Hispaniarum Regis Catholici, & universi ordinis Fratrum minorum sancti Francisci de observantia, nomine, supplices preces pro ejusdem canonizatione detulisset, dictus Alexander prædecessor ejusmodi preces, effuso cum exultantis animi sensu excepit, & attendens, quod ad Ecclesiæ catholicæ gloriam etiam numerus & excellentia sanctorum, qui illam illustrarunt, pertineat, gavisus summopere fuit, ab eximiis prædicti, & aliorum beatorum virtutibus, meritisque in eodem consistorio relatis, præstantissimum sibi præberi argumentum ejusdem Ecclesiæ gloriam amplificandi, firmam præsertim in spem adductus, fore, ut fideles, tunc ejus supremæ custodiæ commissi, ad tam præclara sequenda vestigia vehementer excitarentur.

Ut

Ut autem difficillimum opus rite conficere valeret, a memoratis fidelibus, juxta præscriptas jam a se salutares pœnitentias, pia, ferventiaque nuncupari vota impense in Domino flagitavit, ut supernorum luminum Pater, caligantis humanitatis velo rescisso, divinum beneplacitum, sine prævia cujus intelligentia, infirma fuisset quælibet deliberatio, sibi ostenderet. Quin etiam ad omnes accuratissimi judicis partes implendas, antequam super re tam magni momenti decerneret, advocavit in consilium præfatos venerabiles fratres nostros, tunc suos, dictæ S. R. E. Cardinales, necnon Patriarchas, Archiepiscopos & Episcopos, tunc in Urbe commorantes, qui postmodum in consistorio semipublico, ad hunc effectum indicto, præsentibus etiam nostris, tunc suis, & Sedis Apostolicæ notariis, & causarum palatii Apostolici auditoribus, ex iis, quæ ab eo proposita, & ex processu relata fuerunt, beatum Paschalem canonizandum esse apertis suffragiis unanimiter censuerunt. CONSTIT. XCVI. A. D. 1691.

Cum itaque nihil aliud desideraretur eorum, quæ ex sanctorum Patrum auctoritate, sacrorum canonum decretis, præfatæ S. R. E. antiqua consuetudine, ac decretorum ejusdem Urbani prædecessoris præscripto agenda & observanda erant; idem Alexander prædecessor adveniente prædestinata die sextadecima Octobris anno præterito millesimo sexcentesimo nonagesimo, pontificatus sui secundo, in sacrosancta beati Petri Apostolorum principis basilica, quo solemni ritu cum venerabilibus fratribus nostris, tunc suis, ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, & dilectis filiis dictæ Romanæ curiæ Prælatis, officialibus & familiaribus suis, clero sæculari & regulari, ac maxima populi frequentia mane convenerat, iteratis primo, secundo & tertio pro canonizationis decreto petitionibus per dilectum filium nostrum, tunc suum, Petrum sancti Laurentii in Damaso Cardinalem, Otthobonum nuncupatum, nomine præfatorum Leopoldi Romanorum Regis, in Imperatorem electi, & Caroli Hispaniarum Regis Catholici, post sacros hymnos, litanias, aliasque preces, & post Spiritus sancti gratiam rite imploratam;

Ad honorem sanctissimæ & individuæ Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicæ & christianæ religionis augmentum, auctoritate Domini nostri Jesu Christi, beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac sua, matura deliberatione præhabita, & divina ope sæpius implorata, ac de præfatorum ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum, tunc in Urbe existentium, consilio, beatum Paschalem Baylon una cum beatis Laurentio Justiniano, Johanne a Capistrano, Johanne de sancto Facundo & Johanne de Deo, Sanctum esse decrevit & definivit, ac Sanctorum catalogo adscripsit, statuens, ab Ecclesia universali quolibet anno die decima septima Maji, qua obdormivit in Domino, memoriam ipsius inter sanctos Confessores recoli debere, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen.

Quibus peractis, Deum Patrem æternum, Regemque gloriæ Christum Dominum Patris sempiternum Filium, & sanctum Paraclitum Spiritum, unum Deum, unumque Dominum laudibus & confessionibus veneratus, sacroque hymno, *Te Deum*, solemniter decantato, peculiari oratione etiam per dicti beati Paschalis merita precatus fuit, atque missæ ad altare beati Petri Apostoli cum ejusdem beati Paschalis commemoratione a venerabili fratre nostro, tunc suo, Palutio Episcopo Sabinensi ejusdem S. R. E. Cardinale, de Alteriis nuncupato, solemni

ritu

CONSTIT. XCVI. A. D. 1691. ritu celebratæ, interfuit, omnibusque Christifidelibus, tunc præsentibus, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem concessit. Visitantibus autem quotannis in præfato die festo ejusdem beati Paschalis sepulcrum, in quo ejus corpus requiescit, septem annos & totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis, misericorditer in Domino relaxavit in forma Ecclesiæ consueta.

Ne autem de decreto, definitione, adscriptione, statuto, concessione, relaxatione, aliisque præmissis ex eo, quod super illis ipsius Alexandri prædecessoris literæ, ejus superveniente obitu, confectæ non fuerant, valeat quomodolibet hæsitari; volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, ut decretum, definitio, adscriptio, statutum, concessio, relaxatio, aliaque præmissa a dicta die sextadecima Octobris anni millesimi sexcentesimi nonagesimi suum consequantur effectum, ac si super illis ipsius Alexandri prædecessoris literæ sub datum ejusdem diei confectæ fuissent, prout superius enarratur: utque præsentes literæ ad probandum plene decretum, definitionem, adscriptionem, statutum, concessionem & relaxationem, aliaque præmissa ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Ceterum quia difficile foret, præsentes nostras literas ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum voluntatis & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo primo, Idibus Julii, pontificatus nostri anno primo.

✠ Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

✠ *Ego Alderanus Episcopus Ostiensis Cardinalis Cybo.*
✠ *Ego Flavius Episcopus Portuensis Cardinalis Chisius.*
✠ *Ego Jacobus Episcopus Tusculanus Cardinalis Franzonus.*
✠ *Ego Palutius Episcopus Sabinensis Cardinalis de Alteriis S. R. E. Camerarius.*
✠
✠
✠ *Ego Franciscus Tituli sanctæ Mariæ in Via Presbyter Cardinalis Maidalchinus.*
✠ *Ego Carolus Tituli sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Barberinus.*
✠
✠
✠
✠

✠ *Ego*

✠ *Ego Nicolaus Tituli sancti Calixti Presbyter Cardinalis Acciajolus.* CONSTIT. CXVI. A. D. 1691.

✠ *Ego Gaspar Tituli sanctæ Mariæ Transtiberim Presbyter Cardinalis de Carpineo.*

✠ *Ego Cæsar Tituli sanctissimæ Trinitatis in monte Pincio Presbyter Cardinalis d'Estrees.*

✠

✠

✠

✠ *Ego Franciscus Tituli sancti Matthæi in Merulana Presbyter Cardinalis Nerlius.*

✠ *Ego Hieronymus Tituli sancti Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Casanate.*

✠ *Ego Galeatius Tituli sanctorum Quirici & Julittæ Presbyter Cardinalis Marescottus.*

✠ *Ego Fabricius Tituli sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis Spada.*

✠ *Ego F. Thomas Hovardus Tituli sanctæ Mariæ super Minervam Presbyter Cardinalis de Norfolcia.*

✠ *Ego Johannes Baptista Tituli sanctæ Cæciliæ Presbyter Cardinalis Spinula.*

✠

✠ *Ego Savus Tituli sancti Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis Millinus.*

✠

✠ *Ego Frater Laurentius Basilicæ sanctorum XII. Apostolorum Presbyter Cardinalis de Lauræa.*

✠ *Ego Jacobus Tituli sanctæ Mariæ de Aracœli Presbyter Cardinalis de Angelis.*

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠ *Ego Johannes Tituli sancti Petri in Monte aureo Presbyter Cardinalis de Goessen.*

✠

✠ *Ego P.M. Tituli sancti Marcelli Presbyter Cardinalis Petruccius.*

✠

✠

✠

✠ *Ego Joseph Saens Tituli sanctæ Balbinæ Presbyter Cardinalis de Aguirre.*

✠ *Ego Leander Tituli sanctorum Nerei & Achillei Presbyter Cardinalis Colloredus, major Pœnitentiarius.*

✠ *Ego F. Tituli sanctorum Johannis & Pauli Presbyter Cardinalis Carafa.*

✠ *Ego Bandinus Tituli sancti Thomæ in Parione Presbyter Cardinalis Panciaticus.*

✠

✠ *Ego F. Tituli sancti Clementis Presbyter Cardinalis de Abdua.*

✠ *Ego*

CONSTIT. XCVI.
A. D. 1691.

✠ *Ego Tussanus Tituli sanctæ Agnetis extra mœnia Presbyter Cardinalis de Janson de Forbin.*

✠ *Ego Johannes Baptista Tituli sancti Laurentii in Pane & Perna Presbyter Cardinalis Rubinus.*

✠

✠ *Ego Johannes Baptista Tituli sancti Bernardi Presbyter Cardinalis Costagutus.*

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠ *Ego Fulvius sanctorum Cosmæ & Damiani Diaconus Cardinalis Astallius.*

✠

✠

✠ *Ego Petrus sancti Laurentii in Damaso Diaconus Cardinalis Otthobonus S. R. E. Vicecancellarius.*

✠ *Ego Carolus sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis Bichius.*

✠

✠ *Ego Aloysius sanctæ Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis Homodeus.*

✠ *Ego Johannes Franciscus sancti Hadriani Diaconus Cardinalis Albanus.*

✠ *Ego Franciscus sancti Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Barberinus.*

✠ *Ego Laurentius sanctæ Mariæ in Aquiro Diaconus Cardinalis de Alteriis.*

B. Card. Prodatarius. J. F. Card. Albanus.

Visa de Curia J. Sacripantes.

D. Ciampinus.

Loco ✠ plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

N O T A.

Paschalis Baylonius, qui Paulo III. Pont. Max. & Carolo V. Imp. ortus est in opido Turris Formosæ diœcesis Saguntinæ in Regno Aragoniæ, obiit A. D. 1592. die XVII. Maji in cœnobio Minorum Excalceatorum opidi Villæ Regiæ in Regno Valentiæ. Paulus V. A. D. 1618. eum *Beati* titulo ornavit, Innocentius vero XI. pro eo in Sanctorum canonem referendo decretum emisit: quod præstitit successor proximus Alexander VIII. Acta omnia Sancti viri ediderunt Bollandiani tomo IV. Maji pag. 48.

IDEM

CONSTIT. XCVII. A. D. 1691.

XCVII.

IDEM

INNOCENTIUS . XII

Beatum Johannem de Deo, ab opido Montis majoris in Lusitania, ordinis Fratrum hospitalitatis pauperum infirmorum institutorem, per Alexandrum VIII. Pont. Max. Sanctorum confessorum canoni adscriptum fuisse promulgat. Obiit Johannes die VIII. Martii A. D. 1550.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Constit. XCVII. A. D. 1691.

Rationi congruit & convenit æquitati, ut ea, quæ Romani Pontificis provida deliberatione, ac venerabilium fratrum suorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, necnon Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum, tunc in Romana curia commorantium unanimi consilio decreta, definita & statuta fuerunt, licet ipsius superveniente obitu literæ Apostolicæ desuper confectæ non fuerint, suum debitum consequantur effectum.

Dudum siquidem felicis recordationis Alexander Papa VIII. prædecessor noster pia secum meditatione perpendit, quod Romana catholica Ecclesia, quæ supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Jesu ædificata, a Deo, Patre misericordiarum, perennibus gratiæ cœlestis benedictionibus cumulatur, sicut tot documentorum est munita præsidiis, ita sanctorum Virorum in dies confirmatur exemplis: quæ cum ad pietatem magnopere moveant, divinæ mos est providentiæ juxta locorum & temporum opportunitates suos electos servos ad eximiæ sanctitatis gradum sublimare, ut fideles exemplaria hæc intuentes, habeant insimul quid venerentur & imitentur, ad venerationem obsequiose demissi, strenue ad imitationem erecti. Cumque heroicarum virtutum, præsertim vero ignitæ caritatis exemplar insigne prodierit beatus Johannes, de Deo nuncupatus, qui eandem Ecclesiam nova etiam prole fœcundavit Fratrum hospitalitatis, & infirmis inservientium, longe, lateque per orbem diffusorum, & eximia pietatis opera erga infirmos, in suis hospitalibus degentes præclaro animarum, corporumque profectu exercentium; æquum idem Alexander prædecessor existimans, ut Sancti hujus viri

CONSTIT. XCVII. A. D. 1691.

memoriam veneraretur Ecclesia, cujus vita & mors in conspectu Domini & hominum fuit virtutibus & miraculis pretiosa, ad ejus solemnem canonizationem processit; utque Christifidelium studia excitaret ad imitationem, sic ejus virtutes & miracula summatim exponere, suoque comprobare testimonio secum ipse decreverat, id quod cum morte præventus præstare nequiverit, idcirco nos præsentibus literis declarare statuimus.

Natus est itaque beatus Johannes ex catholicis, piisque parentibus anno reparatæ salutis millesimo quadringentesimo nonagesimo quinto, in opido Montis majoris novi, *Monte Mor il nuovo* nuncupati, Regni Lusitaniæ.

Paulo quidem laxiorem vivendi rationem a principio inierat: at cum primum, divina operante virtute, aggressus est revocare se & compescere, magnæ profecto sanctitatis exhibere specimen cœpit, ac jam ab ipso sanctioris vitæ rudimento consummatum aliquid, perfectumque visus est attigisse. Ob auditam prædicationem verbi Dei sic fuit ad meliora conversus, ut protinus veterem in se hominem deponere decreverit, seque penitus ad Apostolicæ vitæ præscriptum, normamque formare. Totus igitur ad Deum conversus, & in Patre misericordiarum vehementer confidens, non dubitavit erecto ac alacri corde ingredi vias Domini, & quascumque difficultates ex ejusdem Dei amore feliciter superare.

Quod ut expeditius perageret, & perfectionem a veritate ipsa promissam opere assequeretur, ejusdem consilium illud sequutus, *Vade, vende quæ habes, & da pauperibus*, cuncta, quæ possidebat, vendidit, pecuniamque exinde redactam pauperibus, qui carcerum pedore misere tenebantur, distribuit. Tum salutaris pœnitentiæ sacramento veteribus animæ maculis extersis, illustre sanctioris propositi documentum non sine præclara sui victoria in apertum prodidit. Ut enim in renovatione sui spiritus prioris vitæ labes abolere cupiebat, publico in foro in magna populi frequentia in virum alterum mutatus, horrido prorsus capillo squallens & hirtus comparuit, atque ibi cœno involutus, os humi dejiciens ac dolens, & lacrymis ubertim diffluens, nudatumque pectus saxo identidem tundens, misericordiam & peccatorum veniam a Deo toto mentis affectu & cordis contritione deprecabatur. Tantæ spectaculum pietatis multis in diversa trahentibus, maxima demum (ut fieri solet) pars in deterius excepit: & qui tanto Christianæ pœnitentiæ tirocinio celebrandus fuisset, ceu demens ostentui habetur, congeminatisque clamoribus, probris, lapidibus, verberibus, variisque injuriis ibidem & in carcere, quo amentium turba conjicitur, graviter afficitur. At vir Dei in Domino sperans non infirmatus, sed istis opprobriis & tribulationibus spectaculum factus, divina caritate magis exarsit, internoque exultans gaudio, non timuit quid faceret sibi homo, & omnia æquo animo ferens cum Apostolo gloriabatur in tribulationibus, sciens, quod tribulatio patientiam operatur, & patientia probationem, præclareque intelligens, haudquaquam esse mirandum, si quæ, judice Deo, sapientia fuerit, ea stultitia reputetur apud homines, ex quibus qui spiritum mundi hujus habent, vere insensati vitam quidem justorum æstimant insaniam, sed hi computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est.

Tanquam aurum igitur Johannes in camino tribulationis probatus, cum firmus ac constans in Dei pietate perstitisset, mox purior accin-

accingitur ad currendam viam Domini, & postquam variis pietatis operibus se exercuerat, illam præ ceteris vivendi rationem assumpsit, qua animarum simul & corporum saluti prospiceret. Ægritudinibus itaque & morbis pauperum Christifidelium curandis totus intentus, domum supellectile piorum eleemosynis instructam, in civitate Granatensi conduxit, quo pauperes infirmos quotquot obvios sibi inveniebat, vel in via languentes, vel fame, frigoreve pereuntes, propriis humeris deferebat. Stipem vicatim & ostiatim diu noctuque non intermisso labore emendicabat, ac quæ duabus sportis & ollis recollecta propriis itidem humeris gestaverat, inter pauperes & infirmos, prout cujusque exigebat necessitas, distribuebat. Cum primum domum perveniebat, invisebat omnes, nec prius in privatam se recipiebat quietem, quam publicæ ægrotantium commoditati abunde consuluisset, si quid deesset, diligenter exquirens, & quidquid opus erat, pie & provide subministrans. Ægrotis ipse medebatur, illisque assistebat, cibum propriis manibus inferens, sordes purgans, lectulos versans ac sternens, frigescentes igne, famelicos cibo, nudos vestibus refocillans, mœrentes confortans, nauseantes exquisitis condimentis reficiens, omnes denique proprio sinu, amplexuque confovens, quasi optaret omnes intra sua viscera recondere.

Aucto ægrotantium hospitum ingenti numero, opus inceptum in Domino confidens non intermisit; quinimo majus valetudinarium instituere non dubitavit, illudque omni pharmacorum, opumque apparatu instructum voluit. Illuc ipse per se & alios, quos interim ejusdem instituti socios admiserat, pauperum & miserorum agmina, & quotquot commiseranda paupertas necessaria febribus, reliquisque morbis medicamenta adhibere non fineret, colligere, eosque iisdem pietatis opibus ac recreare caritate in dies ferventiori continuavit. At quia eximia hæc proximorum dilectio non eo solum tendebat, ut a languoribus corporis sanarentur, sed potissimum, ut animarum salute proficerent, eos salutaribus Ecclesiæ sacramentis muniri & refocillari, piisque hortamentis & opportunis sermonibus disponere & confirmare satagebat, avide animarum, corporumque incolumitatem anhelans.

Nec fervens Johannis caritas intra limites nosocomii coarctatur, sed ad externos etiam pauperes, honestos præsertim, & verecundos, quos secretis eleemosynis sublevabat, & mulieres summa egestate pressas, quibus ne propterea in peccandi discrimen traherentur, provide & opportune succurrebat, abunde diffunditur.

Quanta autem effundebatur beneficentia & misericordia erga pauperes, tanta sæviebat abstinentia & asperitate contra se ipsum. Semel in die cibo, & quidem parcissimo, utebatur, quem sibi eo libentius detrahebat, quo affluentius distribueret in egenos, impendens virtuti quod subtrahebat voluptati, ut fieret refectio pauperis abstinentia jejunantis. Erat ei vestis vix ad genu demissa, villosa & apprime rudis, quæ simul corpus tegeret & affligeret, & ipsa etiam subucula carens, capite, pedibus, tibiisque denudatis, diu noctuque, licet temporum injuriis semper expositus extremo frigore algeret seu ardenti calore æstuaret, huc, illuc, quo pietatis opera eum impellebant, incedebat. Brevis ei lectulus erat, & qui vel nudo solo vix asperitate concederet, brevior adhuc quem in eo carpebat somnus, diuturnis vigiliis, multoque interpellatus dolore, carnemque, ut spiritui magis magisque

CONSTIT. XCVII. A. D. 1691.

obsequentem redderet, cilicio, ferrea cuspide, rigidisque setis contexto, necnon funiculis, vepribus, flagris, aliisque diræ verberationis instrumentis domabat.

Sic itaque castigans corpus suum, & in servitutem redigens, meruit illud integrum, & a noxiis delectationibus eo usque custodire, ut castitatis ipsius candor ne suspicionis quidem maculam merito admittere posset. Nec propria virtute contentus, sed imitatus Salvatorem, qui venerat vocare peccatores, enixam & indefessam curam adhibuit, ut omni conatu carnis concupiscentiam a proximis hujusmodi vitio apprime inquinatis exterminaret. Statis diebus quasi venabundus lupanaria ingrediebatur, ut meretrices a dœmonis servitute vindicaret, illas hortationibus, precibus, lacrymisque retrahere studebat ab impudicitiis, ac pro ipsarum conversione Deo enixas preces fundebat. Ubi vero ista non proficiebant, æqualem futuro meretricio lucro pecuniam offerebat, ut a flagitiis perpetrandis, vel ita se coercerent: cumque consideret in Domino, vacua non fuit spes ejus, nec labor sine fructu, pluribus ex illis perditis & deviis animabus ad bonam frugem & viam salutis reductis. Nec dissimiles fuerunt ejus curæ, ut indigentibus mulieribus, honestis viduis præsertim, & virginibus clam alimenta subministraret, oblato ad laborem exercitio, ne otium in pudicitiam, honestatemve peccandi ansam injiceret.

Ad obediendi obsequium experrectus semper & paratissimus extitit. Non solum enim abnegavit semetipsum, ut evangelicæ legis præcepta servaret, sed hominum etiam voci obedivit, ut acciperet benedictionem a Domino. Quare cum ad certam disciplinæ normam suum institutum conformasset, ei, qui ex omnibus erat moderator electus, omnia voluntatis arbitria, omnia mentis suæ sensa submiserat, nihil quod ei non probaretur, amplectens, nihil quod demandatum ab eo foret, detractans. Cum in lethalem morbum incidisset, a nobili, piaque matrona enixe rogatus, ut pateretur se in ejus domum, ubi commodius curari posset, transferri, plane restitit, se ritu pauperum, atque ad sanctæ normam paupertatis emori omnino velle respondens. Interea rei conscius factus Archiepiscopus Granatensis, illi in obedientiæ legem præcipit, ut matronæ votis extemplo obsequatur. Nihil cunctatus Johannes (uti obedientiæ filius) Archiepiscopi mandato venerabundus statim obtemperavit; quam quidem obedientiæ virtutem adeo est amplexus, ut non modo superioribus suis obsequenter obediret, verum etiam si quid pueri ipsi ob Dei amorem jussissent, exequi non detrectaret.

Orandi studium, divinarumque rerum contemplatio in Johanne mirifice excelluit. Cum brevissimum esset tempus, quod quieti appendebat, provolutus in genua profusis suavissime lacrymis, modo ore supplicans, modo mente contemplans, noctes pene traducebat insomnes. Rosarii exercitium, aliaque in beatam Virginem pietatis obsequia erant illi in deliciis, itaut inter ipsa, quæ ad pauperum subsidium, vel solatium obibat ministeria, non raro totus in preces effusus, ac in Dei contemplatione defixus videretur.

Hinc placuit Altissimo, qui inquirentibus se remunerator est ac mirabilis in Sanctis suis, Johannis ortum, vitam, obitum, & quæ ipsum obitum subsequuta sunt, tempora variis indiciis illustrare.

Ortum

Ortum quippe fuisse puerum in sortem Domini sublimiter electum, insuetus splendor super ejus domo refulgens, sonitusque æris campani sua sponte emissus ab ipso ejus nativitatis instanti, non obscure prænunciarunt. CONSTIT. XCVII. A. D. 1691.

Inter divinæ caritatis flammas assuetus, terreno absumi non valuit incendio, e quo dextera omnipotentis, illæsus exivit. Cum enim maximum in regio Granatensi valetudinario excitatum fuisset incendium, & universa civitas accurrisset, ut non tam ædificii, quam infirmorum consuleret præservationi, advolavit etiam Johannes, ad officia caritatis semper paratus, ceterisque incendii voracitate detentis, impavidus prosiliit in ignem, huc illuc discurrens quousque tum infirmos humeris exportatos, tum lectulos e fenestris projectos ab igne vindicavit. Sed jam in immensum succrescentibus & corpus undequaque ambientibus flammis circumventus, cum per dimidiam horam ab omnium oculis ereptus, communi mœrore deploraretur, e medio igne redux incolumis, omnes gaudio simul & admiratione complevit, in schola caritatis edocens, segniorem in eum fuisse ignem, qui foris ussérat, quam qui intus accenderat.

Jam vero humanæ vitæ spacium feliciter emensum, & tempus resolutionis suæ instans, non minus pius & felix obitus die octava Martii anno salutis millesimo quingentesimo quinquagesimo terminavit. Lecto enim infirmatus decumbens omnibus Ecclesiæ sacramentis ab ipsomet Granatensi Præsule rite, sanctéque refectus, assistentes omnes dimisit, viribusque in extrema vitæ periodo licet destitutus, propriis indutus vestibus interim e lectulo prosiliens, ac provolutus in genua, manu & corde imaginem Salvatoris Crucifixi, quem fervide vivens dilexerat, perstringens, inclinato ad ejus pedes capite, obiit in osculo Domini, quem etiam mortuus tenuit, nec dimisit, ac in eadem corporis constitutione ab iisdem assistentibus ad eum paulo post redeuntibus repertus, sex circiter horis quousque inde dimotus fuisset, mirabiliter permansit, odorem mire fragrantem diffundens.

Illuc universa civitas Granatensis rei novitate vulgata, ut eum sic consistentem, suaveolentem admiraretur, confluxit, eademque & finitimi etiam populi eminentem de sanctitate Johannis conceptam opinionem eximio funere propalarunt. Optimates subivere feretrum, quod religiosi omnes, confraternitates, totusque clerus longa serie præcedebant, universa vero civitas etiam cum togatis, armatisque Rectoribus, aliisque qui advenerant, devoto mœrore, & luctuosis laudibus sequebantur. Corpus ad Ecclesiam, Victoriæ nuncupatam delatum, ut a confluentis undique multitudinis manibus eriperetur, statim fuit sepulcro reconditum, aliis adhuc precarios globulos feretro admoventibus, aliis frusta arcæ, ut, tanquam Sancti reliquias asservarent, surripientibus.

Cum Johannis tamen funere, sanctitatis fama non interiit, sed in dies mirabiliter excrevit gratiis, signis & miraculis, quibus omnipotens Deus venerationem populorum erga suum fidelem servum dignatus est promovere. Mulier ob inversum penitus fœtum uteri doloribus premebatur gravissimis; sed baculi, quo vir Dei vivens utebatur, contactu expeditam illico prolem emisit, omni prorsus levata dolore. Eumdem proinde baculum parturientium laboribus futurum levamen consulens in posterum fidelium pietas, non sine similium gratiarum impe-

CONSTIT. XCVII. A. D. 1691.

impetratione in Ecclesia *Corporis Christi* asservavit, Febres itidem & vermium affectiones exigua terræ portio e patria domo desumpta haud raro disjecit.

Sebastiana Gomez cruris ulcere, putrido, magno, corrosivo & calloso ad octo menses indoluerat, nihilque proficientibus quæ applicabantur medicamentis, & prorsus destituta a chirurgo, affirmante illud esse insanabile & indigere validioribus, diuturnisque medicaminibus, quibus etiam difficillime curari posset, ad Johannis opem confugit, cui cum voto se devinxisset, nullo adhibito medicamento, evasit incolumis.

Savina Baptista quatuor annorum puella oculorum e nimio maligni humoris illapsu usum plane perdiderat. Hæc cum primum ejus genitrix illam, si ad pristinum visum restitueretur, religiosis beati Johannis insignibus induere spopondit, statim oculorum usum omnino sanum recuperavit.

Philippa Aralx quatuor pariter annorum puella, ex febri, & immoderata per os & nares sanguinis effusione pene animam agebat, sed statim, ut exiguum pulveris e domo Johannis acceptum naribus Philippæ admotum fuit, sanguis & vita stetit.

Æstuabat acerrima febri Beatrix Catebre de Gama pene sexagenaria, sicque mensem exegerat, sensuum omnium spacio decem & octo dierum expers, non sine summo vitæ discrimine, desperantibus illius salutem medicis; cum vix ægrotantis collo portiuncula terræ domus servi Dei appensa fuisset, illa ad deperditos sensus revocata est, ac deinde absque aliqua medicamentorum ope convaluit.

Quapropter cum excrescente fama sanctitatis hujus eximii viri Johannis de Deo opportuni processus auctoritate Apostolica confecti, hique primum a tribus causarum palatii Apostolici auditoribus examinati, & subinde distincta eorum per dictos auditores edita relatione in Congregatione, tunc sacris ritibus præpositorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, per plures sessiones discussi, ac recognita illorum validitate, virtutes heroicæ ejusdem famuli Dei, & miracula ab Altissimo per ejus intercessionem ante & post felicem ipsius in Domino obdormitionem patrata, approbata fuissent, dictaque Congregatio, bonæ memoriæ Petro Maria sancti Georgii, tunc Diacono Cardinali, Burghesio nuncupato, referente, unanimiter decrevisset, tuto posse, quandocumque Romano Pontifici placuisset, ad solemnem memorati Johannis de Deo canonizationem procedi, & interim nuncupari Beatum, missamque & officium de eo celebrari & recitari: piæ memoriæ Urbanus Papa VIII. prædecessor noster, precibus claræ memoriæ Ferdinandi II. tunc Romanorum Regis, in Imperatorem electi, & Philippi IV. pariter tunc Hispaniarum Regis Catholici, ac Isabellæ ejus conjugis, aliorumque principum, necnon tunc existentium majoris & confratrum Congregationis ipsius beati viri Johannis Dei sibi super hoc porrectis annuere volens, de supradictorum Cardinalium sacris ritibus præpositorum consilio, ut idem Dei famulus in posterum Beatus nuncupari, & de eo ab omnibus dictæ ejus Congregationis regularibus quotannis in die commemorationis ejus obitus officium recitari & missa celebrari de communi confessorum non pontificum ritu duplici majori per annum juxta rubricas Breviarii & Missalis Romani, & quoad missam, etiam ab aliis regularibus & sæcularibus sacerdotibus ad illorum Ecclesiam confluentibus, in civitate vero

vero Granatensi in Ecclesia, tamen, ubi sacrum illius corpus requiescebat, & in supradicto opido Montis majoris novi, *Monte Mor il nuovo*, vulgariter nuncupati, ubi is Dei servus natus est, in omnibus Ecclesiis tam saecularium, quam regularium officium & missa ritu duplici majori recitari & celebrari valerent, per suas in forma Brevis desuper die vicesima prima Septembris millesimi sexcentesimi trigesimi expeditas literas indulserat. CONSTIT. XCVII. A. D. 1691.

Cumque postmodum signata a recolendae memoriae Clemente Papa IX. similiter praedecessore nostro commissione reassumptionis causae canonizationis hujus servi Dei in statu & terminis, in quibus post illius beatificationem reperiebatur, novae literae remissoriales pro confectione processuum super iis, quae in Urbe, Neapoli, Granatae & Matriti supervenerant, expeditae fuissent, & processuum inde confectorum validitate subinde probata in Congregatione die nona Februarii millesimi sexcentesimi septuagesimi quinti habita, ad discussionem relevantiae deventum fuisset, tandem similis memoriae Innocentius Papa XI. etiam praedecessor noster auditis dilecti filii nostri, tunc sui, Gasparis Tituli sanctae Mariae Transtiberim, tunc sancti Silvestri de Capite Presbyteri Cardinalis, Carpinei nuncupati, relatione, & consultorum sententia, ac venerabilium fratrum nostrorum, tunc suorum, sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, iisdem sacris ritibus Praepositorum suffragiis, duo ex pluribus miraculis post concessam, ut supra, venerationem a Deo editis, in antedicta Congregatione mature discussis juxta processus, alterum Neapolitanum, alterum Romanum probarat. Primum videlicet instantaneae sanationis Johannis de Marino cruribus & tibiis impotentis & attracti spacio septennii: & quartum instantaneae sanationis Isabellae Arcelli a bubonibus, peticulis & carbunculis in humeris absque cicatricibus. Quibus sic stantibus, & absolutis omnibus, quae novissima decreta dicti Urbani praedecessoris exigebant, idem Innocentius praedecessor subinde, nempe die decima tertia Junii millesimi sexcentesimi septuagesimi noni, declaraverat, tuto posse quandocumque procedi ad solemnem praefati beati Johannis canonizationem juxta sanctae Romanae Ecclesiae ritum, & sacrorum canonum decreta, illumque cum Deo regnantem in gloria, sanctorum catalogo universali cultu venerandum adjungi.

Interim vero eodem Innocentio praedecessore viam universae carnis ingresso, ultima manu huic canonizationis negocio nondum admota, cum aliae preces dicto Alexandro praefati Innocentii successori, nostro autem praedecessori a carissimis in Christo filiis nostris Leopoldo Romanorum Rege, in Imperatorem electo, Carolo Hispaniarum Rege Catholico, Petro Lusitaniae & Johanne Poloniae Regibus illustribus, ac denique ab universo ejusdem beati Viri religioso coetu porrectae fuissent; ac subinde venerabilis frater noster Flavius Episcopus Portuensis sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis, Chisius nuncupatus, vice venerabilis etiam fratris nostri Alderani Episcopi Ostiensis ejusdem sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis, Cybo nuncupati, praefatae Congregationis Praefecti, morbo tunc detenti, in consistorio ipsius Alexandri praedecessoris secreto summam processus, suamque, & aliorum collegarum suorum dictae sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium sacris ritibus praepositorum, sententiam exposuisset, ceterique in eodem consistorio praesentes Cardinales ei unanimi suffragio adhae-

CONSTIT. XCVII. A. D. 1691.

adhæsissent; & postea in alio publico consistorio, quo præter Cardinales præfatos, etiam supradicti Patriarchæ, Archiepiscopi & Episcopi, in Urbe commorantes, ac dilecti filii Romanæ curiæ Prælati, ipsiusque Alexandri prædecessoris familiares convenerant, dilectus etiam filius magister Dominicus Taurusius, nostræ, tunc suæ, consistorialis aulæ advocatus de vita, virtutibus & miraculis dicti beati Johannis de Deo dixisset, atque nomine Principum & Religiosorum præfatorum, supplices deprecationes pro ejusdem canonizatione detulisset, dictus Alexander eas deprecationes, effuso cum exultantis animi sensu excepit, & attendens, quod Ecclesiæ catholicæ gloria etiam in numero & excellentia sanctorum, qui illam illustrarunt, sit reposita, gavisus summopere fuit, ab eximiis prædicti, & aliorum beatorum virtutibus, meritisque in eodem consistorio relatis, præstantissimum sibi præberi argumentum ejusdem Ecclesiæ gloriam amplificandi, firmam præsertim in spem adductus fore, ut fideles, tunc ejus supremæ custodiæ commissi, ad tam præclara sequenda vestigia vehementer excitarentur.

Ut autem difficillimum opus rite conficere valeret, a memoratis fidelibus, juxta præscriptas jam a se salutares pœnitentias, pia, ferventiaque nuncupari vota impensè in Domino flagitavit, ut supernorum luminum Pater, caligantis humanitatis velo rescisso, divinum beneplacitum, sine prævia cujus intelligentia, infirma fuisset quælibet deliberatio, notum sibi aperte faceret & manifestum. Quin etiam ad omnes accuratissimi judicis partes implendas, antequam super re tam magni momenti decerneret, advocavit in consilium præfatos venerabiles fratres nostros, tunc suos, dictæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, necnon Patriarchas, Archiepiscopos & Episcopos, tunc in Urbe commorantes, qui postmodum in consistorio semipublico, ad hunc effectum indicto, præsentibus etiam nostris, tunc suis, & Sedis Apostolicæ notariis, & causarum palatii Apostolici auditoribus, ex iis, quæ ab eo proposita, & ex processu relata fuerant, beatum Johannem de Deo canonizandum esse apertis suffragiis unanimiter censuerunt.

Quibus sic peractis, cum nihil allud desideraretur eorum, quæ ex sanctorum Patrum auctoritate, sacrorum canonum decretis, præfatæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ antiqua consuetudine, ac novorum decretorum præscripto agenda & observanda erant; idem Alexander prædecessor decimo septimo Kalendas Novembris anno præterito millesimo sexcentesimo nonagesimo, pontificatus sui secundo, in sacrosancta beati Petri Apostolorum principis basilica, quo solemni ritu cum venerabilibus fratribus nostris, tunc suis, ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, & dilectis filiis dictæ Romanæ curiæ Prælatis, officialibus & familiaribus suis, clero sæculari & regulari, ac maxima populi frequentia mane convenerat, iteratis primo, secundo & tertio pro canonizationis decreto petitionibus, per dilectum filium nostrum, tunc suum, Petrum sancti Laurentii in Damaso Cardinalem, Otthobonum nuncupatum, nomine præfatorum Leopoldi Romanorum Regis, in Imperatorem electi, & Caroli Hispaniarum Regis Catholici, post sacros hymnos, litanias, aliasque preces, & post Spiritus sancti gratiam rite imploratam;

Ad honorem sanctissimæ & individuæ Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicæ & christianæ religionis augmentum, auctoritate Domini

mini nostri Jesu Christi, beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac sua, matura deliberatione præhabita, & divina ope sæpius implorata, ac de præfatorum ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum, tunc in Urbe existentium, consilio beatum Johannem de Deo una cum beatis Laurentio Justiniano, Johanne a Capistrano, Johanne de sancto Facundo & Paschale Baylon, Sanctum esse decrevit & definivit, ac Sanctorum catalogo adscripsit, statuens, ab Ecclesia universali quolibet anno die octava Martii memoriam ipsius inter sanctos confessores non pontifices pia devotione recoli debere, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen. CONSTIT. XCVII. A. D. 1691.

Eademque auctoritate omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus & confessis, qui annis singulis in die festo ejusdem sancti Johannis ad sepulcrum, in quo ejus corpus requiescit, visitandum accessissent, septem annos & totidem quadragenas de injunctis eis aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis, misericorditer in Domino relaxavit in forma Ecclesiæ consueta.

Postremo Deum Patrem æternum, Regemque gloriæ Christum Dominum Patris sempiternum Filium, & sanctum Paraclitum Spiritum, unum Deum, unumque Dominum laudibus & confessionibus veneratus, sacroque hymno, *Te Deum*, solemniter decantato, peculiari oratione etiam per dicti beati Johannis merita precatus fuit, atque missæ ad altare beati Petri Apostoli cum ejusdem beati Johannis commemoratione, a venerabili fratre nostro, tunc suo, Palutio Episcopo Sabinensi ejusdem S. R. E. Cardinale, de Alteriis nuncupato, solemni ritu celebratæ, interfuit, omnibusque Christifidelibus tunc præsentibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem concessit.

Justum itaque & æquum idem Alexander existimabat dare gloriam, honorem & benedictionem viventi in sæcula sæculorum, qui justum hunc sic deduxit per vias rectas & honestavit in laboribus suis, ut esset sanctus & immaculatus coram ipso, divinaque misericordia, illiusque meritis fretus sperabat confidentius, ut idem justus, qui in hoc mundo cor suum tradiderat ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecerat illum, in conspectu Altissimi pro Christianæ reipublicæ necessitatibus deprecaretur, & flagella divinæ iracundiæ, quæ pro eorum peccatis mortales meruissent, averteret.

Ne autem de decreto, definitione, adscriptione, statuto, relaxatione, concessione, voluntate, aliisque præmissis pro eo, quod super illis ipsius Alexandri prædecessoris literæ, ejus superveniente obitu, confectæ non fuerant, valeat quomodolibet hæsitari; volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, quod decretum, definitio, adscriptio, statutum, relaxatio, concessio, voluntas, aliaque præmissa a dicto die decimo septimo Kalendas Novembris suum consequantur effectum, ac si super illis ipsius Alexandri prædecessoris literæ, sub datum ejusdem diei confectæ fuissent, prout superius enarratur: quodque præsentes literæ ad probandum pleue decretum, definitionem, adscriptionem, statutum, relaxationem, concessionem & voluntatem, aliaque præmissa ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Ceterum quia difficile foret, præsentes nostras literas ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, & sigillo alicujus per-

sonæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum voluntatis & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo primo, Idibus Julii, pontificatus nostri anno primo.

✠ Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

✠ *Ego Alderanus Episcopus Ostiensis Cardinalis Cybo.*

✠

✠ *Ego Jacobus Episcopus Tusculanus Cardinalis Franzonus.*

✠ *Ego Palutius Episcopus Sabinensis Cardinalis de Alteriis S. R. E. Camerarius.*

✠

✠

✠ *Ego Franciscus Tituli sanctæ Mariæ in Via Presbyter Cardinalis Maidalchinus.*

✠ *Ego Carolus Tituli sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Barberinus.*

✠

✠

✠

✠

✠

✠ *Ego Gaspar Tituli sanctæ Mariæ Transtiberim Presbyter Cardinalis de Carpineo.*

✠

✠

✠

✠

✠

✠ *Ego Franciscus Tituli sancti Matthæi in Merulana Presbyter Cardinalis Nerlius.*

✠ *Ego Hieronymus Tituli sancti Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Casanate.*

✠ *Ego Galeatius Tituli sanctorum Quirici & Julittæ Presbyter Cardinalis Marescottus.*

✠ *Ego Fabricius Tituli sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis Spada.*

✠

✠ *Ego Johannes Baptista Tituli sanctæ Cæciliæ Presbyter Cardinalis Spinula.*

✠

✠ *Ego Savus Tituli sancti Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis Millinus.*

✠ *Ego*

CONSTIT. XCVII. A. D. 1691.

✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠ *Ego Marcus Antonius Barbadicus Tituli sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis sanctæ Susannæ.*
✠
✠
✠
✠ *Ego Johannes Tituli sancti Petri in Monte aureo Presbyter Cardinalis de Goessen.*
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠ *Ego Joseph Saens Tituli sanctæ Balbinæ Presbyter Cardinalis de Aguirre.*
✠ *Ego Leander Tituli sanctorum Nerei & Achillei Presbyter Cardinalis Colloredus, major Pœnitentiarius.*
✠
✠ *Ego Bandinus Tituli sancti Thomæ in Parione Presbyter Cardinalis Panciaticus.*
✠
✠ *Ego F. Tituli sancti Clementis Presbyter Cardinalis de Abdua.*
✠ *Ego Tussanus Tituli sanctæ Agnetis extra mœnia Presbyter Cardinalis de Janson de Forbin.*
✠
✠ *Ego Franciscus Tituli sanctæ Mariæ de Populo Presbyter Cardinalis Judice.*
✠ *Ego Johannes Baptista Tituli sancti Bernardi Presbyter Cardinalis Costagutus.*
✠
✠
✠
✠ *Ego Urbanus sanctæ Mariæ in Via Lata Diaconus Cardinalis Sacchettus.*
✠
✠ *Ego Benedictus sanctæ Agathæ Diaconus Cardinalis Pamphilius.*
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠ *Ego Petrus sancti Laurentii in Damaso Diaconus Cardinalis Ottobonus S. R. E. Vicecancellarius.*
✠ *Ego Carolus sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis Bichius.*

CONSTIT. XCVII. A. D. 1691.

✠

✠ *Ego Aloysius sanctæ Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis Homodeus.*

✠ *Ego Johannes Franciscus sancti Hadriani Diaconus Cardinalis Albanus.*

✠

✠ *Ego Laurentius sanctæ Mariæ in Aquiro Diaconus Cardinalis de Alteriis.*

B. Cardinalis Prodatarius.

J. F. Cardinalis Albanus.

Visa de Curia J. Sacripantes.

D. Ciampinus.

Loco ✠ plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

N O T A.

Granatæ, urbe ampla Hispaniæ, atque olim capite regni ejusdem nominis, beatus Johannes de Deo primum nosocomium instituit, ibidemque xaa. annis ab ejus dormitione initium sumsit ordo regularis Fratrum, qui in Galliis a *Caritate*, alibi a *Misericordia*, in Italia a *Fraterna beneficentia*, vulgo, *Fate ben fratelli*, nuncupantur: quibus certe nominibus nihil suavius dici potest. Acta sanctissimi viri, cujus familia ubique diffusa jam est, copiose & accurate conscripta, ediderunt socii Bollandiani tomo 1. mensis Martii pag. 809. deque illo fit mentio in Castellani Martyrologio universali pag. 119. Ejus canonizationis literas decretales nobis subministravit Bullarium dicti ordinis, Romæ cameralibus typis in lucem datum A. D. 1724. ubi extant pag. 16.

Alexander VIII. præter hos Dei servos, sanctorum canoni adscripsit etiam beatos Laurentium Justinianum ultimum Episcopum & primum Patriarcham civitatis Venetiarum, ac Johannem a Capistrano, quorum canonizationis testes literas prodire voluit sanctissimus Dominus noster BENEDICTUS XIII. infra a nobis cum reliquis inserendas, quas idem summus Pontifex, erga omnes coelites devotissimus, hactenus promulgavit.

CLE-

XCVIII.

CLEMENS . XI

Sanctorum confessorum pontificum canoni adscribit Beatum Pium V. Pont. Max. ordinis Fratrum Prædicatorum, a Bosco, opido agri Alexandriæ Statiellorum in Gallia cisalpina, qui obiit die II. Maji A. D. 1572.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Inter multiplices tribulationes, quæ invenerunt nos nimis, clementissimus Deus, qui non continet in ira misericordias suas, visitavit populum suum in pace, & de cœlestium charismatum abundantia, quibus locupletavit electos suos, velut ab ubertate domus suæ, replevit nos gaudio, atque in tantis periculis constitutos novis subsidiis instruxit & confirmavit. Enimvero egregia Sanctorum virorum facinora, tametsi magnalia Dei potissimum, ejusque potentiam loquantur & prædicent, qui ex humanæ naturæ figmento vasa misericordiæ conflare dignatur, ut per infirma mundi fortia quæque confundat; ipsa tamen immensa Dei bonitas artifex ad salutem, in paucorum triumphis plurimorum commodis prospicit, & virtutem præcedentium instructionem efficit posterorum, ut nimirum qui viderint fragiles homines eadem generis infirmitate circumdatos, in carne supra carnem vixisse, & per fidem operantes justitiam adeptos esse repromissiones, pari religionis ardore excitentur ad pugnam, ac nitantur ad coronam; eorumque intuentes exitum conversationis, imitentur & fidem; simul etiam ne quis certantibus diffidentiæ torpor obrepat, in ipsis servorum suorum operibus, in quibus proponit imitationis exemplum, imbecillitati nostræ præsidium parat, eorumque merita, nostra vult esse suffragia. Tantas profecto sui in nos amoris divitias uberrime effudit Dominus, cum dedit nobis de Pii V. Romani Pontificis prædecessoris nostri virtutibus ac meritis lætari & exultare. Cui enim dedit sacerdotium magnum, ut haberet laudem in nomine ipsius, & quem induit virtute ex alto, ut præliaretur prælia Domini, & virtute irrumperet iniquitates, factus in columnam ferream, & in murum æreum pro domo Dei; eumdem etiam translatum de hoc sæculo, & signis admirabilibus illustratum posuit in lucem ac lætitiam populi sui, quem provocaret exemplis, ac foveret auxiliis.

Nos

Nos igitur, quos in hac sublimi Apostolatus specula constituit Dominus, ut annunciemus populis mirabilia ejus, atque ad currendam viam mandatorum ipsius, Christifidelium animos excitemus, officii nostri esse duximus, ut eumdem Pium V. quem nos divina fruentem in cœlis beatitate jampridem colebamus, in terris etiam, auctoritate nobis a Domino tradita, sanctorum fastis solemniter adscriberemus; atque ita universa Christi Ecclesia inter pia gaudia Deum prædicaret mirabilem in Sanctis suis, tantæque pietatis incitamento ac tutela proficeret. Neque enim sine peculiari divinæ providentiæ consilio contigisse arbitramur, ut eo plane tempore, quo orthodoxæ religioni tot ab ejus hostibus undequaque struuntur insidiæ: quo sacrorum canonum salutaris norma tam impudenter contemnitur: quo turbulenti homines, continua novitatum prurigine laborantes, damnatos dudum errores subdolis artibus instaurare conantur: quo abundante nequitia, Christiani populi caritas plurimum refrigescit: quo sæculi potestates nova in dies vulnera ecclesiasticæ libertati inferre moliuntur: quo demum suprema hæc beati Petri Sedes tot contumeliis & injuriis palam afficitur, is Pontifex in sanctorum album referretur, adeoque nostræ non minus, quam Episcoporum omnium imitationi proponeretur, in quo fuit religionis propagandæ perpetuum studium, in ecclesiastica disciplina restituenda indefessus labor, in extirpandis erroribus assidua vigilantia, in sublevandis egentium necessitatibus indeficiens beneficentia, in Sedis Apostolicæ juribus vindicandis robur invictum. Sed præstat jam his nostris literis virtutum ipsius, vitæque rationem enucleate referre, ut tantorum meritorum memoria Apostolici etiam ministerii nostri præconio ac testimonio propagetur.

Gens Ghisleria, perantiqua & generosa nobilitate Bononiæ illustris, atque ordini Senatorio adscripta, civilium dissidiorum causa in varias Italiæ regiones distracta, in opido Boschi Dertonensis diœcesis apud Insubres sedem ac domicilium posuit; ubi licet avito fortunarum splendore exuta, reique familiaris difficultate depressa, non ultimum tamen locum inter ceteras honestiores familias retinens, anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo quarto Paulo Ghislerio & Dominica Augeria parentibus, Michaelem, qui ad Apostolicam deinde cathedram evectus, Pius V. est appellatus, in lucem protulit.

Sacro regenerationis lavacro cœlo renatus generosus alumnus, ac pia, Christianaque educatione imbutus, futuræ sanctitatis præludia ab ipsa edidit adolescentia. Nam statimac quartum supra decimum ætatis annum attigit, mundo, sæculique illecebris vale dicens, Fratrum Prædicatorum instituto nomen dedit, præclara illius ordinis decora, ac potissimum eximia in hanc sanctam Sedem merita plurimum aucturus. Hic enim ille est laudatissimus sancti Dominici ordo, in quo, ut primum institutus fuit, tanquam in opimo ac fertili agro, eodemque bene ac diligenter subacto & exculto, viri doctrinæ præstantia, & vitæ sanctitate conspicui nunquam alii aliis succrescere desierunt.

Strenuus itaque in his castris miles munia ejusdem ordinis, Lectoris scilicet, Prioris & Definitoris, quæ exacta regularis disciplinæ observantia promeruit, summa cum laude obivit, totusque in eo fuit, ut viva probatorum Patrum exempla sibi proponeret imitanda; ratus, & quidem merito, basim ac fundamentum religiosæ vitæ in assidua ad Deum precatione, atque in legendis, imitandisque sanctorum virorum gestis,

gestis, sancti Dominici præsertim, ac eorum, qui Dominicanam familiam sanctitatis fama illustraverant, esse collocanda. CONSTIT. XCVIII. A. D. 17..

Cum autem plurima in hoc viro admirabilia fuerint, præcipue singulare studium conservandæ veræ & catholicæ religionis, & adversus eorum fraudes & insidias, qui illam ulla ex parte labefactare conarentur, implacabile odium semper eluxit. Quare apud Novocomenses primum, deinde apud Bergomates fidei quæsitor renunciatus, illis, qui ab Ecclesia descivissent, perpetuum bellum indixit; tum, ut errantes ipsos in viam salutis revocaret, tum, ut cæteros ab erroris contagione servaret illæsos.

Ergo cum ei munus in eos publice inquirendi mandatum fuisset, non ille potentum inimicitias, non pericula, non vitæ ac capitis dimicationes, dum illos modis omnibus persequeretur, sibi fugiendas putavit; sed potius ultro ac cupide appetiit; servatoque a Deo mirabiliter, non animum martyrio, dicendum, sed martyrium animo defuisse. Erat tunc temporis suo viduata pastore Curiensis Ecclesia apud Rhætos, cui canonicus quidam, etsi suspectæ fidei, ob suffragiorum numerum forte præficiendus erat. Mittitur propterea hujusce causæ cognitor beatus Pius; eaque ad juris normam probe confecta, hæreseos criminis reus canonicus ille declaratus est. Pius vero rem hanc totam ita forti animo gessit, ut numquam ordinis sui indumenta etiam per breve tempus exuere voluerit, quanquam eum omnes alieno vestitu incedere hortarentur, ne oculos hæreticorum offenderet, qui capitale odium adversus Dominicanos Fratres profitebantur. Negavit id se facturum Pius, sancte testatus, se quamlibentissime, si ita Deo visum fuisset, sacra illa veste indutum mortem oppetiturum.

Pari sane constantia Bergomensem civitatem ab hæreticorum peste diligenter purgavit; ubi invicto animo adversus Medolacum falsæ doctrinæ propagatorem acerrime institit, quamvis magna amicorum ac consanguineorum copia suffultum, a quibus subinde graves excitatæ sunt turbæ.

Id quod præstitit adversus ejusdem civitatis Episcopum, cujus profecto præpotens auctoritas eo devenerat insaniæ, ut quosdam nefarios homines immitteret, qui integerrimum fidei ministrum vi, dolove captum, maximis cruciatibus perimerent. Verum uterque tandem jure ac merito hæreseos damnatus hæreticorum pœnas luit. Medolacus enim carceri apud Venetos mancipatus extremum diem miserrime clausit, Episcopus vero e Sede episcopali dejectus dignitatem amisit.

Demum cum in hoc arduo munere strenue, fideliterque laborasset, supremæ Romanæ Inquisitionis commissarius a felicis recordationis Paulo Papa IV. prædecessore nostro declaratus fuit, inde ad episcopale Nepesinæ Ecclesiæ regimen assumptus, ac subinde anno millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo in sacrum S. R. E. Cardinalium ordinem cooptatus, eique supremi ac perpetui Inquisitoris provincia demandata fuit, facta omnibus Episcopis ac Delegatis jussione, ut in rebus ad sanctum Officium pertinentibus ipsum veluti superiorem agnoscerent.

Hanc vero amplissimam dignitatem, quæ nemini unquam nec antea, nec postea collata fuit, recolendæ memoriæ Pius Papa IV. etiam prædecessor noster, qui memorato Paulo prædecessori in pontificatu successerat, Cardinali Alexandrino (hoc nomine beatus Pius inter purpu-

CONSTIT. XCVIII. A. D. 1712.

purpuratos Patres nuncupabatur) nedum confirmavit, verum etiam illum novis in dies fulgentem meritis a Nepesino Episcopatu ad ampliorem regendam Ecclesiam Montis Regalis in subalpinis transtulit.

Divina itaque providentia ad majora vocatus, sacræque purpuræ ornamento cohonestatus, ita modestiam, humilitatem, ceterasque virtutes omnes excoluit, ut illæ novo lumine illustratæ & adauctæ magis, magisque suspiciendæ intuentium oculis apparuerint. Paucis enim in famulatu, probisque in primis adscitis, paterna illos caritate complexus, more religiosorum secum vitam agere, Deoque inservire verbo docuit & exemplo.

Coacta ea tempestate apud Tridentum œcumenica Synodo, cum ardua ibi religionis, disciplinæque ecclesiasticæ negocia tractarentur, illaque Romæ maturo examini in conventu doctissimorum virorum subjicerentur; magni apud omnes ponderis, summoque in pretio fuit Cardinalis Alexandrini calculus, qui, posthabitis sæculi rationibus, nihilque sapiens terrenæ affectionis, Apostolica plane libertate sententiam dicere semper visus fuit, quamquam simultates & odia sæpius ea de re subiturus.

Interea præfato Pio IV. prædecessore rebus humanis exempto, summo omnium Patrum consensu Cardinalis Alexandrinus die septima Januarii anni millesimi quingentesimi sexagesimi sexti Pontifex Maximus renunciatur, assumptoque Pii V. nomine, Ecclesiæ universalis gubernacula post fusas Deo ferventissimas preces, non minori populorum gaudio, quam expectatione suscepit. Nec profecto communem opinionem fefellit. Nam vix supremo fastigio admotus, nil antiquius habuit, quam clementiæ ac beneficentiæ testimonia, & singularia edere documenta, nedum erga illos, qui vel minimum commodi ipsi contulerant; verum etiam in eos, qui de se male meriti fuerant, ut perfectissimam imitaretur caritatem Patris nostri, qui in cœlis est.

Inter tot, tantasque Apostolici ministerii curas nunquam a piissimo Pontifice, quanquam affecta ætate & corpore admodum imbecillo, intermissa jejunia, carnis macerationes, orationum, precationumque frequentia interdiu nunquam posthabita, de nocte vero sæplus adaucta quoties pro re catholica quidquam magni momenti decernendum accideret. Nihil enim de pristina religiosæ vitæ severitate remiserat, demptisque principatus insigniis, & externo dignitatis splendore, in mentis recessu privatum agebat. Imo quanquam adhuc in terra positus, versabatur in cœlo; cumque inter mortales degeret, jam tamen civis erat sanctorum & domesticus Dei.

Hinc consanguineos suos non titulis, non divitiis, non honorum gradibus insignitos ac donatos voluit; sed Michaelem Bonellum suum ex sorore pronepotem, nonnisi post exactum in Dominicana familia tirocinium, sacrarumque literarum peritiam adeptam, totius sacri Collegii non approbatione tantum, sed enixis etiam precibus accedentibus, inter S. R. E. Cardinales assumpsit.

Nemini item in aula pontificia locum dari passus est, nisi cui probatæ vitæ ratio illum comparasset; adeout Pontificis familia, ad exemplum Domini sui instituta atque composita, nulla re magis, quam modestia singulari & præcipua quadam animi, morumque integritate a ceteris discerneretur.

Nulli

Nulli apud ipsum ad Ecclesiæ dignitates aditus patuit, nisi cui merita, prudenti judicio expensa, ad illas obtinendas viam stravissent, viresque ad easdem probe exercendas abunde suppeditassent. CONSTIT. CXVIII. A. D. 1712.

Flagrans in eo propagandæ religionis catholicæ desiderium, indefessus pro instauranda ecclesiastica disciplina labor, incredibilis, ac quasi perpetua in extirpandis erroribus vigilantia, pro tuendis Ecclesiæ juribus ferreum pectus, in castigandis corrupti sæculi moribus, malorumque hominum licentia & temeritate duriores renovatæ leges, atque excitata judiciorum severitas. Contra vero prona ac semper inexhausta beneficentia curavit subditorum commoda, quorum querelas, supplicesque recursus non modico valetudinis suæ dispendio, data cuilibet adeundi, fandique copia, prolataque audiendi patientia, a mane usque ad vesperas, pene quotidie excipiebat.

Talis demum ac tantus in eo affulsit splendor virtutum, ut ab eis sanctitatis radiis illustrati & nobilis quidam Anglus & Ollicæ Dux, Hebræique nonnulli ad admirabile Evangelii, orthodoxæque fidei lumen libenter accesserint. Quos inter Elias quidam archisynagogus, divitiis, famaque celebris, una cum filiis Vaticano in templo solemni ritu Pii Pontificis manu sacri baptismatis beneficium accepit.

Qua integritate, qua justitia, qua æquitate sanctæ hujus Sedis regimen, totiusque catholicæ Ecclesiæ procurationem Pius gesserit, editæ ab eo sanctiones inter alia Romanorum Pontificum decreta typis vulgatæ probe testantur.

Quanta protinus ipse fecerit, ut in Gallia, Belgio, Germania, Scotia, Anglia, Poloniaque sarta tecta catholica religio conservaretur ac propagaretur, ex luculentis scriptorum monumentis ac publicis, omnique fide dignis historicis colligi potest, adeout pene miraculo proxima sit ingens illa vis pecuniarum, qua omnibus fere orbis Christiani partibus inopia pressis, aut religionis causa laborantibus, sine ulla cunctatione subvenit.

Cum Galliam omnem hæresis Calviniana, Hugonottorum appellata, susquedeque verteret, atque hujus rei causa nonnulla inibi orthodoxæ religioni parum consentanea in publicum emissa essent decreta; tam forti animo apud Regem Christianissimum institit Pius, ut illa penitus e publicis tabulis deleta fuerint atque abrogata. Tum consilio, pecunia, commeatu, ac militibus in Galliam, duce Comite Sfortia sanctæ Floræ Domino, opportune transmissis, ita Catholicorum partes adjuvit, ut inflicta hæreticorum copiis insigni plaga, regnum Regi, Regno religionem, & verum Deo cultum restituerit.

Neque minores in Belgio turbas ad labefactandam religionem excitaverant heterodoxi, quibus ne statim cursum retardaret Hispaniarum Rex, curatis tunc solummodo politicis rebus, ac dilato in aliud tempus religionis negocio, auctores erant aulicorum consiliariorum quamplurimi. At Pius pontifex evertit tam perniciosa consilia, collataque tempestive pecunia, ac nonnullis inter Italos bellicosis viris, ut in Belgium pro fide pugnaturi pergerent, persuasis, in causa fuit, ut quamplurimæ Albano Duce belli summam dirigente, de hæreticis victoriæ fuerint reportatæ, exuviæque, & vexilla perduellium e parietibus Lateranensis basilicæ, celebris facti monumenta pependerint.

Prope erat, ut Cæsar necessitate compulsus in Austriæ Archiducatu hæreticis Augustanæ, ut vocant, confessionis liberum suæ hæreseos exer-

CONSTIT. XCVIII. A. D. 1712.

exercitium permitteret, nisi Pius pontifex misso in Germaniam Cardinali Commendono, pericula orthodoxæ religionis, quæ jam imminebant, opportune avertisset.

Similiter cum apud Polonos publicis edictis mulctati fuissent Antitrinitarii, aliique hæretici, verum dictæ confessionis Augustanæ Calvinianæque hæreseos professoribus in eodem Regno degere esset permissum, Pius apud Regem effecit, ut ille solemnem ac jure jurando firmatam sponsionem ederet, qua sese in religione catholica ad mortem usque perseveraturum, ac nunquam passurum vel minimum imminui, immutarique Romanæ fidei dogmata, avitosque ritus, quidquid contra niterentur hæretici, sancte promitteret. Plurimas e scriptis Michaelis Baji excerptas propositiones, e quibus tanquam errorum fonte, Janseniana labes orta in hæc usque tempora derivavit: ac licet a pluribus Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, imo etiam a nobis sæpius confixa atque proscripta, adhuc tamen latenti propagine reviviscere, virusque contagii effundere non desinit, provido & Ecclesiæ salutari consilio edita sanctione in ipsa origine damnavit.

Hærebat squallore carcerum, hæreticorum dolis, odioque implacabili Elisabethæ prætensæ Reginæ Angliæ mancipata claræ memoriæ Maria Stuarda Regina Scotorum, religiosissima femina, resque catholica, in illo Regno lacerata, & undique collisa animum sanctissimi Pontificis paternæ caritatis stimulis exagitabat. Quare afflicto illo rerum statu explorato, Mariæ Reginæ constantiam amantissimis, sanctoque zelo refertis epistolis fovere non desiit ac excitare, ut a puritate fidei, quam a parentibus hauserat, & eatenus illibatam servaverat, nullis se conditionibus divelli pateretur, menteque recoleret longe potiora esse æterna cœli præmia, quam caduca hæc, & inania terrenæ dominationis bona. Eodem vero tempore catholicos Germaniæ Principes adhortatus est, ut traductis in Scotiam opportunis auxiliis periclitantem fidem ac religionem validissime tuerentur. At ubi per summum scelus Mariæ Reginæ supradictæ carnificis manu caput abscissum, omnesque Anglici Regni episcopos a Sede sua violenter depulsos cognovit, atrocitate rei commotus impiam Elisabetham flagitiorum servam, uti hæreticam & hæreticorum fautricem, horribili anathemate ferire nil cunctatus, a juramento fidelitatis proceres subditos & populos dicti Regni perpetuo absolvit, illamque omni & quocunque ejusdem Regni prætenso jure, dominio, dignitate ac privilegio privatam pontificia auctoritate declaravit.

Verum quos labores susceperit, quot, quantosque sumptus, ac curas impenderit pro Christiana Republica servanda, propulsandoque a fidelium cervicibus hoste immanissimo ac potentissimo, nemo est, qui ignoret; cum scilicet navali prælio commisso, præclaram illam & post hominum memoriam insignem, maximamque victoriam, Christo duce, quem in vexillo Imperatoriæ triremis elevari jusserat, reportavit.

Expugnata siquidem superiori anno Nicosia, regnoque Cypri florentissimo (dolentes recordamur, & acerbitate jacturæ adhuc ingemiscimus) in ditionem redacto, secundis rebus elatus Turcharum tyrannus Selimus, odioque in Christianum nomen ac insatiabili avaritia inflammatus, classem instructissimam comparaverat, qua Cretam, Corcyram, Zacynthum, orasque omnes maritimas incendiis, rapinis, mise-

miserorumque captivitate fœde populabatur, ipsamque Italiam & almam hanc Urbem superba spe devorabat. CONSTIT. XCVIII. A. D. 1712.

Nemo erat tunc temporis, qui expensis nefarii hostis viribus & effrænata illius regnandi cupiditate, opprobria, ignominias, servitutem, vitæque extrema non expavesceret. Quisque religiosissima templa, arasque sanctissimas complexus, pro liberis, pro conjugibus, pro fortunis, proque dulci hujus lucis usura lacrymans deprecabatur. At vero in tanta rerum perturbatione, ac inveterata apud omnes opinione, ferocissimum hostem Christianorum armis superari non posse, invicta Pii constantia, inito cum Christianis principibus sacro fœdere, ac classe copiosissima instructa præliatus est bella Domini, & in spiritu vehementi naves Tharsis penitus contrivit, atque delevit.

Nec tantæ victoriæ nuncium, optatumque rumorem diu expectavit sanctissimus Pontifex. Defixis quippe oculis in imagine Redemptoris nostri e cruce pendentis, cum anxiis precibus & voce fletus sui, solito uberioris, divinam misericordiam exoraret, ne gentibus efferatis hæreditatem suam diripiendam relinqueret, sed in brachio excelso populum suum salvum faceret, in excessu mentis superno lumine illustratus videre meruit Christianæ classis prosperos eventus illo ipso die, ac eadem hora, qua feliciter ad Echinadas insulas pugnatum fuit.

Sed & alia & fortasse majora ad religionis incrementum cogitantem Pium, Deo sic disponente, communis necessitas prævenit; cujus in occursum humilem, constantem, patientemque animum præseferens piissimus senex extrema vi morbi correptus acerbissimos dolores tam fortiter toleravit, ut solum ad Jesu Christi Crucifixi imaginem dulciter suspirans, hæc sæpius ingeminare verba auditus fuerit: *Domine, auge dolorem, sed & auge patientiam*. Mortem autem sibi ab ipso morbi principio certam atque exploratam ita non exhorruit, ut de ea sine ulla prorsus aut vultus aut animi perturbatione coram familiaribus suis loqueretur, eamque a se in lucro poni, anteactæ vitæ fiducia plane demonstraret. Ceterum quod ex illo morbo sibi pereundum fore divina revelatione præscivisset, duas apertas, atque illustres ejus rei significationes dedit. Unam scilicet, quod Cardinalem Alexandrinum pridie Parasceves, hoc est vicesimo nono ante ipsius obitum die sacrosanctam Eucharistiam sibi porrigentem, & usitata verborum formula utentem jussit subsistere, & ita verba concipere, ut in iis tantum fit, qui sanctissimum illud Sacramentum pro viatico accipiunt, supremum iter & viam universæ carnis ingressuri. Alteram vero, quod cum aliqua morbi remissione depulsum ab eo mortis periculum constans opinio esset, septem præcipua Urbis templa invisere voluit, ejusque itineris, quanquam viribus infirma valetudine dejectis, magnam partem pedibus confecit, aperte profitens velle se eorum reliquias postremo videre, quorum animas non multo post visurum se esse speraret in cœlo.

Denique vi morbi invalescente, statimac novissimam appropinquare horam præsensit, sacrum Christianorum principum fœdus Cardinali Alexandrino ferventissime commendavit. Deinde psalmos Davidicos sibi prælegendos proposcit, lectori mandans, illos alta voce pronunciare, interposita singulis versiculis mora, ut ipse divina eloquia per aures admissa dulci contemplationis affectu sensim degustaret, sitientemque spiritum irroraret nectare suavissimo.

CONSTIT. XCVIII. A. D. 1712.

Tandem, cum historia passionis Domini nostri Jesu Christi ex Evangelio legeretur; manibus in modum crucis expansis, nullo motu, strepituve edito, suaviter efflavit animam, eamque reddidit Creatori.

Maxima, eo defuncto, statim percrebuit fama illius sanctitatis; cujus nempe desiderium, publicamque jacturam ipsa etiam muta elementa, terræ fremitu, fulminibus, amniumque exundatione testata fuerunt. Quare non Romani populi solum, verum etiam plurimorum e vicinis regionibus hominum concursus ad visendum illius cadaver factus est; adeout majorem custodum, militumque numerum adhibere opus fuerit, ne populi fervor, qui beati cadaveris vestes jam violenter sciderat, carnes etiam in frustra distractas secum asportaret.

Agi cœptum de Pio inter Sanctos referendo anno millesimo sexcentesimo vicesimo primo: cujus rei gratia instructis variis, tam ordinaria, quam Apostolica auctoritate processibus, fuit, ut mos erat illius temporis, tribus antiquioribus Romanæ Rotæ judicibus eosdem examinandi demandata facultas, qui, lato de hac re judicio & documentorum auctoritatem probarunt, & virtutum præstantiam heroicum gradum attigisse, necnon miracula supra communem naturæ usum fuisse patrata dixerunt. Horum judicio sacrorum rituum Congregationis examen superinductum, in quo pariter juridica actorum validitas, atque in gradu heroico comprobatæ virtutes, simulque duo, quæ subsecuta fuerant, miracula plene comprobata;

Quorum fuit primum, ab igne penitus illæsas remansisse hujus beati Pontificis duas imagines, ex papyro unam, alteram ex tela, confectas, in privato oratorio seu sacello Antonii Cordubæ & Cardonæ Ducis Sessæ e pariete pendentes, licet ignis ita vehementer per totam ædem grassatus fuisset, ut etiam argentea simulacra flammarum vi liquefacta fuerint, lapideumque altare in forma cocti pumicis transierit, ac universa illius ædiculæ sacra supellex (dictis dumtaxat duabus imaginibus, eaque strati altaris prædicti parte, in quam altera earumdem imaginum cediderat, exceptis) in favillam & cinerem redacta fuerit.

Alterum fuit Tiburtiæ Florentiæ Auvimanæ, mulieris septuagenariæ repentina sanatio. Hæc siquidem acuta, malignaque febri correpta, aliisque congestis morbis oppressa, itaut medicorum judicio intra trium horarum spacium jamjam moritura crederetur: ubi Pii indusium ægro corpori devote applicuit, nulla interposita mora, sana & incolumis e lectulo surrexit, vitamque ad multos annos feliciter protraxit.

Fuerunt pontificio decreto firmata tum quæ ad virtutes, tum quæ ad miracula pertinebant, supradictæ Congregationis judicia; remisso in aliud tempus reliquorum miraculorum, quæ a causæ postulatoribus proponebantur, examine.

Interea cum piæ memoriæ Urbanus Papa VIII. pariter prædecessor noster super hujusmodi causis quædam nova decreta edidisset; novum condere processum super non cultu, ac quasdam a Pio exaratas epistolas exhibere necesse fuit. Quibus omnibus impletis, constitit de observantia eorumdem decretorum, prout etiam nihil in prædictis epistolis contineri, quod pietatem tanti Pontificis non redoleret. Quamobrem instauratum fuit examen miraculorum, nedum alias relictorum, imo & ipso Pio vivente patratorum, sed etiam eorum, quæ post-

poſtmodum intermedio tempore afferebantur contigiſſe. Horum duo præcipue in memorata Congregatione coram ſimilis memoriæ Clemente Papa X. etiam prædeceſſore noſtro habita, omnium calculis admiſſa, & ab eodem Clemente prædeceſſore approbata fuerunt. CONSTIT. XCVIII. A. D. 1712.

Primum fuit divina illa beato Pio immiſſa cognitio, qua ipſe eodem prorſus die, eademque hora, quibus navalis, quam ſupra innuimus, victoria a Chriſtianis reportata fuerat, clariſſime illam reſcivit, atque iis, qui ſecum aderant, patefecit: qui, cum menſem, diem, horamque adnotaſſent, ubi poſtea certus de victoria nuncius advenit, illam, uti Pius ipſis prædixerat, eveniſſe apertiſſime cognoverunt.

Alterum fuit mira quædam, ac perampla triticeæ farinæ multiplicatio, quæ contigit in monaſterio monialium ſancti Dominici apud Pratum in Etruria.

His itaque duobus miraculis, ſicut præmittitur, admiſſis, cum ſubinde eadem Congregatio, ipſo Clemente prædeceſſore approbante, cenſuiſſet, ſervum Dei Pium V. beatorum catalogo adſcribi poſſe, necnon officium ac miſſam in honorem concedi, idem Clemens prædeceſſor anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſecundo Pium V. prædictum *Beati* nomine nuncupari, ejus corpus & reliquias venerationi fidelium exponi, & aliquibus in locis de eo officium recitari, miſſamque de Confeſſore pontifice juxta rubricas Breviarii & Miſſalis Romani celebrari poſſe indulſit.

Porro reaſſumpta denuo cauſa, expeditiſque remiſſorialibus ac compulſorialibus literis, ut quæ poſt venerationem, eidem beato Pio, ſicut præmittitur, indultam, ſupervenerant, rite probarentur; novi proceſſus efformati fuerunt: quorum diligenter perpenſa & deinde admiſſa validitate ab eadem ſacrorum rituum Congregatione, illius ſententiam approbavimus.

Firmata actorum validitate, ſuum ſubjit examen eorumdem relevantia; adeoque duo de novo ſuperventa miracula in ipſa Congregatione coram nobis habita diligenter expenſa, & ab ea approbata fuerunt.

Primum fuit de Margarita Maſſia decenni puella, paralyſi diuturna in coxis & cruribus laborante, ſtatim & in continenti priſtinæ ſanitati reſtituta.

Alterum de inſtantanea emiſſione fœtus, materno in utero a pluribus diebus jam mortui, abſque ullo Iſabellæ Ricciæ genitricis parientis dolore editi, cum ipſius genitricis præſervatione ab evidenti mortis periculo.

Auditis tamen deſuper tam Cardinalium, quam conſultorum præfatæ Congregationis ſuffragiis, nihil tunc fuit a nobis definitum, ut in re tanti momenti divinum prius de more imploraremus auxilium.

Quod cum a nobis peractum fuiſſet, nos pariter duo hæc poſtrema miracula approbavimus. Deinde habita iterum coram nobis generali Congregatione ſupradicta, fuit in deliberatione poſitum, an tuto ad ſolemnem canonizationem beati Pii deveniri poſſet. Licet autem omnes unanimi conſenſu affirmative reſpondiſſent, adhuc tamen, antequam in tam arduo negocio quidquam decerneremus, denuo ſuperni luminis adjutorium expetendum eſſe cenſuimus. At poſtmodum dictæ Congregationis ſecretario, necnon coadjutore promotoris fidei accitis die quarta Auguſti milleſimi ſeptingenteſimi decimi, ſancto Dominico funda-

CONSTIT. XCVIII. A. D. 1712.

fundatori ordinis Prædicatorum facta, beatum Pium V. non tam ad novum ac præclarum decus præfati ordinis de catholica Ecclesia optime meriti, quam ad majorem ipsius Apostolicæ Sedis honorem & gloriam canonizandum, & inter Sanctos referendum esse decrevimus.

Reliquum erat, ut accurata præmissorum omnium relatio universo S. R. E. Cardinalium collegio de more fieret: quod cum recte, fideliterque præstitisset tunc in humanis agens bonæ memoriæ Johannes Maria ejusdem S. R. E. Cardinalis, Gabriellius nuncupatus, pro venerabili fratre nostro Gaspare Episcopo Sabinensi dictæ S.R. E.Cardinali, Carpineo nuncupato, præfatæ Congregationis præfecto, tunc ægrotante, totius summa processus in consistorio nostro secreto, die vicesimo Aprilis proxime præteriti habito, plene relata; reliqui omnes Cardinales, qui tunc aderant, unanimi voce dixerunt, sibi placere, quod nos ad solemnem beati Pii canonizationem deveniremus.

Quocirca sequenti publico consistorio, in quo dilectus filius Marcellinus Corius aulæ nostræ consistorialis advocatus, pro eadem canonizatione luculenter peroravit, ac nomine totius ordinis Prædicatorum, ut ad eam procederemus, humiliter supplicavit; nos attenta rei gravitate, Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos & Episcopos ibidem præsentes omni animi contentione hortati sumus, ut orationibus, jejuniis & eleemosynis sedulo incumberent, quo divina voluntas clarius nobis elucesceret.

Deinde in semipublico consistorio, vocatis non solum Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis prædictis, sed etiam nostris, & Sedis Apostolicæ notariis, protonotariis nuncupatis, ac palatii nostri Apostolici causarum auditoribus de more præsentibus, plura a nobis de eximia beati Pii sanctitate ac miraculis commemorata fuerunt; cumque omnes concorditer ad ejus canonizationem deveniendum esse, suffragiis suis aperte censuissent; nos unanimi eorum consensu audito, aperuimus os nostrum in benedictionibus, ac Dei nutum & voluntatem secuti, justum & debitum esse censentes, ut quos Deus honorat in cœlis, nos venerationis officio laudemus & glorificemus in terris, diem celebrandæ canonizationis indiximus, eunctos adhortati, ut in orationibus, jejuniis & eleemosynis perseverantes, Spiritus Sancti gratiam nostræ humilitati in tam alto negocio impetrare studerent.

Demum peractis omnibus, quæ ex sanctorum Patrum auctoritate, canonicis sanctionibus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ antiqua consuetudine, ac novorum decretorum præscripto agenda & observanda erant, hodie, hoc est festo sanctissimæ Trinitatis, in sacrosancta beati Petri Apostolorum principis basilica, in quam solemni ritu cum Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis supradictis, necnon dilectis filiis Romanæ curiæ Prælatis, officialibus & familiaribus nostris, clero sæculari & regulari, ac maxima populi frequentia mane convenimus; post repetitas a dilecto filio nostro, Annibale sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diacono Cardinali, Albano nuncupato, nostro secundum carnem ex fratre germano nepote, per Marcellinum advocatum prædictas instantias illas, quæ dudum Sedi Apostolicæ a catholicis Regibus & Principibus pro canonizatione hujusmodi porrectæ fuerant, nobisque a præfato ordine Fratrum Prædicatorum assidue porrigebantur, post sacros hymnos, litanias, aliasque preces decantatas, ac Spiritus sancti gratiam humiliter imploratam;

Ad

Ad honorem ejusdem sanctæ & individuæ Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicæ & christianæ religionis augmentum, auctoritate Domini nostri Jesu Christi, beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra, matura deliberatione præhabita, & divina ope sæpius implorata, ac de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum, in Urbe existentium, consilio beatum Pium V. *Sanctum* esse decrevimus & definivimus, ac Sanctorum catalogo adscripsimus, prout tenore præsentium similiter decernimus, definimus & adscribimus, statuentes, ab Ecclesia universali illius memoriam quolibet anno die quinta Maji inter sanctos confessores pontifices pia devotione recoli debere, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen.

Parique auctoritate omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus & confessis, qui annis singulis dicta die quinta Maji ad sepulcrum, in quo ejus corpus requiescit, visitandum accesserint, septem annos & totidem quadragenas de injunctis eis aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis, misericorditer in Domino relaxavimus in forma Ecclesiæ consueta.

His peractis, Deum Patrem ingenitum, Regemque gloriæ Christum Dominum, Patris Filium unigenitum, ac sanctum Paraclitum Spiritum unum Deum, unumque Dominum laudibus & confessionibus venerati, sacroque hymno, *Te Deum*, magna cum animi nostri exultatione decantato, Patri misericordiarum & Deo totius consolationis gratias agere non cessavimus, quod sanctissimum hunc prædecessorem nostrum in conspectu omnium gentium honorificaverit, eumque nobis dederit in hac tribulationum nostrarum nocte, tanquam solem fulgentem in templo suo, ut qui in diebus suis placuit Deo, & inventus est justus, in tempore iracundiæ fieret reconciliatio. Missam deinde ad altare sancti Petri Apostoli ejusdem basilicæ solemniter de more celebravimus, omnibusque Christifidelibus ibidem præsentibus, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam concessimus.

Ceterum quia difficile foret, præsentes ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum definitionis, decreti, adscriptionis, mandati, statuti, relaxationis, concessionis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo duodecimo, undecimo Kalendas Junii, pontificatus nostri anno duodecimo.

✠ Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

✠
✠
✠

✠ Ga-

illa immortali securitatis regione eum nobis militantibus adfuturum hilari animo confidere incepimus.

Hunc itaque insignem Christi confessorem nos mortalibus honoribus universo Christifidelium cœtui colendum exponere, arasque, & supplicationes eidem decernere cupientes, fusis noctu dieque precibus, in jejuniis & lacrymis orantes, intensique cordis affectu Patrem luminum deprecantes, ut in re tam grandis momenti, & supra humanam conditionem posita, mentem nostram cœlesti sua luce perfundere ac instruere dignaretur, tandem infirmitati nostræ suffragantibus universæ Ecclesiæ orationibus, piisque operibus ad id sedulo adhibitis, visum est Spiritui sancto, qui in nobis divina miseratione operatur & loquitur, lucernam ardentem super Ecclesiæ candelabro Andream Avellinum extollere, ut illum in albo Sanctorum solemni ritu translatum Christianus orbis exoret, tantisque ingruentibus calamitatibus tutelam, validumque præsidium se habere apud Deum intelligat, & deprecari assuescat nuncupatione votorum.

Gaudemus profecto, sanctaque in Domino exultatione replemur, infirma, luteaque vasa deferentibus, & adversus sæcularia desideria, mundique procellas assidue luctantibus optatam e cœlo tandem illuxisse cynosuram, quæ, lumine nunquam defuturo, securos beatæ Sion portus, & exemptam ab omni ærumnarum, fluxæque vitæ periculis quietem in sinu æternitatis demonstret. Gaudemus, generosum Christi athletam mundo exutum, soloque Deo armatum e castris ac tentoriis religiosæ Teatinorum familiæ in arenam prodiisse, bonumque certamen certasse: quem quidem sanctitatis odorem longe lateque exhalantem, probatumque heroicæ virtutis documentis, gloriæ corona donandum provida æternæ mentis consilia nostris temporibus reservavit. Gaudemus demum, ita postulantibus meritis & miraculis, quibus inclaruit, cœlestes in terris sanctorum honores illi decernere, qui mira humilitate contempsit humanos. Audite ergo populi Israel, & laudate Dominum in atrio sancto ejus.

Andreas itaque in sortem Domini usque ab ineunte ætate vocatus, apud Castrumnovum in regno Neapolitano, Lucanæque provinciæ opidum anno millesimo quingentesimo vicesimo primo a Johanne Avellino & Margarita Apella conjugibus, optimisque parentibus, suæ mortalitatis exordium suscepit, atque inibi Christianis moribus, & primis grammaticæ rudimentis a suo patruo ejusdem loci archipresbytero imbutus, sublimiores scientias alibi assequuturus, paterna domo se abdicavit. Scientiis hujusmodi assequendis nunquam illarum initium, quod Dei timor est, in oculis habere prætermisit; tantique principii assiduo, ferventique cultu universam, quam pertransivit studiorum semitam, illustravit, & pubescentem ætatis suæ florem futuris sæculis consecravit; ac ita piissimus adolescens lubrica voluptatum irritamenta invicto pede calcavit, ut perfectæ ætatis gradum præcoci virtute transcenderit. Nam sæpe ab impudico mulierum æstu, & præsertim ab effræni ejus nutricis licentia, quæ honestissimi nominis pudorem meretricio dedecore violaverat, impetitus, generosa fuga victor evasit.

Patriæ se reddens, divino Spiritu ductus, clericali militiæ nomen dedit; & Christi tirunculus in ejus studio non sæculi, sed cœli lucra quæsivit. Quippe in patria commorans & per vicina opida excurrens, pueros ad Christianæ fidei præcepta discenda, amplectendaque, &

CONSTIT. XCIX.

A. D. 1712.

illarum regionum incolas ad pia monita exequendo, non sine ingenti animarum quæstu cœpit a fæculi fomno excitare. Verum quia legibus nondum vacaverat, ejusque parens spe futurorum erectus, filium a se divelli ægerrime ferebat; Andreas, paterno acquiescens consilio, Neapoli juri civili operam daturus concessit.

Hic itaque juris utriusque peritiam adeptus, reliqua literarum ornamenta nova jurisprudentiæ accessione cumulavit. Ad sacerdotalem dignitatem evectus, & in ea constitutus, causas in foro ecclesiastico pro quibusdam personis privatis dumtaxat, juxta sacrorum canonum præscriptum, tuendas suscepit; donec a Johanne Marinonio clerico præfatæ Congregationis, viro probatæ virtutis, & quem ille sibi conscientiæ ducem elegerat, sancte callidior factus, ab hujusmodi procuratione se avertit; & nihil doctius, nihilque ditius arbitratus, quam uni Deo vacare, æternoque animarum quæstui incumbere, a lubrico cujuscumque humanæ spei fastigio descendens, divinæ Sapientiæ quadrigam ascendit, ac, velut auriga Christi, ad perennis beatitudinis metam concitatus se convertit.

Quapropter rectius iter aggressus, ita probis Neapolitanæ Urbis ecclesiasticis pie vivendi more antecelluit, ut ab ejusdem civitatis Archiepiscopo ejus Vicarius ad revocandas nonnullas cujusdam monasterii sanctimoniales, quæ a recto regularis observantiæ tramite aberraverant, deputatus fuerit. Ille vero porrectis prius ferventissimis Deo precibus, exploratoque conscientiæ suæ moderatoris consilio, munus hoc arduum suscepit, illudque ita, Deo ejus votis & laboribus annuente, feliciter absolvit, ut virgines illæ, quæ procul ab immortali suo sponso dormitaverant, validis Andreæ clamoribus, sponsum advenientem nunciantis, excussæ surrexerint; ornatisque novo reformationis zelo lampadibus suis, quæ circumfusis inobservantiæ tenebris jamjam defecerant, recenti lumine pulchriores cum illo intraverint ad nuptias. Una tamen ex eis diuturno cujusdam profani viri commercio detinebatur. Sed Andreas hoc vetus & arctissimum Satanæ vinculum forti brachio conterere aggressus est, facto utrique interdicto, viro scilicet; ne ad monasterium, moniali vero, ne ad crates alloquendi gratia accederent. Tantus hominis illius nequam exarsit in virum Dei furor, ut sicarios, qui Andream, sicubi invenissent, perderent, quater immiserit. Horum primo nefarios delusit impetus non eis bene nota venerandi viri facies. Secundo loci sanctitas eos deterruit; nam flexis genibus orantem in templo Andream invenerunt. Tertio impium facinus aggressi, leve in ejus facie vulnus inflixerunt. Quarto demum gemina in vultum plaga pariter illata, pessime habitum reliquerunt. Nam alterum ex vulneribus profundius adactum, dissecta insigniori arteria, aut proximam ei mortem allaturum, aut, si medicas unquam manus admisisset, maximum perpetuumque deformitatis vestigium ejus in vultu relicturum existimabatur. Ipse quidem ore impavido vulnera sustinuit; & felix cruor ille, qui pro gloria Dei ex vulneribus, velut e gemino caritatis fonte in æternitatis coronam saliebat, non doloris gemitus, non vulnerantium contumeliam, sed vulnerati constantiam, divinasque laudes generose murmurabat. Ut autem per levamen & auxilium in terris sibi præpararet triumphum, quem tunc proxime se assecuturum sperabat in cœlis, ad cœnobium sancti Pauli Teatinorum dictæ civitatis se protinus afferri proposuit; ut ibi a præfato Johanne Marinonio idem cœnobium tunc gubernante, qui eum

ad

ad cursum animavit, ad coronam quoque, martyrum pompa redimitus adduceretur. Verumtamen, Deo sic disponente, ad majora illi differtur triumphus; & ne vulnerum imago triumphi merita reposceret, ita convaluit, ut nullum cicatricis vestigium, nisi de proximo, & diligentius intuenti, apparuerit. CONSTIT. XCIX. A. D. 1712.

Decumbentis itaque Andreæ virtus juxta Patrum Teatinorum virtutem posita, illorumque suavibus ac piis sermonibus inflammata, postquam percussoribus suis hilari animo ignoverat, & tunc existentem Pro-Regem etiam adhibita amicorum opera pro reis rogaverat, quod grande hujus Christianæ mansuetudinis exemplum erga cujusdam sui nepotis interfectorem etiam mirifice jam antea exhibuerat, divinis succensa flammis, eorundem Patrum virtuti, quorum laudabilem vivendi rationem, & suis consonam desideriis probaverat, perpetuo consors efficitur, & per mutuum utriusque virtutis consortium gemmeus ille componitur meritorum nexus, quo Andreæ nomen Congregationi, & Congregatio Andreæ nomini addicta, perpetuum & commendabilem sibi invicem mutuantur in Domino decorem.

Anno igitur Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto ætatis suæ tricesimi quinti Clericis regularibus præfatis adscriptus, fortitusque in ejus regulari tirocinio præceptorem illum, quem in sæculo providum suæ conscientiæ sibi moderatorem elegerat, præfatum nempe Johannem Marinonium, quo duce præcipua religiosæ vitæ præcepta celeri pede discurrens, ceteros in se erudivit, normaque ejus tirocinii immensum habuit consummatæ virtutis exemplum. Nihil habuit humilitate præstantius, nihilque amabilius. Hac enim virtutum omnium custode in exercendis vilioribus ministeriis ita hominibus, Deoque gratum, ac satis superque, juxta laudabilia regularium instituta, probatum se exhibuit, ut jussus operam suam cuidam seni, infirmo, continua ob morbi violentiam phrenesi laboranti impendere, illam, ab officiis contemptilibus, & nauseam moventibus minime abhorrens, sedulo, summoque caritatis affectu exhibuerit. Quin vi morbi ægrum aliquando acrius agitante, pugnis colaphisque Andreas plectebatur. At ille furentes ictus amabili prosequebatur amplexu; & quo sævior dementis furor, eo ardentius Andreæ caritas æstuabat, nec antea etiam per biennium post emissam professionem tantæ pietatis officium dimisit, quam æger e vita discesserit.

Peracto regularis probationis curriculo, gloriosus Dei miles præcinctus insigniis, Romam superiorum permissu loca sacra veneraturus accessit; ibique martyrum sepulcra uberibus lacrymis detergens, nova sibi procurabat incendia caritatis, adeo, ut pretiosæ illæ nostræ mortalitatis exuviæ, dum fervida sentiunt amoris suspiria, lætæ exultaverint in Domino, vitalique spiritu frigidi cineres propemodum afflati, in amplexum sanctissimi viri exilire viderentur. Quapropter ipse tantæ exultationis gloriam debita pensans meditatione, sanctæque æmulationis impetu permotus, spiritum vitamque suam, ni sanguine, lacrymis saltem, in orthodoxæ fidei obsequium jugiter adeo profundebat, ut uberes fletus prope martyrum cineres defluentes, dulcem concupitæ passionis dolorem avido cordi resonarent, mentemque fallerent errore gratissimo.

Diebus quinque supra triginta in Urbe moratus, Neapolim rediit; ubi tironum præfecturæ adscitus, summum cujuslibet religiosæ rei bonum e recta tironum educatione originem trahere prudenti consilio

existi-

CONSTIT. XCIX. A. D. 1712.

existimans, ita in id negocii sedulo incubuit, ut prima sanctarum virtutum lineamenta, quæ in magistro elucebant, in novitiorum animis perfecte duxerit, eosque præsertim ad orationis studium excitavit. Animarum enim cibum orationem esse asserebat; & religiosum illum, qui ab hujusmodi consuetudine se arcebat, non solidam, sed hebetem veræ pietatis substantiam animæ suæ præbere, religionisque convivio indignum esse putabat.

Quamplures extant celebres hujusmodi institutionum memoriæ, quibus formati tirones, deposita pravi gustus titillatione, ad salubres æternitatis escas suam acuerunt cupiditatem. Inter hos Nicolaus Zecchius, insignis humanarum literarum doctor, legumque interpres, qui prope sexagenarius in præfatorum Clericorum regularium ordinem admissus, deposita fori toga, nondum totum illud mundani tumoris, qui a sæculi doctrina, illiusque plaudente clamore exurgere, animoque inhærere solet, deposuisse videbatur. Andreas provide animadvertens, quod regularis tunica, quam Nicolaus sumpserat, rerum humanarum contemptum plene non probabat, quodque habitus difformi sermoni repugnabat; perfectæ humilitatis disciplinam ita Nicolao amplectendam proposuit, ut totus se illius studio committens, non amplius elate sapere visus fuerit, sed de mundo viliter, de se humillime sentiens, sublimem virtutum omnium lauream, humilitate magistra, assequi contenderit.

Teatina familia tanto prudentiæ lumine illustrata de abscondito tirocinii angulo ad universæ suæ domus sancti Pauli, per eum gubernandæ regimen, lumen illud evexit, ut per ejus virtutis operam non solum oriens, verum etiam adulta regularis ætas in præfata domo degens, uberes afferret Altissimo fructus. Andreas itaque præpositi munere decoratus, veluti lucerna supra candelabrum posita, suos undique effundebat radios, quibus vigilantia, oratio, sanctarum rerum sollicitudo, concordia, rituum observantia, & silentium non otiosæ noctis quietem, sed in noctis etiam quiete operosi diei lucem sentiebant; & quos vigil præsul vigiles cernebat laborare, sui præsentia fovebat exempli; pigros vero, & dormitantes censuræ premebat acumine.

Hoc autem caritatis jubar, quod suis domi, alienæ quoque effundebat utilitati. Ad ministrandum enim pœnitentiæ sacramentum superiorum auctoritate designatus, non tirocinii, non magisterii, non præfecturæ sollicitudines illum unquam detinuerunt quin confessarii munus ipsum fideliter, patienterque exequeretur. His postmodum expeditus curis, totum se piissimo labori alacer mancipavit; & vigilantissimus æternæ animarum salutis opifex, divinique amoris propagator aspera cuncta in hujusmodi officio obeundo constanti animo sustinuit. Non personarum conditio, non incommoda, non itinerum difficultates, non hiemis rigor, non æstivi cœli fervor, non pluviæ noctes, non locorum pericula, nec demum humana quæque mundi dictamina Andreæ extinguere potuerunt caritatem. Imo irruente aliquo ex impedimentis hujusmodi, magis magisque acuebantur caritatis flammæ, & pœnitentibus majorem rutilabant in lucem; ac ita spirituali omnium utilitati & necessitati expositus nullum sibi tempus certum esse voluit, in quo suæ quoque consuleret valetudini. Nam dilapsis sibi in serotnm intestinis, dolor ipse incredibilis, quo aliquando torquebatur, non ei impedimento fuit, quin leni vultu, paternoque amore ad se venientes

exci-

exciperet, omnibus omnia factus, ut animas Christo lucrifaceret. Quapropter totius civitatis Neapolitanæ animarum moderator & magister nuncupari promeruit. CONSTIT. XCIX. D. A. 1712.

Huic itaque intentus lucro, animas, quas cœcus mundi furor perdiderat, ad cœlestem revocavit lucem. Quas vero Dei lumen irradiabat, ut tutiores in viam Domini dirigerent gressus, & de virtute in virtutem perfectius ascenderent, per solidam, qua præditus erat, spirituum discretionem certo tramite deducebat; & ut discipuli in magistro dignum semperque novum addiscerent christianæ disciplinæ rudimentum, propriæ voluntati se nunquam obtemperaturum, nullamque diem sine novo perfectionis calculo se numeraturum sacro jurejurando spopondit: ac tam grande sacramentum ad exempli virtutem, ad discipulorum institutionem, ad laudem, Deique gloriam, cui soli omnia dirigebat, constanter, perfecteque adimplevit.

Bonus tantarum virtutum odor, qui ex Andreæ operibus erumpebat, undique jam totam beati Pauli domum, universamque Urbem Neapolitanam, & proximas illi regiones repleverat; cum beatus Carolus Borromæus, Ecclesiæ Mediolanensis tunc antistes, qui alias & tempore pontificatus felicis recordationis Pii IV. prædecessoris nostri Romæ degens usu compererat, quam uberes in vinea Domini Congregatio præfatorum Clericorum recta vivendi, bonique exempli ratione fructus afferret; ut Mediolani ejusdem Congregationis domus institueretur, avide exoptavit in Domino. Quapropter præfatæ Congregationis comitiis generalibus anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo celebratis, ad tam pium beati Caroli votum explendum, nonnulli ex Clericis præfatis, inter quos Andreas, vicarii titulo insignitus, mittuntur, summaque humanitate ac veneratione excipiuntur a Mediolanensibus. Tum beatus Carolus Andreæ virtutibus æqua lance pensatis, illarumque pondere comperto, non audiendis dumtaxat confessionibus, ceterisque hujusmodi piis exercitationibus Andream addixit; verum etiam in arduis quibusque amplissimæ diœcesis negociis, illius non semel usus fuit consilio, a cujus nitore lux illa in hujusmodi negociis oriebatur, quæ Dei gloriam rutilabat.

Nondum maturaverat annus, quo Congregatio præfata Mediolani primam fixerat sedem, cum Andreas, ægre id nimis ferente beato Carolo, jussus, Placentiam, inibi novam Congregationis præfatæ domum excitaturus, petiit. Placentinæ Ecclesiæ tunc præerat Paulus de Aretio ejusdem Congregationis olim professus, & Andreæ in tirocinio socius, qui postea sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium cœtui adscriptus, & Neapolitanæ Ecclesiæ præfectus fuit, ac tandem ea sanctitatis fama obiit, ut ejus beatificationis causa apud Congregationem venerabilium fratrum nostrorum ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium sacris ritibus præpositam agi cœperit. Hic ergo piissimus præsul quos olim in sui professione habuit Fratres, hos in pastorali sui gregis cura voluit coadjutores. Placentiæ itaque benigne, peramanterque a Paulo Andreas excipitur, pietasque pietatem amplectitur & osculatur. Quid autem Andreæ virtus Pauli socii unita virtuti in administrandis inibi sacramentis, procurandaque animarum salute peregerit, opera ipsa testantur. Unum tamen præ ceteris loquatur flagrantissimæ caritatis monumentum, quo mulieres infixæ in profundo libidinis cœno, feliciter emersæ demonstrantur. Ex harum numero duodecim, Episcopo opem dante, intra septa cujusdam domus,

beatæ

CONSTIT. XCIX. A. D. 1712.

beatæ Mariæ Magdalenæ postmodum nuncupatæ, veluti intra hortum conclusum, primas pœnitentiæ plantas transtulit. Has ubi ingeniosus agri Dominici cultor divino inseruit amori, tanta germinavit ex eis bonarum frugum ubertas, aliorumque beata palmitum propago, ut domus illa sudore assiduo, & laboriosa agricolæ sollicitudine exculta, Paradisi viretum, cœli rore fœcundatum, ipsis Angelorum oculis videretur.

Non absimiles laboris sui fructus collegit in reformando Placentinæ diœcesis clero, quem crescentes quondam vitiorum & corruptorum morum vepres suffocabant. Paulus Episcopus præfatus vi decretorum Concilii Tridentini perniciosas hujusmodi sentes evellere cupiens, beati Andreæ opera, opportuno satis consilio, uti statuit. Andreas ergo, dux ceteris viris huic operi pie adlaborantibus datus, opus illud difficillimum usque ad extremum perfecit; evulsisque alte defixis vitiorum radicibus, clero præfato Bonæ terræ nomen dedit, bonoque reformationis semine in eam deinde projecto, multiplex exoriens, fœcundaque virtutum messis spem agricolæ, quamvis aridam, non fefellit.

Interea ad propria suæ Congregationis incrementa totius Insubriæ provinciæ visitator designatus fuit, & deinde Mediolanum, ut in nova domo præpositi munere fungeretur, delegatus, nova exhibuit sancto Carolo suæ probitatis exempla. Illud equidem præcipuum, quod ex eleemosynis a liberali ejusdem sancti Caroli manu quolibet mense sibi donatis, Andreas, illa tantum portione retenta, quæ ad alendam ejusdem domus familiam satis erat, reliquum, vere sancti Cajetani filius, remittebat donanti, qui donum a se missum pulcra virtutis usura adauctum ad se reverti mirabatur. Ad Romanam postmodum, ac Neapolitanam provincias visitaturus accessit, & in eis perlustrandis maximas ordini suo utilitates indefesso labore procuravit.

Demum, etsi ab omni præeminentiæ gradu abhorreret, invitus ad iterum præfati sancti Pauli domum regendam, Deo sic disponente, expetitus fuit, ut insignis ejus virtus illuc rursus elata, cœleste lumen copiosius effunderet. Ea quippe tempestate deficiente Neapoli annona, populosa illa civitas seditiose ferebatur in principem. Andreas jejunis ventribus, animisque clamantibus provide occurrit. Nam quidquid frumenti in domestico horreo servabatur, pauperibus distribuit, solemnesque ad avertendam cœli iram supplicationes indixit. Quapropter illius verbo & exemplo quamplurimi ad pœnitentiam revocati a seditiosorum turba se subtraxerunt, factaque est populo illi æstuanti tranquillitas magna.

Tot itaque meritorum radiis coram Deo elucebat & hominibus; ac præfatis duobus emanatis ab eo votis constanter incumbens, mortificationemque Jesu Christi in corpore suo circumferens, propriæ semper ita obstitit voluntati, ut divinæ gratiæ roboratus præsidio, ad novum de die in diem perfectionis gradum contenderet, & asperrimis sui corporis afflictationibus pœnitentiæ victimam sanctæ mortificationis gladio mactatam sese offerret Deo, qui hujus hostiæ odoratus odorem suavitatis, quamplura charismatum dona fideli, bonoque servo suo ad illustrandas ejus virtutes largiri dignatus est. Emicuit inter ea divinitus collatum ac pene sibi familiare prophetiæ lumen, quo quidem illustratus futura & absentia, quasi præsentia, sæpe vidit, occultaque humani cordis aliquando cognovit.

Verum

Verum octavum jam supra octogesimum suæ ætatis annum, qui erat nostræ reparationis millesimus sexcentesimus octavus, attingens beatus Andreas, primo mane e strato surgens, ac sacellum ingressus, & sacerdotalibus de more ornamentis indutus, ad aram, missæ sacrificium celebraturus accessit. Ubi vero rem divinam agere cœpit, ad illa verba: ***Introibo ad altare Dei***, ita repente apoplexia percussus fuit, ut nisi minister sacrificio inserviens jamjam labantem supposita manu sustentasset, in terram corruisset, si corruere utique poterat fortis ille senex, quem senectus Christo occupaverat servientem, & quem extrema dies Salvatori invenerat militantem.

Adfuere protinus adstantes. Tum Patres hac de re moniti supervenientes, illum in ædem templo proximam adduxerunt, & sacris exuerunt vestibus. Plura subinde, sed frustra, adhibita fuerunt medicamina. Nam violenta morbi rabies omnem ei loquendi usum abstulerat, illæsa tamen in totum discernendi facultate, quod per data ab eo signa plane compertum fuit, motibus nempe quibusdam ac nutibus, ut ad aram majorem perduceretur, ardens ostendit desiderium; ut stans coram illa & in ea consumpta Deo universa mortificati sui corporis hostia, extremus, qui supererat, & morituro tunc in pectore vitæ ignis tepebat, quemadmodum vivens exarserat, divino quoque moriens extingueretur amori.

Cum vero superior, an suscipiendæ Eucharistiæ gratia id expeteret, interrogasset, annuit ille iterato capitis flexu; nec a nutibus desistere & quiescere visus, nisi cum hoc de negocio se idem superior illi satisfacturum spopondisset, postquam scilicet, quod erat tunc opportunius, in cubiculum ægrotans asportatus fuisset. Eo perductus ac lectulo stratus, medicis, qui jam advenerant, nullam salutis spem dantibus, sed intra paucas horas ægrum moriturum pronunciantibus, sanctissimo Viatico, extremaque deinde Unctione munitus fuit. In tanta vero spirituum perturbatione, singulari Dei beneficio ita mente semper libera permansit, ut viso a longe in sacerdotis manibus divino sacramento, editis haud vulgaribus pietatis & devotionis indiciis, e lecto surgere, quantum per vires licuerat, conatus fuerit, non nisi humi stratus Dominum gloriæ in sui corporis hospitium suscepturus: quibus & morbi adversarius impetus, & superioris obstitere præceptum.

Itaque susceptis Ecclesiæ Sacramentis, per aliquot horas aliquatenus conquiescens, tum ex religiosis viris, tum ex sæcularibus in ejus cubiculum introeuntibus, atque ab eo benedictionem postulantibus, singulos ille se penitus agnovisse indicans, singulorum vota paternæ benedictionis munere dignatus est. Extremo demum ingruente agone, non semel quidem validissimum cum humani generis hoste certamen in illa novissima vitæ suæ arena se initurum ipse prædixerat, proptereaque omnes orationi instantes velle, ut iis intercedentibus divinæ misericordiæ auxilium, quo victor evaderet, affuturum speraret. Mox ubi qui præsentes erant, Andreæ vultum, quasi inducta trepidationis ac mœroris nube obumbratum viderunt, certamen ab ipso prædictum ei adesse rati, ferventissimas pro eo preces ad Deum fundere cœperunt. Verum Andreas, conversis iterum atque iterum firmissimo intuitu oculis ad piissimam imaginem e cubiculi pariete pendentem, consuetæ redditus tranquillitati, hilaris triumphator in cœlum ad capessendam boni certaminis, quod certaverat, coronam, & attingendam beatam consummati cursus metam evolavit.

CONSTIT. XCIX. D. A. 1712.

Post ejus in Domino obdormitionem, longe lateque diffusa est sanctitatis suæ fama. Quapropter anno millesimo sexcentesimo octavo defunctus, anno vero millesimo sexcentesimo vicesimo quinto a felicis recordationis Urbano Papa VIII. prædecessore nostro inter *Beatos* solemni ritu adscriptus fuit. Et quia nondum Apostolicæ prodierant Constitutiones, quibus cavetur, ne hujusmodi beatificationis servorum Dei quorumcumque, ac canonizationis causæ, nisi post lapsum ab illorum obitu annum quinquagesimum, tractarentur, hoc solum interea permisso, ut scilicet & virtutum & miraculorum probationes procurare ac conficere liceret, ne per longa temporis hujusmodi intervalla certiora & illustriora sanctitatis monumenta penitus interciderent; idcirco nonnulli post beati Andreæ decessum ordinaria primum, & deinde Apostolica auctoritate instructi fuere processus, quorum examine, secundum consuetudinem eo tempore receptam, tribus antiquioribus tunc existentibus causarum palatii Apostolici auditoribus demandato, illi actorum validitatem approbarunt, & beati Andreæ virtutes heroicum attigisse gradum, & octo inter alia, partim dum viveret, partim post mortem, ab ipso patrata miracula communem operandi modum a natura institutum transscendisse, prævia discussione declararunt.

Horum omnium relatio in præfata rituum Congregatione exposita, una cum eorumdem auditorum judicio discussa fuit: qua discussione peracta, eadem rituum Congregatio & validos processus, & Andreæ virtutes heroicas esse censuit; admissisque inter vera & probata miracula septem instantaneis sanationibus, infrascriptum quoque pro miraculo habitum fuit.

Accidit aliquando, ut beatus Andreas domum Camilli de Curtis, Neapolitana in curia regentis, Catharinam Carafam morbo decumbentem visitaturus adiret, eique christianæ pietatis officia more suo præstaret: quibus inde perfunctus, circa tertiam noctis horam, recusato quod in promptu erat rhedæ commodo, pedes ad præfatam sancti Pauli domum reversurus discessit. Interim copiosus, dum iret, e cœlo indesinenter cadebat imber; nihilo tamen minus ne una quidem aquæ guttula servi Dei, sociique vestes aspersit, tetigitve. Imo homines duo, qui viæ comites dati, ut accensam præferrent facem, ubi hæc imbrium & ventorum impetu extincta fuit, Andream repentina luce circumfusum viderunt. Quare homines ad præfatam sancti Pauli domum feliciter pervenerunt. Ad hæc iidem duo per longum itineris tractum & dum Dei servo famularentur, & dum ad suas postmodum ædes redirent, continuo maxima circumquaque imbrium copia decidente, in nulla aut corporis aut vestimentorum parte injuriam, quantumvis minimam, ab aquis undique defluentibus acceperunt.

Porro quidquid a præfata rituum Congregatione de validitate processuum, tum de heroico virtutum gradu, ac de miraculis judicatum idem Urbanus prædecessor confirmavit, ejusdemque rituum Congregationis, esse locum solemni servi Dei beatificationi pronunciantis, decreto annuens, die decima Junii præfati anni millesimi sexcentesimi vicesimi quinti Andream *Beatorum* fastis adscripsit, & Clericis regularibus Teatinis præfatis, ut in ejus honorem officium ac missam de communi confessorum non pontificum celebrarent anniversaria die obitus servi Dei quotannis concessit, ac id ipsum ceteris sacerdotibus die præfato in eorumdem Clericorum regularium Teatinorum Ecclesia celebraturis indulsit.

Inte-

Interea Neapolitana, nonnullæque Siciliæ urbes beatum Andream in patronum ac protectorem sibi eligendum statuerunt. Et quia nondum ab Apostolica Sede ne ii, qui *Beatorum* dumtaxat nomine insigniti, nec inter *Sanctos* adhuc solemniter relati fuerunt, in urbium, locorumque patronos adscriberentur, statutum fuerat; idem Urbanus prædecessor, audita prius hac de re præfatæ rituum Congregationis sententia, ut de beato Andrea, tanquam de patrono ac protectore apud Neapolitanos Capuanosque missa, officiumque recitarentur, benigne indulsit, patribusque Teatinis, in quorum generalibus comitiis statutum extiterat, ne quemquam vel minima a beati cadavere distracta portione donatum vellent, facultatem dedit, ut Neapolitanis civibus partem corporis beati Andreæ inter lipsana majoris Ecclesiæ Neapolitanæ reponendam dono darent. CONSTIT. XCIX. A.D. 1712.

Post autem ejusdem Urbani prædecessoris decretorum promulgationem, facta novæ commissionis gratia, negocium canonizationis beati Andreæ reassumptum fuit, & ad tenorem Apostolicarum desuper editarum Constitutionum præfatarum, hujusmodi causam excipiendam declaratum, & adaucta in dies beati Andreæ fama sanctitatis, ejus nomen una cum eis, quæ in Romano Martyrologio leguntur, rite adnumeratum, Apostolica auctoritate extitit, ac patribus Teatinis permissum, ut proprias de eodem beato Andrea lectiones a præfata rituum Congregatione, audito fidei promotore approbatas, in secundo nocturno publice recitarent. Datis postea literis remissorialibus ac compulsorialibus, ut ea, quæ post beatificationem hujusmodi acciderant, probarentur; varii de novo diversis in locis conditi fuerunt processus: quorum postea discussa & probata fuit validitas; & ex octo a postulatoribus in Congregatione coram nobis habita, propositis miraculis tertium, quartum, & sextum plene approbata fuerunt.

Tertium autem fuit sanitas Jacobo Giovio in instanti restituta. Hic enim attracta & exsiccata nervorum compage, in dimidia superiori corporis parte vitale officium minime expeditum habebat.

Quartum fuit instantanea item curatio Johannis Baptistæ Corizzi a nimis alte capiti inflicto vulnere, ne relicto quidem vel minimo cicatricis vestigio.

Sextum denique fuit Scipionis Arlei instantanea pariter sanatio. Siquidem hujus graviter contusa frons, ac luxatæ quæ per collum extenduntur, vertebræ, illico fuerunt pristinæ integritati restitutæ.

His itaque ordine suo peractis, nos dilato per id temporis judicio nostro, ut precibus ad Deum de more porrigendis, in re tam gravi summe necessariis, in antecessum vacaremus, postmodum die vicesima quinta Maji anni millesimi septingentesimi quarti præfata tria miracula auctoritate nostra Apostolica comprobavimus.

Denique cum die decima octava Novembris præfati anni millesimi septingentesimi quarti generali Congregatione coram nobis habita, propositoque dubio, an tuto solemnis beati Andreæ canonizatio perficienda foret, affirmative venerabiles fratres nostri sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales præfatæ Congregationis sacris ritibus præpositæ respondissent; nos & preces ipsi fundere statuimus, & ut a Christifidelibus funderentur indiximus. Demum vocatis dilectis filiis secretario præfatæ rituum Congregationis, & fidei promotore die duodecima secunda Maji anni millesimi septingentesimi septimi, ut beatus Andreas solemni ritu sanctorum albo adscriberetur, auctoritate nostra præfata decrevimus.

 Su-

CONSTIT. XCIX. A. D. 1712.

Supererat, ut præmissorum relationem & universam causam iidem Cardinales de more accuratissime recenserent, ac pro rei gravitate recognoscerent; id quod cum recte, fideliterque præstitissent, idemque omnes censuissent, ac deinde dilectus filius noster Ferdinandus ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis de Abdua pro venerabili fratre nostro Gaspare Episcopo Sabinensi, præfatæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinale, de Carpineo nuncupato, præfatæque Congregationis præfecto, qui tunc legitimo morbi impedimento detinebatur, suam, collegarumque sententiam cum totius summa processus retulisset in consistorio nostro secreto; reliqui Cardinales, qui aderant, in eandem concesserunt sententiam.

Nos itaque, cum in publico consistorio dilectus etiam filius Philippus Sacripantes, fisci, cameræ Apostolicæ & consistorialis aulæ nostræ advocatus pro ejus canonizatione luculenter perorasset, ac nomine totius ordinis Clericorum regularium præfatorum, ut ad eam procedere dignaremur, humiliter supplicasset; de tanta re venerabiles fratres nostros sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales præfatos præsentes vehementer in visceribus Christi hortati sumus, ut orationibus instantes, in jejuniis & eleemosynis suas animas coram Deo nobiscum humiliantes, assiduis precibus a Patre luminum exposcerent, ut ex alto super nos lucem suam & veritatem suam emittere, quæ nos ad voluntatem & beneplacitum ejus cognoscendum & perficiendum deduceret. Igitur in semipublico consistorio, quod subinde celebratum est, vocatis non modo Cardinalibus, sed Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, in curia Romana existentibus, præsentibus etiam nostris ac Sedis Apostolicæ notariis, necnon causarum præfatarum auditoribus, cum plura a nobis de eximia sanctitate servi Dei, ac miraculorum celebritate commemorata fuissent, expositis etiam instantiis, quæ a Catholicis Regibus & Principibus dudum in hujusmodi causæ primordio Apostolicæ Sedi porrectæ fuerant, & nobis nunc a toto ordine præfato porrigebantur, omnes concorditer ac uno ore benedicentes Deum, beatum Andream canonizandum esse, atque inter sanctos Confessores adscribendum censuerunt: quorum omnium audito consensu, intimo cordis affectu exultavimus in Domino, qui Ecclesiam suam misericorditer respexerat, canonizationis publicavimus diem, eosdemque fratres, ac filios nostros monuimus, ut in orationibus & eleemosynis perseverarent, ut in tanto opere exequendo splendor Domini Dei nostri esset super nos, opusque manuum nostrarum ad ejus voluntatem perficiendam dirigeret.

Demum peractis omnibus, quæ ex sacris Constitutionibus, Romanæque Ecclesiæ consuetudine peragenda erant, hodie, quæ fuit dies Dominica sanctissimæ Trinitatis, in sacrosanctam principis Apostolorum basilicam, cœlestis sponsæ ritu ornatam, cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, necnon Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, Romanæque curiæ Prælatis, officialibus & familiaribus nostris, clero sæculari & regulari, ac maxima populi frequentia convenimus; ubi repetitis pro canonizationis decreto petitionibus, nomine præfato a dilecto filio nostro, Annibale Tituli sancti Eustachii Cardinali, Albano nuncupato, nostro secundum carnem ex fratre nepote, per dilectum etiam filium Marcellinum Corium advocatum decantatis sacris precibus & litaniis, ac Spiritus sancti gratia humiliter implorata; ad honorem ejusdem sanctæ & individuæ Trinitatis, & fidei catholicæ exal-

exaltationem, auctoritate omnipotentis Dei Patris & Filii & Spiritus sancti, beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra, de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum, in Romana curia præsentium consilio ac unanimi consensu, piæ memoriæ Andream Avellinum, de cujus vitæ sanctitate, fidei sinceritate & miraculorum excellentia plene constabat & constat, *Sanctum* esse definivimus ac Sanctorum confessorum catalogo adscribendum decrevimus, prout præsentium tenore definimus, decernimus & adscribimus, illumque universos Christifideles, tanquam vere Sanctum honorare & venerari mandavimus & mandamus. CONSTIT. XCIX. A.D. 1712.

Ac ut ab universali Ecclesia in ejus honorem Ecclesiæ & altaria, in quibus sacrificia Deo offerantur, ædificari & consecrari, & singulis annis die decima Novembris, qua ad cœlestem gloriam vocatus est, ab universali Ecclesia memoria ipsius inter sanctos confessores non pontifices pia devotione recolatur, statuimus, ac omnibus Christifidelibus vere pœnitentibus & confessis, ac singulis annis eadem die decima Novembris ad sepulcrum, in quo corpus ejus requiescit, visitandum accedentibus, unum annum & unam quadragenam; iis vero, qui in ejusdem festi octava ad sepulcrum præfatum accedent, quadraginta dies de injunctis pœnitentiis misericorditer in Domino eadem auctoritate relaxamus.

Postremo gratias Deo cum exultatione animi nostri agentes, quod Sanctum suum in conspectu omnium gentium honorificaverit, ac tam insigni splendore Ecclesiam suam decoraverit, omnibus Christifidelibus, qui nobis ad altare principis Apostolorum in præfata basilica missam solemniter celebrantibus cum ejusdem Sancti confessoris commemoratione interfuerunt, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam concessimus.

Ceterum quia difficile foret, præsentes ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si exhibitæ essent vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum definitionis, decreti, adscriptionis, mandati, statuti, relaxationis, concessionis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo duodecimo, undecimo Kalendas Junii, pontificatus nostri anno duodecimo.

✠ Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

✠
✠ *Nicolaus Episcopus Portuensis Cardinalis Acciajolus.*
✠
✠
✠

✠ Fa-

Mantuæ Carpetanorum, ſede Regum Hiſpaniæ, quæ alias Matritum vocatur, in diœceſi Toletana, humilibus quidem, ſed piis, catholiciſque parentibus natus, floruit Iſidorus ſæculo XII. cujus nomen, tanquam probatiſſimi hominis, vitæque mira innocentia & ſignorum gloria illuſtris, inde uſque ad ſæculum XVII. uno omnium Hiſpanorum ore celebratum eſt, univerſis honoribus ei palam tributis, quæ in Eccleſia catholica unis beatis & ſanctis viris tribuuntur. Chriſtianas virtutes a tenerioribus annis ita coluit Iſidorus, ut adultior factus, ceteris artibus, quibus vitam aleret, propterea agriculturam prætulerit, quod humilior, laborioſior, animæque ſaluti comparandæ aptior & tutior ei videretur. Hanc toto vitæ ſuæ tempore ita exercuit, ut vel minima pietatis & religionis officia, quæ ſemel ſuſceperat, nulla unquam die, cauſa ejus, prætermitteret. Ad agrum colendum nunquam acceſſit, quin prius, audito ſacroſanctæ miſſæ ſacrificio, preciduſque ad Deum ac beatam Virginem ex imo pectore fuſis, divinum auxilium imploraſſet: quod illi ſæpenumero præſto fuit, ubi præſertim apud herum, cujus agrum curabat, propterea accuſatus eſt, quod pietatis operibus plus æquo occupatus, agri opus negligere videretur. Herus enim irarum plenus, ut de Iſidoro pœnas ſumeret, in agrum, quem incultum putabat, profectus, trino illum boum jugo arari conſpexit. Unum & alterum gemini juvenes albis induti regebant, tertium vero medius Iſidorus. Duo illi, hero accedente, diſparuerunt; atque ita factum, ut herus vera eſſe intelligeret, quæ ei ſæpe affirmaverat Iſidorus, horas nimirum, quas divino obſequio impendiſſet, nequaquam perire. Rurſus Iſidoro divinæ orationi in ſacra æde vacanti nunciatur, ejus jumentum a lupo, niſi citus accurreret, jamjam devorandum. Ipſo tamen ob id ſe ab oratione avelli non paſſo, abſolutaque oratione ex æde egreſſo, jumentum incolume reperitur; lupus vero prope ipſum exanimis, Deo pro Iſidori precibus vicariam operam ei rependente. CONSTIT. C. A. D. 1724.

Tanta fuit Iſidori caritas erga proximum, ut ſibi pauperi, egenis & pauperibus profuturus, neceſſaria ſubtraheret. Quum omnia in eos aliquando erogaſſet, alius quidam ſtipem deprecaturus advenit, Iſidoro mærente, quod nihil pauperi dandum ſuppeteret, piiſſima conjux ſemel atque iterum ei obſequutura ollam vacuam ſcrutatur: quam tandem cibo plenam reperit, quo pauper eſuriens abunde reficeretur. Eadem beati Iſidori conjux, Maria a Capite nuncupata, virtutum & morum ſanctitate venerabilis, viroque ſuo plane perſimilis apud Hiſpanos habita eſt. Hinc ejus antiquiſſimus cultus a piæ memoriæ deceſſore noſtro Innocentio XII. anno Chriſti Domini milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo ſeptimo probari meruit, in examen adductus per venerabiles fratres ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, referente Johanne Franciſco Diacono Cardinali ſancti Hadriani, Albano nuncupato, mox ejuſdem Innocentii in cathedra beati Petri ſucceſſore, felicis recordationis Clemente XI. anteceſſore noſtro. Magnam Iſidori caritatem non tantum erga homines; ſed erga ipſa animantia, cœlique volatilia Deus pergratam ſibi eſſe manifeſtavit. Quandoquidem aſperrima hieme, dum omnia nivibus & glacie concreta rigerent, Iſidorus triticum mola frumentaria terendum advehens, palumbas fame confectas arboribus mæſte inſidentes conſpicatus, quod nive omnia tegente, deeſſet, unde alerentur, ipſe terram nive deterſit, tantum tritici ſpargens, quantum palumbis alendis ſatis eſſe arbitraretur,

CONSTIT. C. A. D. 1724. Factum displicuit socio Isidori, ab eo propterea correpti. Deo tamen nequaquam displicuit, qui triticum, quod supererat, ita auxit, ut postea nihil e sacco extractum videretur. Injuriis quibuscumque se inconcussum semper ostendit, deque fraudata opera, licet falso, accusatus, hoc ægre non tulit; quin potius pacate respondit, accusatorum arbitrio se hero suo satisfacturum.

Probi viri fiducia in Deum tanta fuit, ut omnia, licet magna & difficilia, certo speraret. Quamplurima præcellentis hujus virtutis exempla occurrunt, ex quibus unum silentio non præteribimus. In sacra æde orationis dulcedine captus, ad socios, pium de more convivium instruentes, sero descendit; neque ipse unus, sed pauperum, qui eum, ut patrem, sequebantur, grege stipatus descendit. Nihil ex convivio præter portionem, seorsum pro eo servatam, supererat. Ob multitudinem esurientium tristes socios bono animo esse jussit Isidorus; suam portionem viritim inter eos dividendam. Mox Isidori portio tam copiosa reperitur, ut non modo præsentes affatim, sed absentes etiam pascere potuerit. Sed aliis quoque multis & magnis miraculis per Isidori, etiamnum viventis, merita & sanctitatem Deus patefecit. Hero enim in agro, quem Isidorus arabat, sitienti, aquam in loco sicco & undique arido, percussa terra, manantem aperuit, quæ hactenus manat perennis, nullis unquam solis ardoribus exsiccata. Ei vis divina inesse dignoscitur, Deusque per Isidori intercessionem, in ægris ad eam confluentibus assidua signa operatur.

His, aliisque quamplurimis Dei servus per omnem Hispaniam celebris & illustris, pie obiit circa annum Christi Domini millesimum centesimum trigesimum, postquam, præeunte sacramento pœnitentiæ, humilique confessione, suos ad veram pietatem & caritatem fervent efficacia cohortatus, corpus Domini cum summa religione suscepisset. Servi Dei corpus sub dio totos quadraginta annos in cœmeterio depositum jacuit, imbrium injuriis, quasi in cloacam, per scrobem in sepulturam ejus confluentium, expositum. Elapso quadragesimo anno, Dei monitu corpus e cœmeterio in ædem ad honorem beati Andreæ Apostoli Deo sacram, transferendum, effoditur: quod integrum, atque incorruptum, velaminibus pariter integris & incorruptis contectum, suavique odore fragrans, repertum est. Tandem anno Christi Domini millesimo sexcentesimo decimo tertio ex novo & honorifico sepulcro, ubi antea conditum fuerat, rursus extractum, eadem integritate & suavi fragantia spectandum, omnibus patuit.

Isidori sacras exuvias innumeris miraculis Deus illustravit. Cœci enim, surdi, claudi, aliique non pauci, variis morbis laborantes, pulvere sepulturæ usi, convaluerunt. Sacrarum ædium Mantuæ Carpetanorum æs campanum atque organa tandiu, nemine pulsante, sonuerunt, quandiu supplex & publicus translationis processus duravit. Ad unum omnia ob servi Dei invocationem in ægris sanitati restituendis acta prodigia, longum esset enumerare. Omnia in actis apud Apostolicam Sedem sufficienter & legitime probata fuerunt, perpetuoque pro luculentis & apertissimis testimoniis summi Dei habebuntur, qui ad plenam fidem de Isidori sanctitate faciendam, quasi testis speciatim invocatus & rogatus accessit.

Hæc triennali spacio per sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales coram piæ memoriæ antecessoribus nostris Romanis Pontificibus Paulo V. & Gregorio XV. solemni examine, post illum, beatorum canoni adscriptum, discussa

discussa fuerunt, omnibus in eam sententiam abeuntibus, ut ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ legitimo ritu Isidorum Agricolam in sanctorum Confessorum tabulas referendum esse censerent, jamdiu id vehementer post Philippum III. Regem Catholicum, etiam Philippo IV. ejus filio & successore, immo & tota Hispania apud Sedem Apostolicam flagitantibus. Quare Gregorius ex veteri Ecclesiæ Romanæ disciplina in tribus consistoriis coram se habitis tota re denuo in consilium adducta, jejuniisque, eleemosynis & orationibus divino ad id auxilio implorato, decretum condidit de Isidoro inter *Sanctos* publice referendo. Ad hæc idem Pontifex universis, quæ ex sacris constitutionibus, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ consuetudine agenda erant, rite peractis, quarto idus Martias anno Christi Domini millesimo sexcentesimo vicesimo secundo, pontificatus secundo, in sacrosanctam basilicam principis Apostolorum maximo apparatu & frequentia profectus, in plenario venerabilium fratrum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum conventu repetitis pro Isidoro in sanctorum canonem referendo serventissimis ad Deum precibus, sanctique Spiritus gratia humiliter implorata, ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, fideique catholicæ exaltationem, auctoritate omnipotentis Dei, Patris, Filii & Spiritus sancti, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum, totius ejusdem plenarii conventus consilio, unanimique consensu, beatum Isidorum Agricolam Hispanum, de cujus vitæ sanctitate, fidei sinceritate & miraculorum excellentia plene constabat, una cum beatis confessoribus Ignatio a Loyola, Francisco Xaverio, Philippo Nerio, sacraque Dei virgine Teresa a Jesu, Sanctum esse pronunciavit, sanctorum Confessorum catalogo in universa Ecclesia adscribendum esse decrevit, ab omnibus Christifidelibus, tamquam vere Sanctum, colendum & honorandum esse definivit; in ejus honorem sacras ædes atque aras, ubi incruentum Deo sacrificium offeratur, construi & consecrari posse; & singulis annis idibus Majis ejusdem festum, ut sancti Confessoris, celebrari sancivit: quem postea piæ memoriæ Urbanus Papa VIII. in tabulas Martyrologii Romani sub die sexta idus Majas referendum curavit. Gregorius eadem quoque Apostolica auctoritate, omnibus Christifidelibus vere pœnitentibus & confessis, qui eodem festo die sepulcrum, ubi Isidori corpusculum requiescit, devote invisissent, annum unum & quadragenam; iis vero, qui in festi octava, quadraginta dies de injunctis seu quomodolibet eis debitis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxavit. Postremo gratiis cum summa lætitia Deo actis, quod sanctum Isidorum Agricolam cum ceteris Confessoribus, & Virgine Deo sacra, in conspectu omnium gentium honorificasset, suamque Ecclesiam perinsigni hoc lumine illustrari voluisset, cantata in ejusdem Isidori, & ceterorum solemni oratione in ara maxima supra confessionem beati Petri, missam cum ejusdem commemoratione celebravit, omnibusque Christifidelibus, qui tantæ cœremoniæ aderant, plenariam peccatorum indulgentiam & remissionem largitus est.

Ne vero de hoc decreto Apostolico, definitione, sanctione, adscriptione, relatione, statuto, concessione, ceterisque præmissis, propterea quod de illis per eumdem Gregorium XV. perque ejus successores piæ memoriæ Urbanum VIII. Innocentium X. Alexandrum VII. utrumque Clementem IX. & X. Innocentium XI. Alexandrum VIII. Innocentium XII. Clementem XI, atque Innocentium XIII. antecessores

 nostros,

CONSTIT. C. A. D. 1724. nostros literæ decretales de more conscriptæ & promulgatæ non fuerint, unquam possit imposterum quomodolibet hæsitari; nos, qui iisdem Romanis Pontificibus, disponente Domino, in cathedra beati Petri, licet immeriti, tandem successimus, volumus, & nobis tradita Apostolica auctoritate statuimus, ut decretum, definitio, sanctio, adscriptio, relatio, statutum, concessio, ceteraque hactenus recensita, a jam dicta die quarta idus Martias anni millesimi sexcentesimi vicesimi secundi, suum undequaque consequantur effectum, ac si super illis ab eodem Gregorio revera literæ decretales eadem die conscriptæ & promulgatæ fuissent, ut superius enarratur.

Volumus autem, ut præsentes nostræ literæ ad probandum decretum, definitionem, sanctionem, adscriptionem, relationem, statutum, concessionem, ceteraque præmissa ubique omnino sufficiant, neque alterius cujuscumque probationis adminiculum ad id amplius requiratur. Præterea quia difficile foret, has nostras ad singula loca, ubi opus esset, adferri, volumus, ut earumdem exempla, etiam typis impressa, manu publici notarii subscripta, sigilloque alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munita, eamdem ubique fidem obtineant, quam hæ nostræ obtinerent, sicubi eas exhiberi, vel ostendi contingeret.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, definitionis, sanctionis, adscriptionis, relationis, statuti, concessionis infringere, aut ei temerario ausu contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vicesimo quarto, pridie nonas Junias, pontificatus nostri anno primo.

✠ Ego Benedictus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

✠
✠
✠ *Ego Franciscus Episcopus Prænestinus Cardinalis Barberinus.*
✠
✠
✠ *Ego Laurentius Episcopus Tusculanus Cardinalis Corsinus.*
✠
✠ *Ego Joseph Tituli sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis Sacripantes.*

✠
✠
✠ *Ego Philippus Antonius Tituli sanctæ Cæciliæ Presbyter Cardinalis Gualterius.*

✠
✠
✠
✠
✠ *Ego Ludovicus Tituli sancti Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Picus de Mirandula.*

✠ Ego

✠ ✠ ✠ Ego Antonius Felix Tituli sanctæ Balbinæ Presbyter Cardinalis Zondadarius,

✠ ✠ Ego Petrus Tituli sancti Johannis ante Portam Latinam Presbyter Cardinalis Corradinus,

✠ ✠ ✠ ✠ Ego Melchior Tituli sanctæ Mariæ Angelorum Presbyter Cardinalis de Polignac,

✠ ✠ ✠ ✠ ✠ Ego Bernardinus Tituli sancti Petri in Monte aureo Presbyter Cardinalis Scottus.

✠ ✠ ✠ Ego Nicolaus Tituli sanctorum Nerei & Achillei Presbyter Cardinalis Spinula.

✠ ✠ ✠ ✠ Ego Georgius Tituli sanctæ Agnetis Presbyter Cardinalis Spinula.

✠ ✠ ✠ ✠ Ego Ludovicus Tituli sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis Belluga & Moncada.

✠ Ego Joseph Tituli sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis Pereyra de la Cerda,

✠ ✠ Ego Johannes Baptista Tituli sancti Stephani in Monte Cœlio Presbyter Cardinalis Salernus,

✠ ✠ Ego Alvarus Tituli sancti Bartholomæi in Insula Presbyter Cardinalis Cienfuegos,

✠ ✠ Ego Johannes Baptista Tituli sancti Matthæi in Merulana Presbyter Cardinalis de Alteriis.

✠ Ego Vincentius Tituli sancti Onuphrii Presbyter Cardinalis Petra,

✠ Ego Prosper Tituli sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis Marefuseus,

✠ ✠ Ego Nicolaus Tituli sanctæ Mariæ in Domnica Presbyter Cardinalis Coscia,

✠ ✠

✠ Ego

CONSTIT. C. A. D. 1724.

✠
✠
✠ *Ego Benedictus sanctæ Mariæ in Via lata Diaconus Cardinalis Pamphilius.*
✠ *Ego Joseph Renatus sancti Georgii in Velabro Diaconus Cardinalis Imperialis.*
✠ *Ego Laurentius sanctæ Agathæ ad Montes Diaconus Cardinalis de Alteriis.*
✠ *Ego Carolus sancti Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Columna.*
✠ *Ego Curtius sancti Eustachii Diaconus Cardinalis Origus.*
✠ *Ego Fabius sanctorum Viti & Modesti Diaconus Cardinalis de Abbatibus Oliverius.*
✠ *Ego Carolus sanctæ Mariæ in Aquiro Diaconus Cardinalis de Marinis.*
✠ *Ego Julius sancti Hadriani Diaconus Cardinalis Alberonus.*
✠ *Ego Alexander sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis Albanus.*
✠ *Ego Nicolaus sanctæ Mariæ de Rotunda Diaconus Cardinalis Judice.*
✠
✠
✠
✠

P. Cardinalis Prodatarius.

F. Cardinalis Oliverius.

V I S A

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

L. Martinettus.

Registrata in Secretaria Brevium.

N O T A.

Socii Bollandiani de sancto Isidoro agentes tomo III. Maji die xv. pag. 514. num. 10. causam ignorare se ajunt, cur Martyrologii Romani recognitores Isidorum intulerint in diem x. Maji, quum Matriti ac in tota Hispania illius memoria recolatur die xv, ejusdem mensis. Claudius Castellanus in Martyrologio universali pag. 228. mendum exscripsit, quod expungere debuit. Iidem præclari scriptores Bollandiani pag. 549. num. 25. mirantur, ab se frustra quæsitas literas decretales de canonizatione Isidori, a Gregorio XV. facta; quum tamen ceterorum, quos una cum Isidoro idem Pontifex sanctorum canoni adscripsit, bullas canonizationis proximus ejus successor Urbanus VIII. statim ediderit die vi. Augusti A. D. 1623. Sed Isidoriana bulla propterea a Bollandianis frustra quæsita est, quod nunquam prodiisset. Hæc porro insignium virorum justa admiratio permovit sanctissimum Dominum nostrum BENEDICTUM XIII. ut tam solemnes & posterorum memoriæ necessarias de Isidori canonizatione literas decretales ipse tandem una cum aliis non paucis, quas damus, promulgari omnino statuerit. Ceterum gesta Isidori, qui floruit ante A. D. 1130, Antuerpienses Hagiologi copiose, quoad fieri potuit, enarrarunt, ei proxime adjungentes quæ de beata Maria, illius uxore, expiscari potuerunt: quam Deo dilectam feminam idem noster sanctissimus Pater BENEDICTUS XIII. in hac sua constitutione commemorari voluit, ut quæ de illa apud Apostolicam Sedem post A. D. 1680. quo tomus III. Maji Bollandiani in lucem prodiit, acta sunt, omnibus paterierent.

IDEM

CONSTIT. CI.
A. D. 1724.

C I.

IDEM

BENEDICTUS . XIII

Beatum Andream Corsinum Florentinum in Tuſcia, ordinis Fratrum beatæ Mariæ Virginis a monte Carmelo, & Epiſcopum Feſulanum, per Urbanum VIII. Pont. Max. Sanctorum confeſſorum pontificum canoni adſcriptum fuiſſe promulgat. Obiit Andreas die VI. Januarii A. D. 1374.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam,

Rationi congruit & convenit æquitati, ut quæ Romanus Pontifex in plenario conventu venerabilium fratrum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, unanimi eorum conſilio communicato, ſanxit & definivit, licet poſtea ob ejuſdem Pontificis obitum literæ Apoſtolicæ de his conſcriptæ non fuerint, ſuum tandem conſequantur effectum. Const. CI. A. D. 1724.

Jamdudum piæ recordationis anteceſſor noſter Urbanus Papa VIII, ob divinitus ſibi traditam totius Eccleſiæ adminiſtrationem de populi ſibi commiſſi æterna ſalute & ſummi Dei gloria maxime ſollicitus, utrique augendæ plurimum expedire ſecum animo reputavit, ſi eorum memoriam ſolemni laude ubique recolendam curaret, quorum aſſiduis precibus grex Chriſtianus in cœlis adjuvari poſſet. Quare de pia converſatione & eximiis vitæ meritis beati Andreæ Epiſcopi Feſulani optime edoctus, quem ob ſignorum quoque præſtantiam ſub piæ memoriæ deceſſoribus Romanis Pontificibus Clemente VIII. & Paulo V. celebrari, ejuſdemque geſta ex ſanctæ Romanæ Eccleſiæ diſciplina & regulis, majorumque traditionibus ſæpe in examen vocari, & undequaque probari olim audierat, eum rite Sanctorum canoni adſcribere ſtatuit.

Andreas die feſto recurrente beati Andreæ Apoſtoli, unde in baptiſmo nomen accepit, Florentiæ Tuſcorum pridie Kalendas Novembres anno Chriſti Domini milleſimo treceuteſimo ſecundo claro in primis Corſinorum genere ortus eſt, quum ejus parentes jam ſteriles in ſacra æde Fratrum ordinis beatæ Mariæ de monte Carmelo primum fructum ex ſe prodituram, Deo & matri ejus voviſſent. Adoleſcens de hoc monitus,

CONSTIT. CI. A. D. 1724.

monitus, deque lupo in candidum agnum convertendo, quem mater sibi parere visa fuerat, eorumdem Fratrum Carmelitarum ordini nomen dedit, nullis retro mundi illecebris se revocari passus. Susceptis regulæ insignibus, & professione facta, nihil antiquius habuit, quam, ut institutum, cui se dicaverat, accurate observaret. In Christianis virtutibus, præsertim humilitate, se vir Dei maxime exercuit, viliora cœnobii opera obeundo, inque pensis diurnis nocturnisque persolvendis summe sollicitus, vitis sarmentorum acervo pro lectulo usus, asperrimoque cilicio & catena; jejuniis etiam præter communia non paucis corpus castigans, itaut aquam ipsam & panem, quibus parce aleretur, metiri consueverit. Ad sacros ordines promotus, primumque missæ sacrificium celebraturus, Deiparam Virginem sibi loquentem audire meruit, superis adeo gratus, ut per ejus preces infirmi, nulla ope humana sanabiles, cunctis mirantibus, pristina salute donarentur.

Sacris literis imbuendus triennium Luteciæ transegit, ubi a condiscipulis cœcus, surdus & mutus propterea nuncupatus, quod omnes sensus ab impudicitiis frænaret. Inde redux visum cœco, aqua lustrali consperso, Avenione restituit. In patriam reversus, hydropem sanat, digito in nomine Jesu ori ejus injecto, unde mox aquæ cadus effluxit. Andreæ virtutum hoc pacto & signorum fama resonante, Ecclesiam Fesulanam suo pastore viduari contingit, cui totius cleri, populique suffragio ipse sufficitur: qui tamen, nuncio electionis audito, clam in Carthusiæ Florentinæ secessum aufugit, Dei matrem exorans, ut se ab ea dignitate liberaret. Illo diu quæsito, nec reperto, de Præsulis electione mutanda clerus & populus Fesulanus consilium ineunt. Sed puer trimus cœtum electorum ingressus, Andream Episcopum probe renunciatum, nequaquam mutandum exclamat: inter Carthusianos orantem delitescere; unde ad Fesulanam Ecclesiam, de honore pontificali subeundo ipse quoque visu monitus, perducitur. A beatæ memoriæ Urbano Papa V. decessore nostro in pastorali munere confirmatus, oves suas omni pietatis officio pascere satagit. Suis ipse manibus stipem egenis viritim porrigere solitus, singulorum nomina in codice seorsum sibi descripsit; quumque aliquando annonæ caritas ingrueret, quotidie escam pauperibus ipse erogabat: qua deficiente, numeroque pauperum aucto, panis ubertim in arca multiplicatur. Florentinorum Republica in partes scissa funestis perpetuisque discordiis laborante, Fesulanus Episcopus sacris concionibus pacis unitatem civium animis inserere studet, dæmonesque corvorum specie in aere præliantes ostendens, omnes ab intestinis & civilibus odiis deterret. Hinc idem, quem memoravimus, beatæ memoriæ Urbanus Papa V. cognito divinæ gratiæ dono, quo Fesulanus Episcopus in componendis populorum discordiis pollebat, Legatum Bononiam mittit, ut diffidentia pectora mitigaret, ferocesque civium animos flecteret. Andreas Pontificis jussis obtemperans, illuc proficiscitur, ubi tumultuantes venerandi Præsulis auctoritate & verborum dulcedine capti, mox depositis armis, in concordiam reducuntur, paucis, qui adversabantur, atroci morbo correptis, qui tandem meritis beati Andreæ liberati, ab omni odio quieverunt. Ita vir Dei, negocio confecto, magna omnium laude & plausu Fesulas remeavit, ubi in memoriam Christi Domini qualibet feria quinta pauperum pedes lavare solitus, cujuspiam tibias plagis graveolentibus & putredine infe-

infectas ab se lotas, lacrymisque conspersas, osculatus, undequaque curavit. CONSTIT. CL

Die mortis appropinquante, eam ipsa nocte natalis Christi Domini summo gaudio antequam primam missam celebraret, sibi nocte Epiphaniorum adventuram, a Deipara virgine accepit; qua, psalmis & catholicæ fidei symbolis sibi prælectis, verbisque Simeonis prolatis: *nunc dimittis*, ad gloriam æternam evolavit octavo idus Januarias anno Dominicæ incarnationis millesimo trecentesimo septuagesimo tertio, ætatis septuagesimo secundo, ab ingressu in religionem quinquagesimo quinto, episcopatus duodecimo. Ex ejus corpusculi in paleis strati suavi odore perplures infirmi, multi etiam ex ejus tactu, statim convaluerunt. Deus quoque ad idem corpusculum, Florentiam translatum, atque instar viventis in cathedra sedens, plurima signa patefecit. Anno vero millesimo quadringentesimo quadragesimo piæ memoriæ decessore nostro Eugenio Papa IV. Florentiæ commorante, externoque milite agrum Florentinum crudeliter depopulante, atque ipsi civitati ob eventuram cladem perterrefactæ incubante, Deus per beatum Andream, ad quem miraculis clarum populus in tanta calamitate sibi impendente confluebat, adolescenti revelavit, in proximo die natali beati Petri Apostolorum principis, Romanæ Ecclesiæ prædonem & Florentinorum hostem devictum iri: qua quidem re civitatis decemviris, jussu beati viri per adolescentem nunciata, prælioque inito, hostes fusi sunt, & Florentinorum Respublica cum rebus Eugenii Pontificis & Ecclesiæ Romanæ a tyrannide liberata. Quare ad ædem Carmelitarum maxima supplicatio indicta est, ubi Papa Eugenius, S. R. E. Cardinalibus ibidem præsentibus, & Clero, Senatu, populoque Florentino flagitantibus, corpus beati Andreæ inter accensa funalia & thurificationes palam ostendi concessit: quo ex tempore Andreas, ut relatus in sanctorum canonem, habitus est. In rei memoriam magistratus Florentinorum quotannis sacram ædem, ubi pii viri corpus requiescit, magna religione invisere consueverunt. Hinc eximiis & probatissimis viri Dei virtutibus, & signis per eum patratis, cultuque publico aucto, Clerus & Respublica Florentinorum a felicis memoriæ Paulo Papa II. antecessore nostro Andream ritu solemniori in sanctorum canonem referendum poposcit, negociumque ab eodem Paulo II. atque etiam a piæ memoriæ successore ejus Xysto Papa IV. aliquot S.R.E. Cardinalibus commissum est. Sed hominum & temporum vices rem alio traxerunt. Interim felicis recordationis Gregorius Papa XIII. antecessor noster missam & officium ejus proprium, secundum Missale & Breviarium ordinis Fratrum Carmelitarum pro die decima quarta Januarii oraculo suo comprobavit, alias ab antiquo tempore Florentiæ in Ecclesia beatæ Mariæ de monte Carmelo, inque tota diœcesi Fesulana celebrari solita.

A. D. 1724.

Tandem sub piæ memoriæ antecessore nostro Clemente Papa VIII. Christianissimo Rege Francorum Henrico IV. & Maria Regina, Ferdinando quoque in Etruria sibi subjecta Magno Duce, aliisque enixe postulantibus, de Andrea sanctorum canoni adscribendo actum est. Clemente autem viam universæ carnis ingresso, sedente felicis recordationis Paulo Papa V. iteratis eorumdem virorum principum, aliorumque precibus de hoc pariter actum. Sed Paulo & successore ejus Gregorio XV. deinde etiam sublatis, tandem recolendæ memoriæ Urbanus Papa VIII. qui in cathedra beati Petri utrique successerat, post

CONSTIT. CI.

A. D. 1724.

servi Dei vitam, gesta, virtutes & miracula ex antiquo Romanorum Pontificum instituto sibi compluries, de more, enarrata, inque tribus consistoriis coram se, ad Apostolicarum Constitutionum regulas, habitis, magna solemnitate discussa, atque omnium suffragio comprobata, eumdem beatum Andream Episcopum Fesulanum sanctorum canoni adscribere statuit. Itaque indicta die decima Kalendas Majas anno millesimo sexcentesimo vicesimo nono universis, quæ agenda erant, ad sanctorum Patrum traditiones, sacrorum canonum instituta, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ venerandos ritus & disciplinam rite peractis, idem Urbanus Papa VIII. in sacrosanctam beati Petri Apostolorum principis basilicam magno apparatu & celebritate processit, ubi in plenario venerabilium fratrum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum conventu pro beato Andrea in sanctorum canonem referendo, repetitis summa religione ad Deum precibus, implorataque Spiritus sancti gratia, ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, exaltationem fidei catholicæ & Christianæ religionis incrementum, auctoritate omnipotentis Dei Patris, Filii & Spiritus sancti, ac beatorum Apostolorum Petri & Pauli, plenarii ejusdem conventus consilio, unanimique acclamatione & suffragio, beatmemoriæ Andream Corsinum Florentinum ordinis Fratrum beatæ Mariæ de monte Carmelo, Episcopum Ecclesiæ Fesulanæ, de cujus virtutum & prodigiorum magnitudine cumulate constiterat, *Sanctum* esse decrevit, inque Sanctorum confessorum pontificum canonem retulit, & referendum esse pronunciavit, eundemque ab universis Christifidelibus, ut vere Sanctum, ubique colendum, honorandumque; in ejus honorem sacras ædes & altaria, in quibus incruentum sacrificium Deo offeratur, construi ac dicari posse definivit, & quotannis octavo idus Januarias, quo ad cœlestem patriam evolavit, ejus memoriam, ut sancti confessoris pontificis, pie coli sancivit: quem etiam, ut talem anno insequenti Martyrologio Romano octavo idus Januarias inserendum curavit. Postremo gratiis Deo cum exultatione actis, quod sanctum Andream in conspectu omnium gentium honorificasset, tamque insigni gloria Ecclesiam suam decorari voluisset, idem Urbanus Pontifex omnibus, quæ ad beatum Andream in sanctorum canonem referendum pertinebant, sancte adimpletis, hymnisque cantatis, divinoque præsidio ex viri Dei meritis, peculiari collecta in ejus honorem, implorato, sacrosanctum missæ sacrificium in ara maxima supra confessionem principis Apostolorum solemni ritu celebravit, atque omnibus Christifidelibus, qui tantæ cæremoniæ intererant, plenariam peccatorum indulgentiam ad Dei laudem, & beati Andreæ honorem largitus, cunctis vere pœnitentibus & confessis, ejus anniversario die ad locum depositionis accessuris, annum unum & quadraginta dies; in octava autem quadraginta dies de injunctis pœnitentiis misericorditer relaxavit.

Ne vero de hujusmodi Urbani VIII. decreto Apostolico, definitione, sanctione, adscriptione, relatione, statuto, concessione, ceterisque præmissis, propterea quod super his ab eodem Urbano, aut ab ejus successoribus piæ memoriæ Romanis Pontificibus decessoribus nostris Innocentio X. Alexandro VII. utroque Clemente IX. & X. Innocentio XI. Alexandro VIII. Innocentio XII. Clemente XI. & Innocentio XIII. literæ decretales de more conscriptæ & promulgatæ non fuerint, unquam possit quomodolibet hæsitari, nos, qui iisdem, licet immeriti, disponente Domino, in cathedra beati Petri successimus,

volumus

volumus & Apostolica auctoritate statuimus, ut decretum, sanctio, relatio, adscriptio, ceteraque hactenus recensita, a jam dicto die decimo Kalendas Majas anni millesimi sexcentesimi vicesimi noni suum undequaque & plenum consequantur effectum, ac si ab eodem Urbano VIII. literæ decretales revera eadem die conscriptæ & de more promulgatæ fuissent, ut superius enarratur. Volumus autem, ut præsentes literæ ad probandum decretum, definitionem, sanctionem, adscriptionem, relationem, statutum, concessionem, ceteraque præmissa, ubique omnino sufficiant, neque alterius cujuscumque probationis adminiculum ad id amplius requiratur. CONSTIT. CI. D. A. 1724.

Præterea quia difficile foret, has nostras ad singula loca, ad quæ opus esset, adferri, volumus, ut earumdem exempla, etiam typis impressa, manu publici notarii subscripta, sigilloque alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munita, eamdem ubique fidem obtineant, quam hæ nostræ obtinerent, sicubi eas exhiberi vel ostendi contingeret.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam decreti, definitionis, sanctionis, adscriptionis, relationis, statuti, concessionis infringere, aut ei temerario ausu contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vicesimo quarto, pridie nonas Junias, pontificatus nostri anno primo.

✠ Ego Benedictus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

✠
✠
✠ *Ego Franciscus Episcopus Prænestinus Cardinalis Barberinus.*
✠
✠
✠ *Ego Laurentius Episcopus Tusculanus Cardinalis Corsinus.*
✠
✠ *Ego Joseph Tituli sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis Sacripantes.*

✠
✠
✠ *Ego Philippus Antonius Tituli sanctæ Caciliæ Presbyter Cardinalis Gualterius.*

✠
✠
✠
✠
✠ *Ego Ludovicus Tituli sancti Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Picus de Mirandula.*

✠
✠
✠ *Ego Antonius Felix Tituli sanctæ Balbinæ Presbyter Cardinalis Zondadarius.*

de illo Sanctorum confessorum canoni adnumerando consilium inierint, permoti etiam Catholicorum Regum Hispaniæ ferventibus votis, huic sanctæ Sedi Apostolicæ expositis; quod tandem piæ memoriæ decessor nost:r Clemens Papa X. ad canonicos ritus, veteri traditione & pontificia auctoritate receptos, tota Erclesia plaudente, complevit.

Inter præcipuos Hispaniarum dynastas, Gandiæ Duces, quæ est gens Borgia, numerantur. Eam multiplices dignitates claram & percelebrem rediderunt. Clarior tamen evasit ex quo magnus Dei servus Franciscus, parentibus Johanne Gandiensium Duce III. & Johanna ex Alphonso Ferdinandi Regis Catholici filio progenita, in lucem prodiit anno Christi Domini millesimo quingentesimo quinto, quinto Kalendas Novembres: quem diem beati Apostoli Simon & Judas martyrio nobilitarunt. Francisci locus natalis fuit Gandia, Borgiæ domus avitum opidum ad oram Balearici maris in Consetanis, populis Hispaniæ Tarraconensis in diœcesi & regno, quæ a Valentia, principe civitate, appellantur. Pia mater, quod præsenti ope seraphici confessoris beati Francisci vitæ discrimen in filio pariendo evasisset, Franciscum in baptismate dici voluit: quod nomen tunc primum in domo Borgia fausto omine futuræ ejus sanctitatis, auditum est. Patris soror, & mater, quæ erat Ferdinandi Regis Catholici consobrina, inter Clarissas virgines eximia pietatis laude conspicuæ, animo adolescentis Christianæ perfectionis igniculos injecerunt: qui puerilibus annis domi traductis, & cum iisdem Dei sponsis ex prædonum manibus ereptus, apud avunculum Archiepiscopum Cæsaraugustanum Alphonsum Aragonium & Catharinam Johannæ Reginæ filiam, postea Johanni III, Lusitaniæ Regi nuptam, liberaliter educatur.

Inde in aulam Caroli V. Augusti profectus, salutis animæ suæ memor, se undequaque immaculatum servavit, matronas officii causa nonnisi aspero cilicio præcinctus, adire solitus. Caroli conjuge Isabella Augusta adnitente, Eleonoræ a Castro, lectissimæ virgini Lusitanæ, de sanctioris vitæ instituto nihil unquam remittens, matrimonio sociatur. Pulchra & copiosa prole donatus ab ea, quam inierat pietatis regula animum domi forisve nunquam avertit, cœlestibus meditandis diu noctuque occupatus, sacraque synaxi quolibet octiduo non sine lacrymis muniri sollicitus. Sublatæ Isabellæ Augustæ Granatam funeris deducendi Francisco onus imponitur, cujus cadaveris, ut publica fide recognosceretur, nudata facies, deformitate sua tantum ei terrorem incussit, ut divina luce illustratus, de terrenis rebus, si conjugi superesset, omnino deserendis apud se constituerit, postmodum dicere solitus, mortem Augustæ sibi vitam attulisse.

Cataloniæ cum imperio præfectus, eam cogitationem ardentius fovit, ibique populorum felicitati ita studuit, ut patris patriæ elogio, tanquam rei publicæ bono natus, honestari meruerit. Magnam auri vim in pauperes erogavit, pias sacrarum virginum & virorum familias eleemosynis auxit, sed eos in primis, qui ex summa fortuna ad extremam inopiam devenissent, clam aluit. Consilium pridem animo insitum sæpe recogitans, atque uni Deo meditando inhærens, diluculo quinis horis de genu quotidie orare; frequenti divinæ mensæ accubitu, jejuniis & pœnitentiis, ubi a regiis negociis vacaret, recreari consuevit. Tunc ei beatum Ignatium, regularium presbyterorum Societatis Jesu, cui postea nomen dedit, parentem & conditorem, prima occasio de tantis rebus scripto consulendi, cœlitus data est.

Patro

CONSTIT. CII. A. D. 1724.

Patre optimo, atque ipsa conjuge, piarum omnium exercitationum socia, orbatus & domum redux, suorum Gandiensium solatio & securitati prospexit, nosocomia instauravit, cœnobia construxit, gymnasia pro Mauris Christiane educandis erexit, sacras ædes vasis aureis argenteisque pro dignitate locupletavit; deque vetere vitæ proposito perficiendo secum animo statuens, salubria in hoc sibi consilia divinitus dari, per bonorum hominum preces flagitavit. Deus tandem servi sui votis arrisit, inque Societatem Jesu se rapi sensit. Quod enim recens orta religio, & ab origine ardentior, vulgo etiam adhuc ignota esset, nullusque in ea ambitiosis hominibus dignitatum locus pateret, Francisco, summos honores fugienti, aptissima visa est. Orationi intentus hæc animo agitans, septem totos dies tiaram capiti suo imminentem aspexit, veritusque, ne Ecclesiæ dignitatem portenderet, Deum enixe obtestari non destitit, ne honores, quos fugeret, alibi offenderet. Post defunctos duos fratres suos S.R.E. Cardinales, quum eandem sacram dignitatem per antecessores nostros Romanos Pontifices ultro oblatam, ab se repulisset, tiara illo Præpositi munus in sacra sua familia indicatum postea cognovit.

Adhuc Gandiæ Dux per felicis recordationis Paulum Papam III. decessorem nostrum, beato Ignatio deprecante, permissus est, ut paucis consciis, religiosa vota nuncuparet. Quadriennium rebus suis componendis a Pontifice præfinitum, disciplinis gravioribus, sacro homine dignis, singulari modestia publice perdiscendis impendit: quo elapso, & per felicis recordationis Julium Papam III. anno Jubilei Christianis indicto, Franciscus limina Apostolorum frequentaturus, utque Ignatii invitantis alloquiis frueretur, & Caroli V. beneficam erga se voluntatem declinaret, suis valedicens, Romam eo animo cogitavit, ut natale solum deinceps nunquam repeteret, qui ad aliam patriam, cœlestem nimirum, summa contentione properaret; idque sancte servavit, etiam sedente antecessore nostro Pio Papa V. in legatione Cardinalis Alexandrini ad Catholicum Hispaniarum Regem Philippum II. illac digressus. In sacro itinere ad Urbem, quod assiduæ preces divinique sermones minuebant, juxta ac Romæ positus, ignorari, quam honorifice excipi, maluisset.

Ingentem in eo pietatem, submissumque spiritum, qui beati Ignatii complexui amplissima & magna quæque postponeret, Urbs tota suspexit. Menses quatuor lustrandis basilicis Deo sacris, omnique pietatis genere cum Ignatio Romæ transegerat, quum de se Cardinalium senatui adscribendo apud Julium agi subodoratus, eodem Ignatio auctore, pontificis oculis propere se subducens, in Hispaniam reversus est, ubi Caroli V. propositum ejus laudantis auctoritate, rebus & titulis suis Gandiensibus universis Carolo filio transscriptis, se penitus abdicavit, regularem Societatis Jesu clericum induens, & Davidicum illud lætus ingeminans: *dirupisti Domine vincula mea. Tibi sacrificabo hostiam laudis*. Presbyteratu initiatus, primum Deo sacrificium Loyolæ in Cantabria, Ignatii patriæ & pietati hoc tribuens, privatim obtulit, mappis Ludovicæ sororis acu pictis in ara usus. Quia vero Julius Pontifex hoc speciatim indulserat, ut quum primum publice sacris operaretur, quotquot peccatorum confessione rite expiati, ex ejus manu corpus Domini sumsissent, plenariam veniam perciperent, Vergaræ opido id factum, quo tot homines, rei fama ducti, advenerunt, ut sacra ædes, licet magna, nequaquam eos capiente, in area sub dio

exci-

excitata celebrare debuerit, tot ad facram menfam accedentibus, ut meridiana hora, longe tranfierit. Poftea concionem habuit, & clero ac populo fuppliciter procedente, fanctiffimum Euchariftiæ facramentum geftavit. CONSTIT. CII. A. D. 1724.

Ad focios inde reverfus, majori fanctitati excolendæ operam dedit, precandi ftudio horas octo quotidie largitus, viliffima quæque munia ultro fubire non dedignatus, ftipem vicatim & oftiatim nudo capite & pedibus palam mendicans, & pauperibus ac nofocomiis diftribuens, humi quoque, vel in tabulis cubans. Fama tantæ pietatis aulas regias pervagante, quamplurimi illum adire, deque falutis negocio confulere vifi funt. Complures pariter, fummates præfertim, Francifci exemplum fecuti, religiofis familiis fe devoverunt. Sed Julius Pontifex & Carolus V. tantam virtutem in Cantabris delitefcere indignum rati, confilium de illo inter S. R. E. Cardinales cooptando certatim, incaffum tamen, quod poftea fæpenumero quoque factum, inierunt. Ignatius, qui fociis aditum ad honores legibus latis obftruxerat, Julii pedibus abvolutus, ne invito atque infcio honorem deferat, neve oblatum capere cogat: nafcenti fodalitati hoc faltem benignus tribuat, libello fupplice & lacrymis coram exorat, & permagna Francifci lætitia impetrat: qui & grati animi teftes literas ad Pontificem dedit.

Non tamen illum Ignatius latere permifit. Viri enim fingulari prudentia in lucrandis Deo animabus, & fanctitate perfpecta, facras conciones habiturum, varias civitates & regiones adire, & multarum provinciarum, quas, licet incommoda valetudine ufus, pedes obivit, cum ampliffima facultate, commiffarii generalis officio fungi mandavit: quæ omnia magno rei Chriftianæ bono peracta funt. Poftquam vero Carolum V. morbo languentem, mifericordiæ Dei commemoratione erexiffet, & defunctum funebri fermone laudaffet, fuæ voluntatis, quam ratam haberi vellet, exequendæ, fupremis tabulis per eum nominatus, a recolendæ memoriæ anteceffore noftro Pio Papa IV. Romam advocatur, ubi Societatis Præpofito generali Jacobo Laynio, ad Tridentinum Concilium ire juffo, Vicarii generalis munus Francifco imponitur. Mox Jacobo ad Urbem reverfo, Affiftens pro Hifpania & Lufitania eligitur, poftea Laynio e vivis fublato, iterum Vicarius generalis, & demum totius ordinis Præpofitus magna fuffragiorum confenfione invitus renunciatur: quo in munere Societatem feptennio fanctiffime rexit, inque obfequiis Apoftolicæ Sedis vitæ curfum, quod maxime optaverat, confummavit. Pius enim Papa V. Cardinalem Alexandrinum in Hifpaniam, Lufitaniam & Galliam pro re Chriftiana tuenda ad facrum fœdus in Turcas percutiendum mittens, confiliorum ei comitem & participem Francifcum adjungi voluit. Et Pontifici jubenti vir pius, quamvis laboribus, afperrimis pœnitentiis, & morbis prope confectus, alacriter paruit.

Romam redux, oculis & manibus in cœlum fublatis, lætus exclamavit: *nunc dimittis fervum tuum, Domine!* Mox biduum a reditu longa ægrotatione, multifque incommodis fractus, quæ tamen illum impedire non potuerunt, quin Romam ad fupremum, & jamjam imminentem mortalis vitæ fuæ terminum feftinaret, fufceptis præfenti animo, & fumma religione Ecclefiæ facramentis, ac pontificia Gregorii XIII. felicis memoriæ anteceffòris noftri benedictione munitus, plenus virtutum & meritorum inter fodalium amplexus piiffimam

CONSTIT. CII. A. D. 1724.

animam cœlo reddidit anno Christi Domini millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, Kalendis Octobribus. Dei servus a beatis & spectatissimis viris Ignatio Loyola, Pio Papa V. Carolo Borromæo, Francisco Salesio, sacra Virgine Teresa a Jesu, aliisque quamplurimi factus, magnam ubique virtutis & sanctitatis famam reliquit. Miracula etiam multa subsecuta sunt, quæ, precibus accedentibus Philippi III. Hispaniarum Regis Catholici, & Magnatum, Præsulum, atque Academiarum Hispaniæ Paulum Papam V. permoverunt, ut ob tantum Dei famulum in sanctorum canonem referendum, summarum ejus virtutum, & eorumdem miraculorum examen rite institui posse concederet: quo absoluto Urbanus VIII. eum beatorum ordini adscribendum sancivit, largitus quoque, ut de illo missa & officium omnes Societatis Jesu religiosi ubique recitare possent, ac mox, ut in eorum Ecclesiis idem omnibus presbyteris agere liceret.

Interim sub aliis inclytæ memoriæ antecessoribus nostris, Innocentio X. Alexandro VII. & Clemente IX. signa post Francisci beatificationem patrata in examen ex Constitutionibus Apostolicis adducta, & undequaque probata sunt. Decretum tamen de illo in Sanctorum tabulas referendo, quod Clemens IX. morte præreptus vulgare non potuerat, ejus successor Clemens X. rite vulgavit, exorantibus illustris memoriæ Leopoldo electo Romanorum Imperatore cum conjuge Augusta, Carolo II. Hispaniarum Rege Catholico, aliisque viris principibus ecclesiasticis & sæcularibus. Quare idem Clemens X. gestis omnibus beati Francisci de veteri more Apostolicæ Sedis in tribus consistoriis coram se rite discussis & comprobatis, eum statuta die in Sanctorum fastos referendum pronunciavit. Itaque Dominica secunda post Christi Domini Resurrectionem pridie idus Apriles, pontificatus sui anno primo quum in sacrosanctam basilicam beati Petri principis Apostolorum, solemni ritu cæremoniam peracturus, processisset, semel, iterum & tertium iteratis ad Deum precibus in plenario conventu venerabilium fratrum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum pro Francisco Borgia Sanctorum Confessorum canoni adscribendo, unanimi omnium acclamatione & suffragio post sacros hymnos, precesque ad Deum pie fusas, & paracliti Spiritus gratiam enixe invocatam, ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, exaltationem fidei catholicæ, Christianæque religionis amplificationem, auctoritate omnipotentis Dei, Patris, Filii & Spiritus sancti, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, beatum Franciscum Borgiam, Societatis Jesu presbyterum Hispanum, de cujus sanctitate, fidei sinceritate, omniumque virtutum magnitudine, ac miraculorum excellentia cumulate constiterat, una cum beatis confessoribus non pontificibus Philippo Benitio, Cajetano Thienæo, Ludovico Bertrando & Virgine non martyre Rosa a sancta Maria, sanctum confessorem esse decrevit, Sanctorum confessorum non pontificum canoni adscripsit, atque imposterum ab universis Christifidelibus, tamquam vere Sanctum, colendum, invocandum, honorandumque statuit & definivit; ad ejus honorem sacras ædes atque altaria, ubi incruentum sacrificium Deo offeratur, construi ac dicari; quotannis quinto nonas Octobres illius memoriam, ut sancti confessoris non pontificis, pie coli, atque officio & missa, ritu sanctæ Romanæ Ecclesiæ honorari, pronunciavit. Ad hæc eadem sua Apostolica auctoritate, universis & singulis Christifidelibus, qui dicta die ejusdem sancti confessoris

fessoris sepulcrum & corpusculum devote visitassent, annos septem, & totidem quadragenas; infra vero octavam, quadraginta dies de injunctis, seu debitis pœnitentiis misericorditer relaxavit. His peractis, Deum Patrem æternum, regemque gloriæ Christum Dominum, Patris sempiternum Filium; sanctumque Paraclitum Spiritum, unum Deum atque unum Dominum, hymnis & laudibus veneratus, peculiari oratione in honorem beati Francisci Borgiæ ad Deum cantata, missam in ara maxima supra confessionem beati Petri cum ejusdem Francisci commemoratione celebravit, omnibus Christifidelibus, tantæ cœremoniæ præsentibus, peccatorum indulgentiam largitus.

Ne vero de hujusmodi Clementis Papæ X. decreto Apostolico, definitione, sanctione, relatione, concessione, ceterisque præmissis, propterea quod ab eodem Clemente & ab ejus successoribus Innocentio XI. Alexandro VIII. Innocentio XII. Clemente XI. & Innocentio XIII, piæ memoriæ Romanis pontificibus decessoribus nostris literæ decretales de more conscriptæ & promulgatæ non fuerint, deinceps possit unquam quomodolibet hæsitari; nos, qui iisdem, meritis licet imparibus disponente Domino in cathedra beati Petri iisdem successimus, volumus, & Apostolica auctoritate statuimus, ut decretum, sanctio, relatio, adscriptio, concessio, ceteraque hactenus memorata, a jam dicta die pridie idus Apriles anni millesimi sexcentesimi septuagesimi primi suum undequaque & plenarium consequantur effectum, ac si super illis ab eodem Clemente Papa X. literæ decretales revera eadem die conscriptæ & de more promulgatæ fuissent, ut superius enarratur.

Volumus autem, ut præsentes literæ ad probandum decretum, definitionem, sanctionem, adscriptionem, relationem, statutum, concessionem, ceteraque præmissa ubique omnino sufficiant, neque alterius cujuscumque probationis adminiculum ad id amplius requiratur. Præterea quia difficile foret, has nostras ad singula loca, ad quæ opus esset, adferri, volumus, ut earumdem exempla, etiam typis impressa, manu publici notarii subscripta, sigilloque alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munita, eamdem ubique fidem obtineant, quam hæ nostræ obtinerent, sicubi eas exhiberi, vel ostendi contingeret.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam decreti, definitionis, sanctionis, adscriptionis, relationis, statuti, & concessionis infringere, aut ei temerario ausu contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vicesimo quarto, pridie nonas Junias, pontificatus nostri anno primo.

✠ Ego Benedictus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

✠✠✠ *Ego Franciscus Episcopus Prænestinus Cardinalis Barberinus.* ✠✠

rebus ob cœlestium contemplationem despectis, verbo Dei promulgando se totum addixit, suæque familiæ generalis præfectus, in unam hanc curam ardenter incubuit, ut per se suosque, variis linguis instructos, Christi Domini Evangelium ubique prædicandum curaret: quod ipse, salutis animarum percupidus, nullisque periculis territus, sedulo, tantaque alacritate agere consuevit, ut ejus fama permotus piæ memoriæ Clemens Papa IV. decessor noster eum sibi Apostolicum concionatorem adlegerit. Peccatores ad Deum conversurus, Galliam, Germaniam, Frisiam & Sarmatiam peragravit, eodemque pio instinctu Pistoriensem civitatem, funestis Gibellinorum, Guelsorumque odiis laniatam, Christianæ concordiæ restituit; unde factum, ut plures Dei virum imitaturi, res suas pauperibus erogarent, ipsique primarii Gibellinæ factionis duces ad cor redeuntes, religiosum Philippi institutum amplecterentur. Summæ ejus caritatis fervor eluxit, ubi eleemosynam flagitanti, interiorem vestem sibi detractam Viterbii largitus est: qua pauper contectus, a morbo lepræ convaluit. Magnum quoque & Deo gratissimum Christianæ lenitatis argumentum edidit, dum Liviensis populi in Æmilia crimina & mores pro concione corripiens, virgis cæsus, saxisque impetitus, pro persecutoribus tanto spiritu Deum exoravit, ut ex his unum Peregrinum ad pœnitentiam traxerit, qui Philippi religionem ingressus, sua & civium peccata delevit, postea & ipse eximiis virtutibus & miraculis florens, & propterea per nos ipsos, favente Deo, quamprimum in sanctorum canonem referendus.

CONSTIT. CIII. A. D. 1724.

Philippus veterum anachoretarum mores æmulari studens, in cryptam montis Senarii, Deo liberius vacaturus, quadriennium secessit. Ceteris ejus virtutibus par fuit cordis humilitas, qua patriæ Ecclesiæ episcopatum respuit, Viterbium inde properans post piam dormitionem decessoris nostri Clementis Papæ IV. ubi per Ottobonum S.R.E. Diaconum Cardinalem sancti Hadriani, suique ordinis patronum, sibi oblata pontificia dignitate palam se indignum professus, in solitudinem remeavit, ipsum Ottobonum ad tantum fastigium aliquando evehendum, sed brevi eo potiturum, vaticinatus. Is fuit antecessor noster piæ memoriæ Hadrianus Papa V. Sed Philippus religiosæ solitudinis amore captus, quum iterum tres menses in crypta montis Senarii latitasset, ab alio inclytæ recordationis decessore nostro Honorio Papa IV. Perusiæ pontificali benedictione munitus, Tudertum petiit, ubi ad populum, qui magna frequentia ei obvius advenerat, concione habita, lethali morbo decubuit, summæque pietatis & religionis argumentis, pœnitentiales Davidis psalmos non sine profusis lacrymis recitans, migravit ad Dominum anno salutis millesimo ducentesimo octogesimo quinto, decimo Kalendas Septembres, dum solemnia absolverentur octavæ beatæ Mariæ Virginis in cœlum assumtæ, quibus in lucem prodierat. Ad ejus corpus sex dies palam expositum populi maxima frequentia venerationis ergo confluere visi sunt, missæque sacrificium, episcopo, clero & tota civitate præsentibus, non pro defuncto, sed de beato confessore nutu Dei celebratur.

Mox vir justus prodigiis claruit. Ad ejus enim corpus & sepulcrum claudi gressum, cœci visum, ipsique mortui vitam receperunt: quibus; aliisque rite cognitis & perspectis, felicis memoriæ antecessor noster Leo Papa X. Philippum beatorum numero adscripsit, officium, missamque in ejus honorem a fratribus ordinis Servorum, beati viri anni-

anniversario die recurrente, celebrari permissis, ad id postmodum accedente etiam auctoritate diplomatum sanctæ memoriæ decessorum nostrorum Clementis VIII. & Pauli V. Quare ex sanctæ Romanæ Ecclesiæ regulis & ritualibus Constitutionibus, per Romanos Pontifices editis, de more cognita & compluries in examen adducta, etiam sub felicis recordationis itidem decessore nostro Urbano Papa VIII. semperque probata viri Dei sanctitate, perinsignibus ejus virtutibus, signisque testata, ad pias preces per viros principes apud hanc sanctam Apostolicam Sedem vehementissime repetitas, præsertim vero ab illustris memoriæ Leopoldo Romanorum Imperatore electo, & Cosmo III. olim in Etruria sibi subjecta magno Duce, idem Clemens Papa X. Philippum Benitium, de cujus virtutum & prodigiorum magnitudine diserte constiterat, in Sanctorum confessorum canonem referendum pronunciavit. Itaque indicta die, nimirum Dominica secunda post Christi Domini Resurrectionem, pridie idus Apriles anni millesimi sexcentesimi septuagesimi primi, pontificatus sui primo, cum in sacrosanctam beati Petri Apostolorum principis basilicam, tantam cæremoniam solemni ritu peracturus processisset, semel, iterum & tertium iteratis ad Deum precibus in plenario conventu venerabilium fratrum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum pro Philippo Benitio in sanctorum confessorum canonem referendo, unanimi omnium acclamatione & suffragio, post sacros hymnos, precesque ad Deum pie fusas, & Paracliti Spiritus gratiam enixe invocatam, ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, exaltationem fidei catholicæ, Christianæque religionis amplificationem, idem Clemens Papa X. auctoritate Domini nostri Jesu Christi, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, beatum Philippum Benitium una pariter cum beatis confessoribus non pontificibus Francisco Borgia, Cajetano Thienæo, Ludovico Bertrando & Virgine non martyre Rosa a sancta Maria, *Sanctum* esse decrevit & definivit, in Sanctorum confessorum canonem retulit, eumdemque imposterum ab universis Christifidelibus, tanquam vere Sanctum, colendum, invocandum, honorandumque sancivit; ad ejus honorem sacras ædes, atque altaria, in quibus sacrosanctum missæ sacrificium Deo offeratur, construi ac dicari, & quotannis decimo Kalendas Septembres, quo die vir sanctus obdormivit in Domino, illius memoriam, ut sancti confessoris non pontificis, pie coli posse pronunciavit. Mox gratiis cum plurimo gaudio Deo actis, præcipuaque oratione per beati Philippi merita ad Dominum recitata, ad aram maximam supra confessionem beati Petri, cum ejusdem Philippi, ceterorumque commemoratione missam celebravit, universis Christifidelibus, qui aderant, plenariam peccatorum indulgentiam & remissionem largitus.

Ne vero de hujusmodi Clementis Papæ X. decreto Apostolico, definitione, sanctione, adscriptione, relatione, concessione, ceterisque præmissis, propterea quod ab eodem Clemente, aut ab ejus successoribus Innocentio XI. Alexandro VIII. Innocentio XII. Clemente XI. & Innocentio XIII. piæ memoriæ Romanis Pontificibus antecessoribus nostris, literæ decretales de more conscriptæ non fuerint, deinceps unquam possit quomodolibet hæsitari, nos, qui, meritis licet imparibus, disponente Domino, in cathedra beati Petri iisdem successimus, volumus & Apostolica auctoritate statuimus, ut decretum, sanctio, relatio, adscriptio, concessio, ceteraque hactenus memorata, a jam dicta die pridie idus Apriles anni millesimi sexcentesimi septuagesimi primi

primi suum undequaque & plenarium consequantur effectum, ac si super illis ab eodem Clemente Papa X. literæ decretales revera eadem die conscriptæ & de more promulgatæ fuissent, ut superius enarratur. Volumus autem, ut præsentes literæ ad probandum decretum, definitionem, sanctionem, adscriptionem, relationem, statutum, concessionem, ceteraque præmissa, ubique omnino sufficiant, neque alterius cujuscumque probationis adminiculum ad id amplius requiratur.

Præterea quia difficile foret, has nostras ad singula loca, ad quæ opus esset, adferri, volumus, ut earumdem exempla, etiam typis impressa, manu publici notarii subscripta, sigilloque alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munita, eamdem ubique fidem obtineant, quam hæ nostræ obtinerent, sicubi eas exhiberi vel ostendi contingeret.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, definitionis, sanctionis, adscriptionis, relationis, statuti, concessionis infringere, aut ei temerario ausu contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vicesimo quarto, pridie nonas Junias, pontificatus nostri anno primo.

✠ Ego Benedictus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

✠

✠

✠ *Ego Franciscus Episcopus Prænestinus Cardinalis Barberinus.*

✠

✠

✠ *Ego Laurentius Episcopus Tusculanus Cardinalis Corsinus.*

✠

✠ *Ego Joseph Tituli sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis Sacripantes.*

✠ *Ego Thomas Tituli sanctæ Mariæ Transtiberim Presbyter Cardinalis Rufus.*

✠

✠ *Ego Philippus Antonius Tituli sanctæ Ceciliæ Presbyter Cardinalis Gualterius.*

✠

✠

✠

✠

✠ *Ego Ludovicus Tituli sancti Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Picus de Mirandula.*

✠

✠

✠ *Ego Antonius Felix Tituli sanctæ Balbinæ Presbyter Cardinalis Zondadarius.*

✠

civitas Venetiarum publicis ad Deum supplicationibus, omnique lætitiæ genere perfusa gestiebat, Laurentius ex prænobili Justiniana familia in lucem editus est, ipse aliquando virtutibus suis patriæ gaudium, præsidiumque apud Deum futurus. Sublato Bernardo patre, Quirina mater eum sancte educavit, donec anno ætatis undevicesimo sacri instituti amore captus, divinæque sapientiæ alloquio dignatus, ut nuptias sibi paratas vitaret, ad Marinum matris suæ consobrinum, Canonicum sæcularem congregationis beati Georgii in Alga, quæ est Insula, alias cœnobium instituti Augustiniani prope Venetias, alacriter convolavit, ubi calcatis honoribus & fortunæ bonis, toto vitæ suæ tempore uni Deo militare constituit. Primum certamen corporeis illecebris strenuus Christi miles indixit, ratus nihil illis indulgendum, sed quasi in teterrimum hostem, jejuniis, vigiliis, & asperrima pœnitentia contra illas pugnandum. Sitim tam patienter tulit, ut siquando ea per jejunium, manuum laborem, peregrinationem, aut valetudinem se torreri sentiret, nunquam potum deposceret, sibi eum offerentibus ignorare se dicens, quo pacto Purgatorii calores esset laturus qui sitim ferre non posset. Viridarium relaxandi animi caussa, ut fit, nunquam intravit: corpus, morbo affectum, nunquam liberalius sovere voluit. Nocturnas vigilias ita servavit, ut primus ad divinas laudes canendas properaret, ultimus inde recederet, illuc, ceteris quiescentibus, rediturus. Quanvis, ut natura imbecillis, frigus immodice pateretur, nunquam tamen rigente hieme ad ignem accessit. Pfallens, nunquam læva, aut dextera sedilibus hæsit; semper gradu nixus stetit, etiam ægrotus. Strumarum peracerbo morbo in gutture graviter læsus, sectioni, ustionique generose succubuit, timentem medicum hortatus, ut audacter incideret, cujus novacula martyrum laminas non superaret. Cœnobio præfectus, infima quæque munia obivit, se increpari, contemni, & despici cupiens.

CONSTIT. CIV.

A. D. 1724.

Tanta fuit viri Dei in proposito constantia, ut postquam suis valedixisset, fraternam, maternamve domum nunquam, nisi pietatis causa ter solum, intraverit. Stipem ex ordinis instituto foris petens, nunquam ingressus est; inque maxima frequentia mendicans, saccum panibus plenum ab alio ferri minime voluit: quod mater, filii, immodico pondere gravis, miserta, aliquando conata est. Hujus dormitioni Laurentius interfuit, sed plorantibus aliis, ipse, dono lacrymarum alias maxime instructus, morientem siccis oculis vidit. Amicus illum a proposito, sacroque instituto blanditiis & vi retrahere molitus, ejus verbis, æternæ vitæ plenis, in cœnobium trahitur, una cum Laurentio & vivere & mori se velle testatus. Quantopere servum suum Deus probaret, dono prophetiæ illi tradito manifestavit. Etenim Fantino Dandulo, viro in Republica Senatori, de alio vitæ statu minime cogitanti, qui ad beatum Georgium officiis pietatis liberius vacaturus secesserat, in summo capite sacros cineres, periturae humanitatis nuncios, ex ejus manibus suscipienti, præcipuas Ecclesiæ dignitates prædixit: ad quas paulo post recolendæ memoriæ decessor noster Eugenius Papa IV. Dandulum, apud se pro patria oratorem, evexit, Legatione Bononiensi & Episcopatu Patavino auctum. Marcum & Leonardum fratres, ab utroque mutua caritate quotidie invisus, nunquam invisit nec etiam rogatus, licet diu, nec sine vitæ periculo, diverso tempore uterque decumberet. Iturum se dixit,

CONSTIT. CIV. A. D. 1724.

dixit, ubi tempus id postularet. Ultro adiit tandem quum spiritus discessioni jam esset paratus: gaudioque significato ob Laurentii fratris inexpectatum adventum, inter ejus amplexus uterque suaviter expiravit.

Viri Dei humilitas eluxit, dum Eugenius Pontifex magnis Laurentii virtutibus captus, animum induxit, ut eum Venetis Episcopum daret. Etenim Francisco Maripetro ex Castellano civitatis Venetiarum Episcopatu ad Cathedram Vicetinam translato, successorem Laurentium pronunciavit. Qui tamen fugam mente agitavit, & pastorale onus pro sua modestia deprecatus, semel atque iterum Pontifici jubenti humillime restitit, literis ingenui pudoris, sinceræque probitatis ac sanctimoniæ plenis ad eundem conscriptis. Laurentii collegæ inter se jejuniis & precibus indictis, Eugenium, ne sibi patrem eripiat, vehementer obsecrant. Bis ad illum mittunt, bis rescribit Eugenius, dulcissimis eos verbis solatus. Quare Laurentius Pontifici ter jubenti obtemperavit. Noctem, qua Episcopatum nulla pompa, & fratribus etiam remotis, iniit, insomnem duxit, precibus & lacrymis Dei præsidium in tanto munere implorans. Familiam curis parem delegit, sibi alias grandem esse, cujus studio premeretur, dicere solitus, pauperes Christi significans. Ædium ornatus, argentumque omnino sprevit. In mensa non sordida, sed munditiæ plena, nihil appetens aut improbans, fictilibus usus est. In cubili angusto ex palea & centone laneo conquievit, inde omnibus semper exclusis, quo liberius lacrymis & orationi vacaret.

Suæ Ecclesiæ pontificali pro dignitate excolendæ primam operam dedit; sed & reliquis sacris ædibus in solitudinem ferme redactis probe consuluit. Mox cleri mores adortus, saluberrimis eum constitutionibus instauravit; pari studio sacrarum Virginum monasteria prosequutus, nec minori vigilantia ceterarum ovium sedulam curam gerens. Pecuniam, ut Episcopum decet, summe contemsit. Episcopium uniuersis, omne penu egenis patere voluit; non tamen fratribus suis, a quibus contra non semel grandi pecunia adjutus est. Amoris fraterni hoc signum retinuit, ut tribus festis diebus, Paschatis, Nativitatis Domini, atque Apostolorum Petri & Pauli, duobus panibus ex farinæ flore confectis eos donaret. Demortuis duobus, uni superstiti eos semper pependit. Rationes procuratore adferente, quid deesset, quid superesset tantum adspexit; nefas ratus, si lucro animarum præfectus sederet ad calculos. In occultis pauperibus indagandis fuit summe sollicitus, iis præcipue, qui ex opulentis inopes evasissent; mallens aliquando decipi, quam scrupulosius examinare. Si quando in alterutrum offendendum esset, potius cui non oporteret dare cupiit, quam non dare cui oporteret. Res tamen humano usui necessarias libentius, quam pecuniam erogabat: libentius quoque plures summas, quam majores, ut nimirum in tanto populo communior esset beneficentia. Sæpenumero servi sui votis Dei providentia mirificè adfuit, pecunia multis de locis ad eum insperato veniente. Viri justitia inde patuit, quod nihil unquam ab illo judicatum, rescissum est, ejusdemque sententiæ inappellabiles habitæ sunt. Quid vero æque mirum dici potest, ac hominem, qui vix prima literarum elementa a præceptore didicisset, de omnibus in sacra Scriptura disputatis, gravissime respondere potuisse, plurimaque Deo plena, literis consignasse? Nimirum scientia potius divinitus infusa, quam huma-

humanitus acquisita instructus apparuit. Calumnias & contumelias magno animo devoravit, nec auctores scire voluit. Dominus tamen, cujus negocium agebatur, ipsi adsuit, auctores ipsos impunes abire non sinens. Spirituum & cogitationum discretio nusquam major, quam in Laurentio visa est. Immo hoc etiam illi a cœlo datum, ut sacræ Virgini absenti ipse missarum solemnia ad populum celebrans, extra se raptus, sanctissimum Eucharistiæ sacramentum administraret.

CONSTIT. CIV. A. D. 1724.

Crescente in dies tanti præsulis fama, Eugenius Pontifex eum apud se identidem habere se velle significavit, semperque Laurentius excusationes prætendit. Bononiam tamen vocatus, Alpium incommodis atque itineris longitudine, quæ erant excusationum caussæ, cessantibus, Pontificem adiit, a quo in S. R. E. frequenti Senatu hoc perhonorifico elogio exceptus est: *salve decus & gloria Præsulum*. Pontifice eum apud se retinere cupiente, corporis imbecillitatem caussatus, ad suam Ecclesiam lætior rediit, quam inde discesserat. Eum pari animi significatione amplexus est Eugenii successor proximus piæ memoriæ antecessor noster Nicolaus Papa V., qui in tanto præsule ornando cum Eugenio plane certans, Laurentium, tametsi reluctantem, Patriarcham esse voluit, sicut Eugenius Episcopum esse voluerat. Etenim Dominico Michaelio Gradensi Patriarcha demortuo, Nicolaus dignitatis amplitudini, civitatisque Venetiarum splendori consulturus, ex Grado modica Insula juxta veterem Aquilejam, unde sub adventum Langobardorum Gradensis patriarchatus, novæ Aquilejæ nuncupatus, multorum caussa dissidiorum, emerserat, hunc Venetias una cum omni honore suo transtulit, extincto Venetæ civitatis episcopatu, eidem Gradensi Patriarchatui antea subjecto: qui quidem episcopatus a loco Sedis, Olivolensis primum, mox Castellanus est dictus. Hinc factum, ut nomen Patriarchæ Gradensis, quem exinde Venetum appellaverunt, olim invidiosum, in Laurentio gratissimum esse cœperit.

Novi Patriarchæ sanctitatis præconio longe lateque resonante, quicunque Venetias adpellebant, Laurentium videre in primis cupierunt. Non vulgus tantum ad eum, veluti ad Angelum de cœlo lapsum, conspiciendum per vicos & compita certatim currere; sed viri principes domi eum invisere, intimos episcopii recessus venerationis caussa lustrare, vimque auri pauperibus dispertiendam ad illum adferre. Advenæ Pannones, Germani, Galli, Hispani ad limina Apostolorum vel ad Christi Domini sepulcrum peregrinantes, se felices putabant, ubi Laurentii benedictione accepta discederent; adeoque in maximis periculis Respublica Venetorum ad Laurentii precationes, tanquam ad oraculum, confugere consuevit; Deusque ipse quam gratæ sibi essent Laurentii pro ea preces, procul apud Corcyram prodigio comprobavit, ubi in mediis rupibus & speluncis, vir a triginta annis solitarius, uni Deo vacans, & prophetiæ spiritu insignis, an res Venetorum in bello cum Duce Mediolanensi perituræ essent, consultus, omnino ait perituras, nisi eorum præsulis lacrymæ apud Deum intercederent. Laurentius tamen solitario illi juxta ac omnes fere mortales, inauditus & incognitus erat.

Jam Venetus Patriarcha annum quartum supra septuagesimum exegerat, vigiliis, susceptisque ultro incommodis attritus, quum se libenter hinc abiturum, si Domino placeret, aliquando pronunciavit,

Pau-

CONSTIT. CIV.
A. D. 1724.

Paucos post dies febri correptus decumbit; lectumque molle sibi parari commotus est, quum Christus Dominus in durissimo ligno cubitasset. Pecunias, quibus pro ejus salute non parcebatur, in pauperes aptius erogari monuit. Migrationis diem advenisse intelligens, prope esse sponsum ait, eidemque obviam eundum. Quare susceptis Ecclesiæ sacramentis, deque mortis utilitate sermone habito, populoque suo, proceribus, & viris sacris ad se confluentibus bene precatus, & multis, quæ eventura erant, prædictis, obdormivit in Domino sexto idus Januarias, anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto, episcopatus anno decimo nono, patriarchatus quarto, quum se nulla pompa supremis tabulis inter Canonicos sancti Georgii in Alga sepeliendum mandasset, qui eum, optime de se meritum, deinceps, quasi auctorem & parentem suum, coluerunt.

Tantus omnium ordinum universæ civitatis concursus ad Laurentii corpusculum factus est, ut ex episcopio ad sacram ædem ob multitudinis oculos depascendos, mox illud deferri oportuerit, ubi turba se se comprimente, feretrum a gradibus chori ad valvas Ecclesiæ raptum est. Discissæ vestes, sublati calcei, omnia ad venerationem direpta. Ob ejus sanctitatis ubique vulgatam opinionem urbani sodalitiorum processus magna celebritate ad funus accurrerunt, nullo tamen funebri signo, ut in mortuorum elationibus fierit solet, sed omni honoris & lætitiæ significatione ultro & publice instructi. In funere ipso suavissimi cantus, & modulationes auditæ, Angelicæ, non humanæ. Sacrum pignus inter utrosque Canonicos, patriarchales, & beati Georgii de eo dando & retinendo contentione orta, quasi litis exitum expectaturum, in ecclesiæ cathedralis secretario repositum est, ubi altero ac tertio die nec corruptum, nec fœtens, immo nec quinto, nec sexto repertum, genis rubescentibus & vivo simile visum est. Tota civitate effusa ad prodigium, octava die palam in ædem sacram adfertur. Interim sacræ exuviæ, aliis instantius eas postulantibus, aliis diligentius custodientibus, iterum in secretarium allatæ, ubi per dies quadraginta incorruptæ & integræ permanserunt, quamplurimis ad illas venerationis caussa affluentibus, donec tandem totius populi & civitatis suffragio canonicis patriarchalibus illas adjudicante, septimo die supra sexagesimum sepulturæ in basilica patriarchali decimo sexto Kalendas Apriles traditæ sunt officiis & honoribus, non quibus ceteri solent, de quorum virtutibus & meritis ambigitur; sed quasi viri sancti reliquiæ. Non solum ex Italia, sed ex Illyrico etiam, atque Epiro multi ad prodigium profecti: quod medici omnes nulla naturæ vi, præsertim quum Laurentius putrida febre laborasset, fieri potuisse, testati sunt.

Quæ & quanta deinde miracula divinam opem ad Laurentii sepulcrum implorantibus acciderint, difficile dictu est. Hæc felicis recordationis antecessorem nostrum Xystum Papam IV. permoverunt, ut ad Ducis & Dominii Venetorum summas preces, ob eum in Sanctorum canonem referendum, acta, rei tantæ necessaria, conscribenda curaret. Sed quum eadem acta patriarchalis ædis conflagratione periissent, alter piæ memoriæ decessor noster Leo Papa X. ad negocii inquisitionem rursus procedi jussit. Post Leonem hoc pariter egit successor ejus similis memoriæ Hadrianus Papa VI. Quo deinde sublato, Clemens Papa VII. literis Apostolicis in forma Brevis ad Antonium Con-

Contarenum civitatis Venetiarum Patriarcham, Duce & Dominio Venetorum pie deposcentibus, concessit, ut pro æterni Regis laude & gloria, ac ipsius beati Laurentii pontificis & confessoris reverentia, sanctæ Ecclesiæ decore & catholicæ fidei splendore, populorumque dicti Dominii devotione, singulis annis in die, qua beatus Laurentius migravit ad Dominum, festum & officium de eodem cum oratione unius pontificis & confessoris sub nomine beati Laurentii Patriarchæ in ejus & aliis ædibus Deo sacris Dominii Venetorum, ab omnibus celebraretur. Hoc pacto Clemens Laurentium Beatorum catalogo adscripsit.

CONSTIT. C.V. A. D. 1724.

Postmodum recolendæ memoriæ Xystus Papa V. plenariam indulgentiam, die festo beati Laurentii ædem sacram, ubi ejus corpus adservabatur, devote invisentibus largitus est: quod similis recordationis Clemens Papa VIII. semel atque iterum indulsit, adprobatis lectionibus propriis, in ejusdem instituti congregationibus beatorum Georgii in Alga & Johannis Evangelistæ in Lusitania, cum ejus officio recitandis. Mox piæ recordationis Paulus Papa V. iisdem Canonicis beati Georgii in Alga indulsit, ut, quintis cujuscunque hebdomadæ feriis non impeditis, illud idem officium recitarent. Idem postea Paulus æque ac ejus successor Gregorius Papa XV. ac subinde Urbanus Papa VIII. piæ quoque memoriæ antecessores nostri, de magnis virtutibus & miraculis, per intercessionem beati Laurentii patratis, acta & commentarios pro eo in Sanctorum canonem solemni pompa referendo, iterum conscribi jusserunt, de ejus corporis translationibus atque aris Deo in ejusdem honorem auctoritate Apostolica erectis, mentionem facientes: quo tempore hujus beati confessoris & pontificis summæ sanctitatis fama etiam in regno Siciliæ ita percrebuit, ut Senatus Panormitanus ob civitatem a contagionis morbo Laurentii patrocinio divinitus liberatam, eum sibi præcipuum patronum elegerit, impetrata etiam a jam dicto Urbano Papa VIII. Apostolica facultate, ut in Ecclesiis Panormitanis officium & missa de eodem beato viro, tanquam de patrono, celebrarentur.

Tot tantisque monumentis, apud Apostolicam Sedem comprobata viri Dei sanctitate, quam christianæ virtutes & complura miracula illustraverant, is tandem, quem supra memoravimus, Alexander Papa VIII. ad summum pontificatum evectus, de Laurentio cum aliis beatis viris ubique celeberrimis, ex Romanorum Pontificum auctoritate, ritualibus constitutionibus, canonibus & decretis, rite servatis, in sanctorum tabulis, Duce & Dominio Venetorum orantibus, describendo provide cogitavit, ideoque gesta omnia beati viri in novum examen adducta sunt: quo ex veteri more Apostolicæ Sedis in tribus consistoriis ac plenario conventu venerabilium fratrum S. R. E. Cardinalium atque etiam Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum in Urbe præsentium coram se rite peracto, beatum Laurentium statuta die in Sanctorum canonem per se referendum pronunciavit. Quare decimo septimo Kalendas Novembres anno salutis millesimo sexcentesimo nonagesimo, sui pontificatus secundo in sacrosanctam beati Petri principis Apostolorum basilicam, summa celebritate totius Ecclesiæ Romanæ Laurentium maxima cæremonia inter Sanctos numeraturus Alexander profectus est, ubi in plenario conventu eorumdem venerabilium fratrum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum semel,

iterum & tertio iteratis pro Laurentio Justiniano in Sanctorum fastos referendo ad Deum precibus, unanimi omnium acclamatione & suffragio idem Alexander Papa VIII. post gratiam paracliti Spiritus summa religione invocatam, auctoritate omnipotentis Dei & Domini nostri Jesu Christi, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac sua, ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, exaltationem fidei catholicæ, & Christiani nominis incrementum, beatum Laurentium Justinianum Venetum confessorem & pontificem, de cujus virtutibus & miraculis antea constiterat, & tunc satis constabat, una cum aliis beatis viris Johanne a Capistrano, Johanne a sancto Facundo, Johanne de Deo & Paschale Baylonio, confessoribus non pontificibus, sanctum confessorem pontificem esse decrevit & definivit, in sanctorum confessorum pontificum catalogum & canonem retulit, eumdemque imposterum in tota Ecclesia, tamquam vere Sanctum, colendum, invocandum, honorandumque sancivit; ad ejus honorem sacras ædes atque altaria, in quibus sacrosanctum missæ sacrificium Deo offeratur, construi ac dicari; & quotannis VI. idus Januarias, quo die migravit ad Dominum, illius memoriam, ut sancti confessoris pontificis, ab omnibus pie coli posse pronunciavit. Insuper eadem auctoritate omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui annis singulis in illius dormitionis die ad ejusdem sepulcrum religiose accessissent, annum & quadraginta dies; accedentibus vero infra octavam, quadraginta dies de injunctis seu quomodolibet debitis canonicis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxavit.

Mox Deum Patrem æternum, regemque gloriæ Christum Dominum ejus sempiternum Filium; sanctumque Paraclitum Spiritum, in trinis personis unum Deum & Dominum Alexander magna religione veneratus, & peculiari oratione per beati Laurentii Justiniani confessoris & pontificis merita precatus, cum ejus & ceterorum commemoratione in ara maxima supra confessionem beati Petri solemnem missam celebravit, universis Christifidelibus, qui tantæ cæremoniæ aderant, plenariam peccatorum indulgentiam & remissionem largitus.

Ne vero de hujusmodi Alexandri Papæ VIII. decreto Apostolico, definitione, sanctione, adscriptione, relatione, concessione, ceterisque præmissis, propterea quod ab eodem, aut ab ejus successoribus Innocentio XII. Clemente XI. & Innocentio XIII. piæ memoriæ Romanis pontificibus antecessoribus nostris de more literæ decretales conscriptæ & promulgatæ non fuerint, deinceps unquam possit quomodolibet hæsitari; nos, qui, meritis licet imparibus, disponente Domino in cathedra beati Petri iisdem successimus, volumus, & Apostolica auctoritate statuimus, ut decretum, sanctio, relatio, adscriptio, & reliqua hactenus recensita, a jam dicta die decimo septimo Kalendas Novembres anni millesimi sexcentesimi nonagesimi suum undequaque & plenarium consequantur effectum, ac si ab eodem Alexandro VIII. literæ decretales revera eadem die conscriptæ & de more promulgatæ fuissent, ut superius enarratur.

Volumus autem, ut præsentes literæ ad probandum decretum, definitionem, sanctionem, adscriptionem, relationem, statutum, concessionem, ceteraque præmissa ubique omnino sufficiant, neque alterius cujuscumque probationis adminiculum ad id amplius requiratur.

Cete-

Ceterum quia difficile foret, has nostras ad singula loca, ad quæ opus esset, adferri, volumus, ut earumdem exempla, etiam typis impressa, manu publici notarii subscripta, sigilloque alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munita, eamdem ubique fidem obtineant, quam hæ nostræ obtinerent, sicubi eas exhiberi, vel ostendi contingeret. CONSTIT. CIV, A. D. 1724.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam decreti, definitionis, sanctionis, adscriptionis, relationis, statuti, & concessionis infringere, aut ei temerario ausu contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vicesimo quarto, pridie nonas Junias, pontificatus nostri anno primo.

✠ Ego Benedictus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

✠

✠ *Ego Franciscus Episcopus Prænestinus Cardinalis Barberinus.*

✠

✠ *Ego Petrus Episcopus Sabinensis Cardinalis Otthobonus S. R. E. Vicecancellarius.*

✠ *Ego Laurentius Episcopus Tusculanus Cardinalis Corsinus.*

✠

✠ *Ego Joseph Renatus Tituli sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Imperialis.*

✠

✠

✠ *Ego Philippus Antonius Tituli sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis Gualterius.*

✠

✠

✠

✠

✠ *Ego Ludovicus Tituli sancti Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Picus de Mirandula.*

✠ *Ego Johannes Antonius Tituli sancti Petri in Vincula Præsbyter Cardinalis de Via.*

✠

✠ *Ego Antonius Felix Tituli sanctæ Balbinæ Presbyter Cardinalis Zondadarius.*

✠

✠ *Ego Petrus Marcellinus Tituli sanctæ Mariæ Transtiberim Presbyter Cardinalis Corradinus.*

✠

✠

✠ *Ego Curtius Tituli sancti Eustachii Presbyter Cardinalis Origus.*

✠ *Ego Melchior Tituli sanctæ Mariæ Angelorum Presbyter Cardinalis de Polignac.*

ordinem Fratrum Minorum beati Francisci, qui a regulari observantia nuncupantur, ab se ferventissimis votis expetitum, quamvis repulsus durisque & publicis quoque experimentis probatus, maxime alacris amplexus est anno Christi Domini millesimo quadringentesimo decimo quarto. In divinis literis magistro usus est beato confessore Bernardino Senensi, quem pro sacratissimo nomine Jesu calumniis traductum, coram piæ memoriæ antecessore nostro Martino Papa V. in basilica beati Petri principis Apostolorum strenue defendit: eumdemque ipse & sodalis Jacobus a Marchia per inclytæ recordationis decessorem nostrum Nicolaum V. in sanctorum confessorum canonem postea referendum curavit, uterque deinceps in eumdem sanctorum canonem, & Jacobus quidem a nobis quamprimum, favente Domino, referendus. Johannis doctrinæ, asperrimæ pœnitentiæ, & sanctitatis fama in dies crescente, ad multas variasque provincias, Italiam, Germaniam, Sarmatiam, Pannoniam Christianos mores, disciplinamque verbo & scriptis, quæ plurima edidit, instauraturus, ab antecessoribus nostris Romanis Pontificibus ablegatur. Idem, quem diximus, Martinus V. ad compescendam verbo & scriptis Fraticellorum sectam illum una cum Jacobo a Marchia Inquisitorem instituit: de quibus Johannem feliciter triumphantem, contra omnes hæreticos generalem Inquisitorem creat. Reatinos & finitimos populos inter se odiis armisque certantes eloquii suavitate componit. In terris sanctæ Romanæ Ecclesiæ citra Pharum, Johanna II. Regina flagitante, Judaici fœnoris pravam licentiam evellit. Decessorum nostrorum, Martini dormitionem, piæque memoriæ Eugenii IV. successionem prædicit, a quo pro magnis Ecclesiæ negociis ad Insubres, Siculos & alios mittitur. Recusato Aquilano episcopatu, munus prædicandi Evangelium obire non cessat, inque plenario Florentinorum Patrum conventu, velut sol quidam fulget. Romæ Judæorum synagogæ magistrum cum quadraginta sectatoribus ad veritatis professionem reducit. Ut hæreticos in sinum Ecclesiæ, & Principum animos in concordiam redigat, Friderico III. Imperatore postulante in Germaniæ partes a prædicto Nicolao V. mittitur.

In Germania, Bohemia, Sarmatia & Pannonia sexennali peregrinatione Hussitis, Adamitis, Taboritis, Ebræisque innumeris ad Christianam veritatem, doctrinæ, sanctitatis & miraculorum luce conversis, Dei gloriam mirifice auget. Ægros quamplurimos sanat, mortuos suscitat, mutis loquelam restituit. Denique totam Christianorum Rempublicam periclitantem ab immanissimo Turcarum tyranno defensurus, se pro domo Israel murum opponit, dum piæ memoriæ decessor noster Calistus Papa III. Johanne potissimum deprecante, Christianorum militum signo crucis illustrium expeditionem in Turcas Europæ incubantes decernit; statimque Johanne Pannoniam, Transilvaniam, Moldaviam, Vallachiam, instar fulguris pervolante, septuaginta millia Christianorum conscribuntur, crucisque vexillum, ipso parma fidei protecto præferente, de centum & viginti millibus hostium, toto orbe mirante, victoria reportatur: cujus nuncio Romam allato, octavo idus Augustas, idem Calistus ejus diei memoriæ solemnia Transfigurationis Christi Domini perpetuo consecravit.

Johannes his atque aliis, sempiterna memoria dignissimis præclare gestis, ex corporis fatigatione lethali morbo contracto Villacum Pannoniæ inferioris opidum in agro Sirmiensi defertur, ubi a Ladislao

Rege,

CONSTIT. CV. A. D. 1724.

Rege, aliisque viris principibus visitatur, sanctisque Ecclesiæ sacramentis maxima religione susceptis, & multis, quæ superventura erant, prænunciatis, principes viros Ladislaum Regem, Matthiam Corvinum, aliosque ad tuendam religionem Christianam hortatus, vir Apostolicus & voluntate martyr pie in Domino obiit anno salutis millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto, decimo Kalendas Novembres. Defuncto triduanæ exequiæ in Pannonia, Germania, atque Italia universa persolvuntur. Post obitum æque ac in vita multis magnisque miraculis claruit. Pro eo in sanctorum canonem referendo ad Sedem Apostolicam undique scriptum est: ab Italiæ civitatibus, Bononia, Patavio, Tarvisio, Asculo. Fridericus III. Augustus & Casimirus Poloniæ Rex a Pio II. felicis memoriæ antecessore nostro id postulaverunt: qui quidem Pius, adhuc Æneas Silvius, perinsignium Johannis virtutum locuples testis, eodem Friderico III. rogante, illum a Nicolao V. in Germaniam mittendum impetraverat. Ad hæc Johannes & Sigismundus comites Palatini ad Rhenum, Rupertus Dux Bavariæ, Albertus Marchio Brandenburgicus, Conradus Dux Silesiæ, Petrus sanctæ Romanæ Ecclesiæ Tituli sancti Vitalis Presbyter Cardinalis, Augustanus nuncupatus, in universa Germania Apostolicæ Sedis Legatus; Episcopi Misnensis, Eystettensis, aliique; Matthias Rex, & Elisabetha Pannoniæ Regina, plurimæque illarum partium civitates ab Apostolica Sede idem poposcerunt. Quare tot tantisque viri Dei præconiis, una voce ad sanctam Romanam Ecclesiam undique allatis & confluentibus permotus felicis memoriæ antecessor noster Leo Papa X. per Bernardum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconum Cardinalem sanctæ Mariæ in Porticu, Bibienam nuncupatum, concessit anno salutis millesimo quingentesimo decimo quinto, ut Johannis piæ dormitionis dies festus perpetuis futuris temporibus a clero sæculari & regulari apud Capistranenses quotannis celebraretur.

Postmodum alius decessor noster felicis quoque memoriæ Gregorius Papa XV. Beatorum fastis Johannem adscripsit, inque ejus die natali officium duplex & sacrosanctum missæ sacrificium in ejusdem honorem, toti ordini regularis observantiæ beati Francisci, & sæculari etiam clero in dicti ordinis Ecclesiis celebrari permisit. Mox sub piæ memoriæ alio antecessore nostro Urbano Papa VIII. eximiis & multis viri Dei virtutibus & miraculis ad Apostolicarum constitutionum ritus & canones in examen vocatis, atque omnium approbatione & præconio receptis, etiam sub felicis memoriæ antecessoribus nostris Romanis Pontificibus Innocentio X. Alexandro VII. & Clemente X. tandem a sanctæ memoriæ decessore itidem nostro Innocentio XI. de beato viro in sanctorum canonem referendo sancitum est, repetitis precibus id etiam postulantibus illustris memoriæ Leopoldo electo Romanorum Imperatore, Carolo II. Hispaniarum Rege, & Cosmo III. in Etruria sibi subjecta magno Duce.

Quum autem re infecta idem Innocentius, jubente Domino, ex hac vita pie migrasset, felicis memoriæ Alexander Papa VIII. eidem suffectus, ex Romanorum Pontificum auctoritate, ritualibus constitutionibus, canonibus & decretis rite servatis, de Johanne Sanctorum canoni adscribendo provide cogitavit. Quare decimo septimo Kalendas Novembres anno salutis millesimo sexcentesimo nonagesimo, sui pontificatus secundo in sacrosanctam beati Petri principis Apostolorum basilicam summa celebritate totius Ecclesiæ Romanæ profectus est, ubi semel, iterum

& ter-

& tertio in plenario conventu venerabilium fratrum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum iteratis pro Johanne in sanctorum canonem referendo ad Deum precibus, unanimi omnium acclamatione & suffragio, post gratiam Paracliti Spiritus summa religione invocatam, idem Alexander VIII. auctoritate Domini nostri Jesu Christi, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, exaltationem fidei catholicæ, & Christiani nominis amplificationem, beatum Johannem a Capistrano ordinis Fratrum Minorum beati Francisci, a regulari observantia nuncupatorum, de cujus virtutum & prodigiorum magnitudine cumulate constiterat, una cum aliis beatis viris Laurentio Justiniano confessore & pontifice, Johanne a sancto Facundo, Johanne de Deo, & Paschale Baylonio confessoribus non pontificibus, sanctum confessorem esse decrevit & definivit, in Sanctorum confessorum catalogum & canonem retulit, eumdemque imposterum in tota Ecclesia, tanquam vere Sanctum, colendum, invocandum, honorandumque sancivit; ad ejus honorem sacras ædes, atque altaria, in quibus sacrosanctum missæ sacrificium Deo offeratur, construi ac dicari, & quotannis decimo Kalendas Novembres, quo die vir sanctus obdormivit in Domino, illius memoriam, ut sancti confessoris non pontificis, pie recoli posse pronunciavit. CONSTIT. CV. A. D. 1724.

Mox Deum Patrem æternum, regemque gloriæ Christum Dominum ejus sempiternum Filium, sanctumque Paraclitum Spiritum in trinis personis unum Deum & Dominum Alexander magna religione veneratus, & peculiari oratione per Johannis confessoris merita precatus, cum ejus & ceterorum commemoratione ad aram maximam supra confessionem beati Petri solemnem missam celebravit, universis Christifidelibus, qui aderant tantæ cæremoniæ, plenariam peccatorum indulgentiam & remissionem largitus.

Ne vero de hujusmodi Alexandri Papæ VIII. decreto Apostolico, definitione, sanctione, adscriptione, relatione, concessione, ceterisque præmissis, propterea quod ab eodem, aut ab ejus successoribus Innocentio XII. Clemente XI. & Innocentio XIII. piæ memoriæ Romanis Pontificibus antecessoribus nostris de more literæ decretales conscriptæ non fuerint, deinceps unquam possit quomodolibet hæsitari, nos, qui, meritis licet imparibus disponente Domino in cathedra beati Petri iisdem successimus, volumus & Apostolica auctoritate statuimus, ut decretum, sanctio, relatio, adscriptio, ceteraque hactenus recensita, a jam dicto die decimoseptimo Kalendas Novembres anni millesimi sexcentesimi nonagesimi suum undequaque & plenarium consequantur effectum, ac si ab eodem Alexandro Papa VIII. literæ decretales revera eadem die conscriptæ & de more promulgatæ fuissent, ut superius enarratur.

Volumus autem, ut præsentes literæ ad probandum decretum, definitionem, sanctionem, adscriptionem, relationem, statutum, concessionem, ceteraque præmissa ubique omnino sufficiant, neque alterius cujuscumque probationis adminiculum ad id amplius requiratur.

Præterea quia difficile foret, has nostras ad singula loca, ad quæ opus esset, adferri, volumus, ut earumdem exempla, etiam typis impressa, manu publici notarii subscripta, sigilloque alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munita, eamdem ubique fidem obtineant,

 quam

CONSTIT. CV.

A. D. 1724.

quam hæ nostræ obtinerent, sicubi eas exhiberi vel ostendi contingeret.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, definitionis, sanctionis, adscriptionis, relationis, statuti, concessionis infringere, aut ei temerario ausu contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vicesimo quarto, pridie nonas Junias, pontificatus nostri anno primo.

✠ Ego Benedictus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

✠
✠.
✠ *Ego Franciscus Episcopus Prænestinus Cardinalis Barberinus.*
✠
✠
✠ *Ego Laurentius Episcopus Tusculanus Cardinalis Corsinus.*
✠
✠ *Ego Joseph Tituli sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis Sacripantes.*
✠
✠
✠ *Ego Philippus Antonius Tituli sanctæ Ceciliæ Presbyter Cardinalis Gualterius.*
✠
✠
✠
✠
✠ *Ego Ludovicus Tituli sancti Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Picus de Mirandula.*
✠
✠
✠ *Ego Antonius Felix Tituli sanctæ Balbinæ Presbyter Cardinalis Zondadarius.*
✠
✠ *Ego Petrus Marcellinus Tituli sancti Johannis ante Portam Latinam Presbyter Cardinalis Corradinus.*
✠
✠
✠
✠ *Ego Melchior Tituli sanctæ Mariæ Angelorum Presbyter Cardinalis de Polignac.*
✠
✠
✠
✠

✠ *Ego*

✠ *Ego Bernardinus Tituli sancti Petri in monte Aureo Presbyter Cardinalis Scottus.* CONSTIT. CV.

A. D. 1724.

✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠ *Ego Georgius Tituli sanctae Agnetis Presbyter Cardinalis Spinula.*

✠
✠
✠
✠ *Ego Ludovicus Tituli sanctae Priscae Presbyter Cardinalis Belluga & Moncada.*

✠ *Ego Joseph Tituli sanctae Susannae Presbyter Cardinalis Pereyra de la Cerda.*

✠
✠ *Ego Johannes Baptista Tituli sancti Stephani in monte Caelio Presbyter Cardinalis Salernus.*

✠
✠ *Ego Alvarus Tituli sancti Bartholomaei in Insula Presbyter Cardinalis Cienfuegos.*

✠
✠ *Ego Johannes Baptista Tituli sancti Matthaei in Merulana Presbyter Cardinalis de Alteriis.*

✠ *Ego Vincentius Tituli sancti Onuphrii Presbyter Cardinalis Petra.*

✠ *Ego Prosper Tituli sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis Marifuseus.*

✠
✠ *Ego Nicolaus Tituli sanctae Mariae in Domnica Presbyter Cardinalis Coscia.*

✠
✠
✠
✠
✠
✠ *Ego Benedictus sanctae Mariae in Via Lata Diaconus Cardinalis Pamphilius.*

✠ *Ego Joseph Renatus sancti Georgii in Velabro Diaconus Cardinalis Imperialis.*

✠ *Ego Laurentius sanctae Agathae ad Montes Diaconus Cardinalis de Alteriis.*

✠ *Ego Carolus sancti Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Columna.*

✠ *Ego Curtius sancti Eustachii Diaconus Cardinalis Origus.*

✠ *Ego Fabius sanctorum Viti & Modesti Diaconus Cardinalis de Abbatibus Oliverius.*

✠ *Ego Carolus sanctae Mariae in Aquiro Diaconus Cardinalis de Marinis.*

✠ *Ego Julius sancti Hadriani Diaconus Cardinalis Alberonus.*

✠ *Ego Alexander ſanctæ Mariæ in Coſmedin Diaconus Cardinalis Albanus.*

✠ *Ego Nicolaus ſanctæ Mariæ de Rotunda Diaconus Cardinalis Judice.*

✠
✠
✠
✠

P. Cardinalis Prodatarius.

F. Cardinalis Oliverius.

V I S A

De Curia J. Archiepiſcopus Ancyranus.

L. Martinettus.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

N O T A.

Quo tempore beatus Johannes a Capiſtrano relatus eſt in numerum *Sanctorum*, prodiit volumen in forma folii, inſcriptum, *Capiſtranus triumphans*. Nihil tamen ſingulare habet, ſi bene memini, quod copioſe non exſtet in Annalibus Minorum Lucæ VVaddingi. Quare ex hoc petenda ſunt quæ de Capiſtrano dici debent. Vir enim eximius ejus geſta ſuis quæque annis ſuse diſpoſuit in tomo VI. Sed Odoricus Raynaldus non eſt propterea omittendus, Capiſtrani facinora pariter explicans in tomo XIV. Annalium. Obiit Dei ſervus die Sabbati XXIII. Octobris hora XXI. A.D. 1456. Magni enim viri exitus epocham tot notis chronologicis conſignare, optimum eſſe ducimus. Claruit geſtis, & etiam ſcriptis, quæ a VVaddingo recenſentur in Scriptoribus ordinis Minorum pag. 196. Labbeus in notis ad Catalogum Bellarmini to. I. pag. 519. ejus Vitam memorat, Viennæ editam A. D. 1523. in forma quarti. Nicolaus Toppius in Origine Tribunalium civitatis Neapolis lib. III. cap. X. a pag. 106. ad pag. 109. perplures ſcriptores eum laudantes enumerat. Nefarie autem venerando nomine Capiſtrani abuſus fuit famoſus impoſtor Alphonſus Ciccarellus, ut earius libros ab ſe confictos de familiis Italiæ, venditaret. Illi enim ſuppoſuit *Chronica de Originibus urbium*. Vide Leonem Allatium poſt Animadverſiones in Fragmenta Inghirami pag. 318. & ex eo VVaddingum proxime adductum pag. 197. col. 2.

IDEM

CONSTIT. CVI. A. D. 1724.

C V I.

I D E M

BENEDICTUS . XIII

Beatum Felicem a Cantalicio, opido agri Reatini in Sabinis, ordinis Fratrum Minorum, qui Cappuccini appellantur, per Clementem XI. Pont. Max. Sanctorum confessorum canoni adscriptum fuisse promulgat. Obiit Felix die XVIII. Maji A. D. 1582.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Rationi congruit & convenit æquitati, ut quæ olim Romanus Pontifex in plenario conventu venerabilium fratrum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum, unanimi eorum consilio communicato, sanxit & definivit, licet postea ob ejusdem Pontificis obitum literæ Apostolicæ de his conscriptæ non fuerint, suum tandem consequantur effectum. Const. CVI. A. D. 1724.

Recolendæ memoriæ antecessor noster Clemens Papa XI. ut frigescentem Christianorum pietatem ad Domini cultum accenderet, servorum Dei exempla, qui virtutum magnitudine olim claruerant, in summo Romanæ Ecclesiæ candelabro lucentia pro sua pastorali sollicitudine exponere statuit, beatique Felicis a Cantalicio ordinis Fratrum Minorum beati Francisci, qui Cappuccini appellantur, gestis, omni præconio memorandis, & signis, quæ Deus ob ejus merita ediderat, in examen vocatis, de illo Sanctorum fastis adscribendo providè cogitavit.

Felix ineunte sæculo decimo sexto circa annum Christi Domini millesimum quingentesimum decimum tertium in finibus Reatinorum humili loco natus, ab ipsa adolescentia futuræ virtutis argumenta, in dies animum ejus ad summi Dei cultum excitantia, manifestavit. Literarum plane rudis, agrisque colendis deditus, ex sibi prælectis veterum Patrum gestis, austerioris vitæ, qua illi excelluerant, amore captus, institutum eorumdem Fratrum Minorum beati Francisci, qui Cappuccini appellantur, voto suo complendo aptissimum censuit, cui

plurimo

CONSTIT. CVI. A. D. 1724.

plurimo gaudio in laicorum ordine nomen daturus, Romam ex patria sua Cantalicio profectus est. Hic religionem ingressus anno millesimo quingentesimo quadragesimo tertio toti Urbi per quadraginta & eo amplius annos summe Christiana morum innocentia & simplicitate, asperrimæque pœnitentiæ & vitæ genere, se admirandum exhibuit. Rigidum sui ordinis institutum per omnia observasse nequaquam contentus, plurima alia ultro sibi servanda pro Dei amore, quo flagrabat, diu noctuque proposuit. Conscientiæ viri Dei moderatores Dominici corporis sumptionem ter illi singulis hebdomadis peragere solito, per totos quindecim ante dormitionem annos, ob ejus ardentissimum caritatis fervorem, quotidianam divinæ mensæ perceptionem concedere, sanctum existimarunt: ad quam sine uberrimo lacrymarum imbre nunquam accessit. Lasso corpori nullam requiem indulsit, illud jejuniis præter suam regulam, supraque communem usum sibi præscriptis, durisque flagellis castigans. Nudis pedibus per Urbem eleemosynas pro Fratribus reficiendis quotidie corrogaturus, incedere; ferreis quoque anulis ad lumbos præcinctus celebriores Urbis basilicas obire consuevit; palam etiam visus cum beato confessore Philippo Nerio sui contemtu & humilitate certare. Vitæ suæ termino semel atque iterum prænunciato, visaque inter cœlitum choros Deipara virgine, plenus dierum & meritorum in cœnobio ad radices Quirinalis sancte suaviterque Spiritum Deo reddidit decimo quinto Kalendas Junias anni millesimi quingentesimi octogesimi secundi, tota Urbe ad servi Dei cadaver in sacra æde expositum confluente, per ejus preces divinam opem imploratura, vel ob jam acceptam per ejus merita, Deo grates actura. Ipsi quoque sanctæ memoriæ antecessores nostri Romani Pontifices Xystus V. & Gregorius XV. ut beati viri precibus se apud Deum commendarent, ad ejus sepulcrum invisendum palam accedere visi sunt.

Tantæ sanctitatis fama Dei nutu in dies magis prodeunte, piæ recordationis antecessor noster Urbanus Papa VIII. qui novam disciplinam ob Dei servos in Beatorum & Sanctorum canonem referendos veteri addiderat, beatum Felicem novæ subesse noluit, ejusque virtutes ad receptam sanctionum Apostolicarum normam cum miraculis ob ejus invocationem patefactis, rite probavit: servique Dei nomen in sacras tabulas Martyrologii Romani pontificio diplomate relatum est, missa pariter & officio in Felicis honorem celebrari permissis. Postmodum per alios felicis memoriæ Romanos Pontifices antecessores nostros, Innocentium X. & Clementem XI. novis miraculis, quæ post Felicem beatorum numero adscriptum contigerant, comprobatis, idem Papa Clemens beatum virum in Sanctorum canonem statuta die referendum Apostolica auctoritate pronunciavit. Quare universis, quæ ex sanctæ Romanæ Ecclesiæ constitutionibus, ritibus, canonibus & decretis, in beati Felicis virtutum & miraculorum examine & approbatione agenda erant, sancte peractis, idem Clemens magnæ solemnitatis diem Dominicam, sanctissimæ Trinitati sacram, undecimo Kalendas Junias anni Dominicæ incarnationis millesimi septingentesimi duodecimi, sui pontificatus duodecimi, tanto actui & cæremoniæ perficiendæ futuram esse voluit: quem actum, omnium maxime solemnem, Regum & Principum obsecrationes ab Apostolica Sede obsequentissime tanto antea poposcerant.

Itaque

Itaque Clemens praestituta die in sanctam beatorum Petri & Pauli basilicam, magno apparatu & celebritate processit: ubi in plenario sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum conventu, repetitis pro beato Felice in Sanctorum canonem referendo humillimis ad Deum precibus, & paracliti Spiritus gratia enixe invocata, ad honorem sanctissimae & individuae Trinitatis, fideique & religionis catholicae amplificationem, auctoritate omnipotentis Dei, Patris, Filii & Spiritus sancti, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum, toto eodem conventu uno ore adprobante & consentiente, beatae memoriae Felicem a Cantalicio, de cujus sanctitate, virtutumque Christianarum & signorum magnitudine cumulate constiterat, una cum confessore & pontifice, Pio Papa V. confessore non pontifice Andrea Avellino, Virgineque non martyre Catharina a Bononia, sanctorum confessorum non pontificum canoni adscribendum esse definivit, eumdemque Felicem sanctorum confessorum canoni adscriptum deinceps ab universis Christifidelibus, ut vere Sanctum ubique colendum, honorandum, invocandumque decrevit; in ejus honorem sacras aedes & altaria, ubi incruentum sacrificium Deo offeratur, construi & dicari; & quotannis decimo quinto Kalendas Junias, quo die obdormivit in Domino, solemnem ejus memoriam, ut sancti confessoris pie recoli posse sancivit. CONSTIT. CVI. A. D. 1724.

Denique gratiis Deo cum exultatione actis, quod sanctum confessorem Felicem cum ceteris jam memoratis in conspectu omnium gentium honorificari, & militantem Ecclesiam tam insigni gloria decorari voluisset, in ejusdem confessoris, & ceterorum laudem solemni oratione cantata in ara maxima supra confessionem beati Petri Apostolorum principis, una cum eorumdem Sanctorum commemoratione, missae sacrificium celebravit, singulisque catholicis, qui tantae caeremoniae intererant, plenariam peccatorum indulgentiam & remissionem largitus est.

Ne vero de hujusmodi solemni definitione & sanctione Apostolica, ceterisque praemissis, propterea quod de illis per eumdem Clementem, aut ejus successorem felicis memoriae Innocentium XIII. decessores nostros literae decretales conscriptae non fuerint, unquam possit imposterum quomodolibet haesitari; nos, qui, utrique, disponente Domino licet immeriti, in cathedra beati Petri successimus, volumus, & Apostolica auctoritate statuimus, ut decretum, sanctio, definitio, adscriptio, relatio, concessio, ceteraque hactenus memorata, a jam dicto die undecimo Kalendas Junias anni millesimi septingentesimi duodecimi suum consequantur effectum, ac si de illis ab eodem Clemente revera literae decretales eadem die conscriptae & promulgatae fuissent, ut superius enarratur.

Volumus etiam, ut praesentes literae nostrae ad probandum decretum, sanctionem, definitionem, adscriptionem, relationem, concessionem, ceteraque praemissa undequaque sufficiant, neque alterius cujuscumque probationis & solemnitatis adminiculum ad id amplius requiratur.

Ceterum quia difficile foret, has nostras ad singula loca, ad quae opus esset, adferri, volumus, ut earumdem exempla, etiam typis impressa, manu publici notarii subscripta, sigilloque alicujus personae in dignitate ecclesiastica constitutae munita, eamdem ubique fidem obtineant, quam hae nostrae obtinerent, sicubi eas exhiberi, vel ostendi contingeret.

Nulli

CONSTIT. CVI.

A. D. 1724.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, definitionis, sanctionis, adscriptionis, relationis, statuti, & concessionis infringere, aut ei temerario ausu contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vicesimo quarto, pridie nonas Junias, pontificatus nostri anno primo.

✠ Ego Benedictus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

✠

✠

✠ *Ego Franciscus Episcopus Prænestinus Cardinalis Barberinus.*

✠

✠ *Ego Petrus Episcopus Sabinensis Cardinalis Otthobonus S. R. E. Vicecancellarius.*

✠ *Ego Laurentius Episcopus Tusculanus Cardinalis Corsinus.*

✠

✠ *Ego Joseph Tituli sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis Sacripantes.*

✠

✠ *Ego Thomas Tituli sanctæ Mariæ Transtiberim Presbyter Cardinalis Rufus.*

✠ *Ego Philippus Antonius Tituli sanctæ Cæciliæ Presbyter Cardinalis Gualterius.*

✠

✠

✠

✠ *Ego Annibal Tituli sancti Clementis Presbyter Cardinalis sancti Clementis Albanus S. R. E. Camerarius.*

✠ *Ego Ludovicus Tituli sancti Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Picus de Mirandula.*

✠ *Ego Johannes Antonius Tituli sancti Calixti Præsbyter Cardinalis de Via.*

✠

✠ *Ego Antonius Felix Tituli sanctæ Balbinæ Presbyter Cardinalis Zondadarius.*

✠

✠ *Ego Petrus Marcellinus Tituli sancti Johannis ante Portam Latinam Presbyter Cardinalis Corradinus.*

✠

✠

✠

✠ *Ego Melchior Tituli sanctæ Mariæ Angelorum Presbyter Cardinalis de Polignac.*

✠

✠

✠

✠

✠ *Ego*

CONSTIT. CVI. A. D. 1724.

✠ *Ego Bernardinus Tituli sancti Petri in Monte aureo Presbyter Cardinalis Scottus.*

✠

✠

✠ *Ego Nicolaus Tituli sanctorum Nerei & Achillei Presbyter Cardinalis Spinula.*

✠

✠

✠

✠ *Ego Georgius Tituli sanctae Agnetis Presbyter Cardinalis Spinula*

✠

✠

✠

✠ *Ego Ludovicus Tituli sanctae Priscae Presbyter Cardinalis Belluga & Moncada.*

✠ *Ego Joseph Tituli sanctae Susannae Presbyter Cardinalis Pereyra de la Cerda.*

✠

✠ *Ego Johannes Baptista Tituli sancti Stephani in Monte Caelio Presbyter Cardinalis Salernus.*

✠

✠ *Ego Alvarus Tituli sancti Bartholomaei in Insula Presbyter Cardinalis Cienfuegos.*

✠

✠ *Ego Johannes Baptista Tituli sancti Matthaei in Merulana Presbyter Cardinalis de Alteriis.*

✠ *Ego Vincentius Tituli sancti Onuphrii Presbyter Cardinalis Petra.*

✠ *Ego Prosper Tituli sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis Marifuscus.*

✠

✠ *Ego Nicolaus Tituli sanctae Mariae in Domnica Presbyter Cardinalis Coscia.*

✠

✠

✠

✠

✠ *Ego Benedictus sanctae Mariae in Via lata Diaconus Cardinalis Pamphilius.*

✠ *Ego Joseph Renatus sancti Georgii in Velabro Diaconus Cardinalis Imperialis.*

✠ *Ego Laurentius sanctae Agathae ad Montes Diaconus Cardinalis de Alteriis.*

✠ *Ego Carolus sancti Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Columna.*

✠ *Ego Curtius sancti Eustachii Diaconus Cardinalis Origus.*

✠ *Ego Fabius sanctorum Viti & Modesti Diaconus Cardinalis de Abbatibus Oliverius.*

✠ *Ego Carolus sanctae Mariae in Aquiro Diaconus Cardinalis de Marinis.*

✠ *Ego Julius sancti Hadriani Diaconus Cardinalis Alberonus.*
✠ *Ego Alexander sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis Albanus.*
✠ *Ego Alexander sanctæ Mariæ de Scala Diaconus Cardinalis Falconerius.*
✠
✠
✠
✠

P. Cardinalis Prodatarius.

F. Cardinalis Oliverius.

V I S A

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

L. Martinettus.

Registrata in Secretaria Brevium.

N O T A.

Fratres Minores, qui *Cappuccini* appellantur, *quatuor* varias *Sedes* Romæ hactenus incoluerunt.

Primam, favente celeberrima femina Victoria Columna Piscariæ Marchionissa, A. D. 1529. habuerunt ad portam Flaminiam cum ædicula sanctæ Mariæ miraculorum.

Secundam, ob Tiberim exundantem inde migrare jussi, sub Exquiliis habuerunt in vico patricio cum æde olim sanctæ Euphemiæ, ubi noster sanctus *Felix* pleram que vitam suam duxit.

Tertiam, ad radices Quirinalis, ubi nos, munificentia summi optimique Pontificis BENEDICTI XIII. hæc scribimus. Etenim *Cappuccinorum* domos pontificii comitatus familia jam tenet. Hoc plane loco A. D. 1575. cuipiam sancti Nicolai ædiculæ alia in honorem sancti Bonaventuræ suffecta est, quæ iisdem *Cappuccinis*, huc ex vico patricio translatis, cum cœnobio adsignata, titulo sanctæ *Crucis* jam est nationis Lucensis. Loco ipsi propterea nomen est, *Cappuccini veteres*, ubi perennis aquæ fons manat, sancti *Felicis* nuncupatæ, qua quidem nos sæpissime utimur.

Quartam demum, stabilemque mansionem, quam Cappuccini nunc habent ad sinistrum latus montis Pincii sub hortis Ludovisiis, olim Sallustianis, & supra forum, Barberinum dictum, illis exstruxit eorum ordinis Frater, Antonius Cardinalis Barberinus, senior Urbani VIII. Pont. Max. germanus. Istic quiescit corpus sancti *Felicis*, ipsaque ejus cellula illuc tota transvecta est. De his aliisque ad hæc & sanctum *Felicem* attinentibus, vide Floravantem Martinellum in Roma sacra pag. 221. 356. & omnino tomum IV. Aprilis Bollandiani pag. 203.

IDEM

C V I I.

CONSTIT. CVII. A. D. 1724.

IDEM

BENEDICTUS . XIII

BEATAM CATHARINAM a Bononia in Æmilia, ordinis Sororum, quæ Clarissæ appellantur, per Clementem XI. Pont. Max. Sanctarum virginum canoni adscriptam fuisse promulgat. Obiit Catharina die XIII. Martii A. D. 1463.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Rationi congruit & convenit æquitati, ut quæ Romanus Pontifex in plenario conventu venerabilium fratrum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum, unanimi eorum consilio communicato, sanxit & definivit, licet postea ob ejusdem Pontificis obitum literæ Apostolicæ de his conscriptæ non fuerint, suum tandem consequantur effectum. CONST. CVII. A. D. 1724.

Jampridem piæ memoriæ antecessor noster Clemens Papa XI. rem Apostolatu suo maxime dignam reputans, Dei famulis, olim Christianarum virtutum perfectione excellentibus, summos honores in catholica Ecclesia decernere, post intellectam sacræ Deo Virginis beatæ Catharinæ a Bononia, ordinis Minorum beati Francisci, quæ Clarissæ appellantur, præclaram & laudabilem vitam, insignium quoque miraculorum serie illustratam, quæ, in Sanctis suis mirabilis Deus, per ejusdem suæ Virginis merita operari voluerat, justum & summe decens existimavit, Dei electam ancillam, ut vere sanctam, in militanti Ecclesia, secundum receptos Ecclesiæ Romanæ ritus, auctoritate sibi divinitus tradita, honorandam sancire, ejusque virtutes, tamquam eximias & præcellentes, omnibus christianis imitandas proponere, ut ad summi Dei cultum ipsius exemplo se componentes, in necessitatibus patronam & deprecatricem apud Dominum habere mererentur,

Anno Christi Domini millesimo quadringentesimo decimo tertio, sexto idus Septembres, Bononiæ, primaria beati Petri atque Italiæ civitate, unde huic sacræ Virgini cognomen adhæsit, ex patre Ferrariensi, & matre Bononiensi, non sine prodigiis, futuram ejus sanctitatem

CONSTIT. CVII. A.D. 1724.

præmonstrantibus, Catharina orta est. Ex Margaritæ Atestinæ aula, ubi triennium vixerat, ætatis suæ anno decimo quarto Ferrariæ in monasterium Corporis Christi sub regula ordinis Minorum beati Francisci, quæ Clarissæ appellantur, cœlesti sponso ancillatura, confugit, ubi omnium rerum humanarum, ut uni Deo vacaret, cogitatione deposita, ex humani generis hoste, orationis & divinæ gratiæ clypeo munita, victrix semper evasit; immo ipsa, alias latine docta, artem de eo triumphandi Italice exposuit, libro *de septem spiritualibus armis* inscripto, quem humilitatis instinctu ab se igni traditum, mox novo Dei monitu iterum literis consignavit. Tam caram vitæ innocentia se superis reddidit, ut Deus, qui arcana cœlestia ei non semel patere voluit, eam pariter sibi uni propria scientia futurorum, instruxerit, qua præ ceteris, patriæ suæ de hoste victorias, & Orientalis Imperii ob Græcorum impietatem & schisma, funestam cladem prænunciavit.

Piæ Virginis fama longe lateque diffusa, patriæque oratoribus coloniam Sororum ejus sibi concedi flagitantibus, novum suæ regulæ monasterium excitatura, Bononiam, natale solum, ire jubetur. Ad Ferrariensium turbas, discessum ejusmodi ægre ferentium, vitandas, iter cum oratoribus, sacrisque beati Francisci alumnis, noctu dispositum est. Catharina autem, uti erat viribus fracta, alienis brachiis, instar cadaveris, extra monasterium educta, mox ita convaluit, ut currum, quo ad flumen Rhenum perducta est, sola & nullius opis indiga adscenderit. Bessarionem basilicæ XII. Apostolorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyterum Cardinalem, Bononiæ pro Apostolica Sede Legatum, & Philippum civitatis Episcopum, pariterque sanctæ Romanæ Ecclesiæ Tituli sancti Laurentii in Lucina Presbyterum Cardinalem, Calandrinum nuncupatum, nedum patrium Senatum, magnamque civium frequentiam, Catharina & reliquæ ei comites traditæ sacræ Virgines, obvios habuerunt. Earum Collegii, postmodum absoluti, Dei jussu præfecturam suscepit, sociasque vere sanctarum Virginum chorum suæ pietatis exemplo constituit.

Jam per annos duodeviginti variis & multis ægritudinibus, vitæque incommodis Bononiensem Virginem, nihil omittentem, quod munus suum spectare videretur, Dominus exercuerat, quum eam, quibusvis cruciatibus alacriter pro Deo tolerandis paratam, lethalis morbus invasit. Tunc pro caritatis æstu, quo summe flagrabat, nihil prius habuit, quam, ut sororibus suis, quasi ultimum vale dictura, æternæ salutis monita patefaceret, maximaque religione susceptis Ecclesiæ sacramentis, se, quod tamdiu anhelaverat, in divini sponsi occursum ituram disposuit. Sed toto virginum cœtu Deum exorante, ne filias mærore confectas tantæ matris solatio viduaret, Catharina mentis excessum passa e lectulo incolumis surgit, consuetoque præfecturæ muneri, ut antea, obeundo, sollicitam operam navat, anno quo supervixit, diu, noctuque christianis virtutibus toto pectore excolendis, unisque cœlestibus, ad quæ non sine lacrymis adspirabat, meditandis intenta.

Majoris hebdomadæ tempus advenerat, quum de more ablutis sororum pedibus, semel atque iterum vehementibus & aptissimis verbis eas ad amorem crucis hortatur, resolutionis suæ tempus instare vaticinata. Hoc tamen a sororibus non statim animadversum, Catharina hilari vultu vicinam mortem non indicante. Sed vitæ suæ cursum

cursum se consummasse dicenti, nuncius proximæ discessionis erupit. Mox acerbis doloribus correpta, decubuit, quibus forti animo toleratis, sumtisque miro pietatis studio sacramentis, atque oculis in Crucifixi imaginem sæpe conversis, piissimos hymnos ab se compositos recitavit. Sorori vices suas post dormitionem obituræ ceteras pias virgines intimo animi sensu commendavit, deque cœlestibus & christianis rebus eas allocuta, post dulcem sanctissimi nominis Jesu iteratam invocationem, spiritum Deo reddidit tertio idus Martias, anno salutis millesimo quadringentesimo sexagesimo tertio, ætatis suæ quinquagesimo.

Defuncta longe pulchrior, quam viva, adolescentulam plane dormientem referre visa est. Post ejus animam in cœlum receptam, & corpusculi depositionem, multis illius patrocinio, apud Deum se commendantibus, quum duodeviginti dies effluxissent, incorruptum & suavem spirans odorem sepulcro eruitur, septemque dierum spacio omnium undique confluentium oculis exponitur: quod sedens instar viventis hactenus magno cum honore ibidem colitur. Felicis recordationis antecessor noster Clemens Papa VII. annos septem & sexaginta a Catharinæ decessu, sacri corporis incorruptionem, manu tractabilem, coram miratus, monasterii Sororibus facultatem indulsit, quotannis Catharinæ anniversario obitus die recurrente sacras preces in ejus honorem ritu ecclesiastico recitandi; tum diebus singulis inter horas canonicas ejusdem nomen commemorandi. Indulgentiam quoque iis concessit, qui pœnitentiæ & eucharistiæ sacramentis pie susceptis, sacram ædem, ubi Virgo Dei requiescit, annuo festo ejus inviserent. Postmodum ad sacras quoque Ferrarienses Virgines earumdem precum recitandarum facultas extensa est; tum missa propria ad ejus honorem in Ecclesiis sanctimonialium utriusque civitatis, sacerdotibus, qui eis essent a sacris confessionibus, Apostolica largitate permissa. Crescente Dei ancillæ virtutum & meritorum fama, inclytæ memoriæ antecessor noster Clemens Papa VIII. nomen ejus in sacras tabulas Martyrologii Romani referendum curavit. Postea sedente alio decessore nostro felicis memoriæ Innocentio Papa X. ad alterius decessoris Urbani Papæ VIII. decretorum normam, de Catharina in sanctarum Virginum canonem referenda actum, deque omnium ejus virtutum perfectione in gradu summo plene constare, decretum est. Hoc felicis quoque memoriæ Innocentius Papa XI. antecessor noster confirmavit, novaque miracula, quibus post permissam ab Apostolica Sede ancillæ suæ venerationem Deus sanctitatem ejus patefecerat, auctoritate sua pariter comprobavit.

Hinc tandem factum, ut idem piæ memoriæ Clemens Papa XI. universis, quæ ex sanctæ Romanæ Ecclesiæ disciplina & ritu, decessorumque nostrorum Pontificum Romanorum constitutionibus Apostolicis, sacrisque canonibus, in Catharinæ eximiis virtutibus & miraculis examinandis & comprobandis servanda erant, sancte servatis, magnæ solemnitatis diem Dominicam, sanctissimæ Trinitati sacram, undecimo Kalendas Junias anni Dominicæ incarnationis millesimi septingentesimi duodecimi, sui pontificatus duodecimi, futuram indixerit, qua Catharinam Sanctarum virginum canoni adscriberet: quod Reges, Principes, virique insignes ecclesiastici & sæculares plurimis & urgentissimis precibus ab Apostolica Sede antea flagitaverant. Clemens ergo indicta die in beatorum Apostolorum Petri & Pauli basilicam magno

appa-

CONSTIT. CVII.

A. D. 1724.

apparatu descendit: ubi in plenario sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum conventu repetitis pro beata Catharina in Sanctarum Virginum canonem referenda humillimis ad Deum precibus, sanctique Spiritus gratia enixe invocata, ad honorem sanctissimæ & individuæ Trinitatis, fideique catholicæ amplificationem, auctoritate omnipotentis Dei, Patris, Filii & Spiritus sancti, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum, totius ejusdem conventu consilio, unanimique consensu beatæ memoriæ Catharinam a Bononia, de cujus sanctitate, virtutumque ac prodigiorum magnitudine plene constiterat, una cum confessore & pontifice Pio Papa V. ceterisque confessoribus non pontificibus, Andrea Avellino, & Felice a Cantalicio Sanctam pronunciavit, inque Sanctarum Virginum non martyrum canonem referendam esse decrevit, eamdemque a cunctis Christifidelibus, tamquam vere Sanctam, colendam, honorandam, invocandamque definivit; in ejus honorem sacras ædes & altaria, in quibus incruentum sacrificium Deo offeratur, construi & dicari posse; & quotannis septimo idus Martias, qua ad cœlestem patriam evolavit, ejus memoriam, ut sanctæ Virginis, pie recoli sancivit.

Postremo gratiis Deo cum exultatione actis, quod Sanctam Virginem cum ceteris confessoribus in conspectu omnium gentium honorificasset, tamque insigni gloria Ecclesiam suam decorari voluisset, in ejusdem Virginis, sanctorumque confessorum laudem solemni oratione cantata in ara maxima supra confessionem beati Petri Apostolorum principis, cum eorumdem Sanctorum commemoratione missæ sacrificium celebravit, singulisque catholicis, qui aderant, plenariam peccatorum indulgentiam & remissionem largitus est.

Ne vero de hujusmodi definitione & sanctione Apostolica, ceterisque præmissis, propterea quod super illis ab eodem Clemente, aut ab ejus successore felicis memoriæ Innocentio XIII. decessoribus nostris literæ decretales conscriptæ non fuerint, unquam possit imposterum quomodolibet hæsitari; nos, qui utrique, disponente Domino, licet immeriti, in cathedra beati Petri successimus, volumus, & Apostolica auctoritate statuimus, ut decretum, definitio, sanctio, adscriptio, relatio, concessio, ceteraque hactenus recensita, a jam dicto die undecimo Kalendas Junias anni millesimi septingentesimi duodecimi suum consequantur effectum, ac si super illis ab eodem Clemente revera literæ decretales eadem die conscriptæ fuissent, ut superius enarratur.

Volumus autem, ut præsentes literæ ad probandum decretum, definitionem, sanctionem, adscriptionem, relationem, statutum, concessionem, ceteraque præmissa undequaque sufficiant, neque alterius cujuscumque probationis adminiculum ad id amplius requiratur.

Præterea quia difficile foret, has nostras ad singula loca, ad quæ opus esset, adferri, volumus, ut earumdem exempla, etiam typis impressa, manu publici notarii subscripta, sigilloque alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munita eamdem ubique fidem obtineant, quam hæ nostræ obtinerent, sicubi eas exhiberi, vel ostendi contingeret.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, definitionis, sanctionis, adscriptionis, relationis, statuti, & concessionis infrin-

infringere, aut ei temerario ausu contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. CONSTIT. CVII. A. D. 1724.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vicesimo quarto, pridie nonas Junias, pontificatus nostri anno primo.

✠ Ego Benedictus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

✠

✠

✠ *Ego Franciscus Episcopus Prænestinus Cardinalis Barberinus.*

✠

✠ *Ego Petrus Episcopus Sabinensis Cardinalis Otthobonus S. R. E. Vicecancellarius.*

✠ *Ego Laurentius Episcopus Tusculanus Cardinalis Corsinus.*

✠

✠ *Ego Joseph Tituli sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis Sacripantes.*

✠

✠ *Ego Thomas Tituli sanctæ Mariæ Transtiberim Presbyter Cardinalis Rufus.*

✠ *Ego Philippus Antonius Tituli sanctæ Cæciliæ Presbyter Cardinalis Gualterius.*

✠

✠

✠

✠ *Ego Annibal Tituli sancti Clementis Presbyter Cardinalis sancti Clementis Albanus S. R. E. Camerarius.*

✠ *Ego Ludovicus Tituli sancti Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Picus de Mirandula.*

✠ *Ego Johannes Antonius Tituli sancti Calixti Præsbyter Cardinalis de Via.*

✠

✠ *Ego Antonius Felix Tituli sanctæ Balbinæ Presbyter Cardinalis Zondadarius.*

✠

✠ *Ego Petrus Marcellinus Tituli sancti Johannis ante Portam Latinam Presbyter Cardinalis Corradinus.*

✠

✠

✠

✠ *Ego Melchior Tituli sanctæ Mariæ Angelorum Presbyter Cardinalis de Polignac.*

✠

✠

✠

✠

✠ *Ego*

refugiens, Americanos populos pastorali officio recturus, divino consilio vocatus est, quo se vir Dei supremo nutu trahi sentiens, per ingentes difficultates & vitæ pericula invicto animo properavit. Limanam gentem moribus fœde corruptam, variisque superstitionibus turpiter inquinatam, ad Christianam pietatem alacriter excolendam summo studio traducere contendit, rebusque Ecclesiæ Limanæ dispositis, diœcesim & sacram provinciam nudis pedibus totam lustravit, unde factum, ut incredibilis Thuribii caritas vitia & mutua odia, quæ passim dominabantur, ex animis suæ plebis prorsus evelleret. Tum vir Dei probe gnarus, nihil aptius ad disciplinam & Evangelii semina, quæ bonum fructum redderent, in agro Dominico seminanda, quam sacra Synodorum statuta reperiri, mox ad presbyterorum & confratrum Episcoporum diœcesana & provincialia Concilia identidem celebranda omnem suam sollicitudinem vertit, quæ hujus etiam Sedis Apostolicæ munimine roborata, multa & probatissima habuit. Tum sacris viris & virginibus, pauperibus & infirmis præsenti ope consuluit, sibi ipsi pernecessaria in eorum usum impendens, unde christianitas illarum partium, Deo favente, mirifice aucta est, ita ut ad nongentos & eo amplius mille fideles salutari fonte renatos ipse unus per manus impositionem chrismatis sacramento confirmaverit. His ancilla Dei Rosa ex nostro ordine Prædicatorum adnumeratur, quam postea signis æque, ac virtutibus claram, felicis recordationis antecessor noster Clemens Papa X. in sanctarum virginum canonem retulit.

CONSTIT. CVIII. A. D. 1726.

Interea Limanus pontifex ad sui gregis salutem impigre incumbens, diœcesim de more perlustrans, in opido Sannæ lethali morbo corripitur, quo ingravescente, sanctissimæ Eucharistiæ & extremæ Unctionis sacramentis probe munitus, fide & spe in Deum summe lætus, hilari vultu proximæ resolutionis suæ nuncium accepit, atque ingeminatis Davidicis verbis, *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi*, spiritum Deo commendans, sanctissimam efflavit animam decimo Kalendas Apriles anno Christi Domini millesimo sexcentesimo sexto, ætatis duodeseptuagesimo, Archiepiscopatus vicesimo quinto. Thuribii animæ in cœlum receptæ mirabilis Deus signis quamplurimis sanctitatem patefecit, Limæ præsertim, quo sacræ ejus exuviæ, prodigiis eas comitantibus advectæ fuerunt. Quare eximiis servi Dei virtutibus per plura miracula comprobatis, piæ memoriæ antecessor noster Innocentius Papa XI. nono Kalendas Julias anno Christi Domini millesimo sexcentesimo septuagesimo nono Thuribium beatis adscripsit, in ejus honorem sacris precibus & missæ sacrificio celebrari permissis; annoque insequenti in tabulas Martyrologii Romani cum beatis relatus est. Postmodum per nos ipsos, novis miraculis post ejus beatificationem patratis, æque discussis, inque tribus consistoriis & plenario conventu venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, atque etiam Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum, nobiscum Romæ præsentium, site perpensis, unanimi eorumdem sententia per Sedis Apostolicæ notarios coram nobis excepta, Regumque ac Principum Christianorum, ac cleri, populique Limani precibus pro beato Thuribio in sanctorum confessorum pontificum canonem referendo Apostolicæ Sedi porrectis, post tantæ rei perficiendæ solemnem diem indictam, perque orationes, jejunia & eleemosynas omnipotentis Dei opem ferventissime imploratam, demum universis, quæ ex antecessorum nostrorum Romanorum Pontificum constitutionibus,

CONSTIT. CVIII. A. D. 1726.

& sanctæ Romanæ Ecclesiæ disciplina peragenda erant, omni religione peractis, hac die in honorem antecessoris nostri Pontificis & Martyris Melchiadis Deo sacra, qua etiam incarnati Verbi mysterium in annua translationis Almæ domus Lauretanæ memoria recolitur, una cum iisdem venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, ac utriusque cleri & populi frequentia, in sacrosanctam basilicam principis Apostolorum Deo supplicantes convenimus, ubi semel, iterum & tertio pro viro Dei in Sanctorum confessorum pontificum canonem referendo precibus repetitis per venerabilem fratrem nostrum Franciscum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Episcopum Cardinalem Ostiensem, Barberinum nuncupatum, post decantatas sacras orationes & Spiritus sancti gratiam humillime imploratam, ad honorem sanctissimæ & individuæ Trinitatis, fidei catholicæ exaltationem, & Christianæ religionis incrementum, auctoritate omnipotentis Dei, Patris, Filii & Spiritus Sancti, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra, de eorumdem venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum nobiscum in plenario conventu basilicæ Vaticanæ præsentium, consilio & unanimi consensu, beatum Thuribium Limanæ Sedis Archiepiscopum, de cujus sanctitate, fidei sinceritate, & ceterarum virtutum ac miraculorum excellentia plene constabat & constat, una cum beatis Jacobo a Marchia confessore ordinis Minorum, & Agnete Politiana, Virgine nostri ordinis Prædicatorum, sanctum esse definivimus, Sanctorum confessorum pontificum canoni adscribendum decrevimus & adscripsimus, eumdemque per universos Christifideles, tanquam vere Sanctum, honorari mandavimus & mandamus, statuentes, ut ab universa Ecclesia in ejus honorem ædes sacræ & altaria, in quibus incruentum sacrificium Deo offeratur, ædificari & consecrari; & quotannis quinto Kalendas Majas, quo ejus exuviæ Limam translatæ sunt, Thuribii Limani festa solemnia, ut sancti confessoris & pontificis, celebrari possint.

Insuper eadem auctoritate omnibus Christifidelibus vere pœnitentibus & confessis, qui eodem die festo in memoriam beati Thuribii ad ejus exuvias visitandas accesserint, annum & quadragenam; iis vero, qui in octava ejusdem festi, quadraginta dies de injunctis seu quomodolibet eis debitis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxavimus & relaxamus.

Postremo gratiis Deo actis, quod Ecclesiam suam insigni hoc, novoque luminari illustrare dignatus fuisset, cantata in honorem sanctorum Thuribii, Jacobi a Marchia & Agnetis Politianæ solemni oratione, in ara Principis Apostolorum sacrosanctum missæ sacrificium celebravimus cum ejusdem confessoris pontificis, & ceterorum commemoratione, omnibusque Christifidelibus, tunc præsentibus, plenariam peccatorum indulgentiam concessimus.

Decet igitur, ut pro tam peculiari insignique beneficio cœlitus nobis concesso, omnes benedicamus & glorificemus in trinis personis unum Deum, omnium bonorum auctorem, cui est honor & gloria in sæcula, assiduis precibus ab eo postulantes, ut per intercessionem electi sui Thuribii, a peccatis nostris indignationem suam avertens, ostendat nobis faciem misericordiæ suæ, immittatque timorem sui super gentes, quæ non cognoverunt eum, ut tandem cognoscant, quia non est alius Deus, nisi Deus noster.

Cete-

Ceterum quia difficile foret, præsentes nostras literas ad singula loca, ad quæ opus esset, adferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ definitionis, decreti, adscriptionis, relationis, mandati, statuti, relaxationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vicesimo sexto, quarto idus Decembres, pontificatus nostri anno primo.

✠ Ego Benedictus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

✠

✠ *Ego Franciscus Episcopus Ostiensis Cardinalis Barberinus.*

✠

✠ *Ego Petrus Episcopus Sabinensis Cardinalis Otthobonus S. R. E. Vicecancellarius.*

✠ *Ego Laurentius Episcopus Tusculanus Cardinalis Corsinus.*

✠

✠

✠ *Ego Joseph Renatus Tituli sancti Georgii in Velabro Presbyter Cardinalis Imperialis.*

✠

✠ *Ego Philippus Antonius Tituli sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis Gualterius.*

✠

✠

✠

✠

✠

✠ *Ego Annibal Tituli sancti Clementis Presbyter Cardinalis sancti Clementis Albanus S. R. E. Camerarius.*

✠ *Ego Ludovicus Tituli sancti Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Picus de Mirandula.*

✠ *Ego Antonius Felix Tituli sancti Calixti Presbyter Cardinalis Zondadarius.*

✠

✠ *Ego Petrus Marcellinus Tituli sancti Johannis ante Portam Latinam Presbyter Cardinalis Corradinus.*

✠

✠

✠ *Ego Curtius Tituli sancti Eustachii Presbyter Cardinalis Origus.*

✠ *Ego Melchior Tituli sanctæ Mariæ Angelorum Presbyter Cardinalis de Polignac.*

✠ *Ego*

nus sexto Kalendas Decembres anno millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto Neapoli in Campania obdormivit in Domino, perplura miracula, nutu divino per eum patrata, sacris illius exuviis in æde sanctæ Mariæ novæ corruptionis expertibus ac suavi & perenni odore persusis, undequaque inclytum reddiderunt: quas quidem exuvias nos ipsi, adhuc in minoribus constituti, hisce manibus contrectantes, carissimo in Christo filio nostro Philippo V. Hispaniarum Regi Catholico venerandas ostendimus. Hinc factum, ut Carolo V. Romanorum Imperatore apud felicis memoriæ antecessorem nostrum Clementem Papam VII. flagitante, de Jacobo inter Sanctos referendo actum fuerit, atque iterum Philippo III. Hispaniarum Rege Catholico adnitente apud similis memoriæ decessores nostros Paulum V. & Urbanum VIII. qui Jacobi virtutibus & miraculis comprobatis, officium de eo recitare, missamque in ejus honorem, universo ordini Fratrum Minorum, ac toti civitati & diœcesi Neapolitanæ, cujus patronus electus fuerat, decreto Apostolico celebrare permisit.

Deinde novis miraculis post Jacobi beatificationem per venerabiles fratres nostros sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales coram nobis in examen adductis, decessorumque nostrorum constitutionibus respondere omnino repertis, inque tribus consistoriis & plenario conventu eorumdem venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, atque etiam Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum nobiscum Romæ præsentium rite perpensis, unanimi eorumdem sententia per Sedis Apostolicæ Notarios coram nobis excepta, quum pro beato Jacobo, Sanctorum confessorum fastis adnumerando, Regum & Principum Christianorum supplicationibus sanctæ Apostolicæ Sedi porrectis, etiam ordo Fratrum Minorum cum Neapolitana & Asculana civitatibus suas adjunxissent, solemni cæremoniæ & maximo ritui de more complendis die indicta, perque orationes, jejunia & eleemosynas, ope omnipotentis Dei ferventissime implorata, ac universis, quæ ex sanctæ Romanæ Ecclesiæ disciplina peragenda erant, religiose peractis, tandem hac die in honorem antecessoris nostri Pontificis & Martyris Melchiadis Deo sacra, qua etiam incarnati Verbi mysterium in annua translationis Almæ domus Lauretanæ memoria recolitur, nos ipsi una cum iisdem venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, ac utriusque cleri & populi frequentia in sacrosanctam basilicam principis Apostolorum Deo supplicantes convenimus, ubi semel, iterum & tertio pro viro Dei Jacobo a Marchia in Sanctorum confessorum canonem referendo, per venerabilem fratrem nostrum Franciscum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Episcopum Cardinalem Ostiensem, Barberinum nuncupatum; repetitis precibus, post cantatas de more orationes, & Spiritus sancti gratiam humillime invocatam, ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, fidei catholicæ exaltationem, & Christianæ religionis incrementum, auctoritate omnipotentis Dei, Patris, Filii & Spiritus sancti, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra, de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum, nobiscum in plenario conventu basilicæ Vaticanæ præsentium consilio & unanimi consensu, beatum Jacobum a Marchia ordinis Fratrum Minorum, de cujus sanctitate, fidei sinceritate & ceterarum virtu-

CONSTIT. CIX. A. D. 1726.

tum ac miraculorum excellentia plane constabat & constat, unà cum beatis Thuribio Archiepiscopo Limano confessore pontifice, & Agnete Politiana Virgine nostri ordinis Prædicatorum, Sanctum esse definivimus, Sanctorum confessorum non pontificum canoni adscribendum decrevimus, prout præsentium tenore definimus, decernimus & adscribimus, eumdemque per omnes Christifideles, tamquam vere Sanctum, honorari mandavimus & mandamus, statuentes, ut ab Ecclesia universali in ejus honorem ædes sacræ & altaria, in quibus incruentum sacrificium Deo offeratur, ædificari & consecrari; & quotannis quarto Kalendas Decembres, quo die ad cœlestem patriam evolavit, ejus festa solemnia, ut sancti confessoris non pontificis, celebrari possit.

Insuper eadem auctoritate, omnibus Christifidelibus vere pœnitentibus & confessis, qui eodem die festo in memoriam beati Jacobi a Marchia, quotannis ad ejus exuvias visitandas accesserint, annum & quadragenam; iis vero, qui in octava ejusdem festi, quadraginta dies de injunctis, seu quomodolibet eis debitis pœnitentiis, misericorditer in Domino relaxavimus & relaxamus.

Postremo gratiis Deo actis, quod Ecclesiam suam insigni hoc novoque luminari illustrare dignatus fuisset, cantata in honorem sanctorum Jacobi a Marchia, Thuribii Archiepiscopi Limani, & Agnetis Politianæ solemni oratione, in ara maxima supra confessionem principis Apostolorum sacrosanctum missæ sacrificium, cum ejusdem confessoris & ceterorum commemoratione, omnibusque Christifidelibus tunc præsentibus plenariam omnium peccatorum indulgentiam concessimus.

Decet igitur, ut pro tam peculiari insignique beneficio cœlitus nobis concesso omnes benedicamus & glorificemus Deum Patrem, bonorum omnium auctorem, cui est honor & gloria in sæcula, assiduis precibus ab eo postulantes, ut per intercessionem electi sui Jacobi a Marchia, a peccatis nostris indignationem suam avertens ostendat nobis faciem misericordiæ suæ, immittatque timorem sui super gentes, quæ non cognoverunt eum, ut tandem cognoscant, quia non est alius Deus, nisi Deus noster.

Ceterum quia difficile foret, præsentes nostras literas, ad singula loca, ad quæ opus esset, adferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ definitionis, decreti, adscriptionis, relationis, mandati, statuti, relaxationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vicesimo sexto, quarto idus Decembres, pontificatus nostri anno primo.

✠ Ego Benedictus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

✠ *Ego Franciscus Episcopus Ostiensis Cardinalis Barberinus.*

✠ *Ego*

✠ *Ego Petrus Episcopus Sabinensis Cardinalis Ottobonus S. R. E. Vicecancellarius.*
✠ *Ego Laurentius Episcopus Tusculanus Cardinalis Corsinus.*
✠
✠
✠ *Ego Joseph Renatus Tituli sancti Georgii in Velabro Presbyter Cardinalis Imperialis.*
✠
✠ *Ego Philippus Antonius Tituli sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis Gualterius.*
✠
✠
✠
✠
✠
✠ *Ego Annibal Tituli sancti Clementis Presbyter Cardinalis sancti Clementis Albanus S. R. E. Camerarius.*
✠ *Ego Ludovicus Tituli sancti Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Picus de Mirandula.*
✠ *Ego Johannes Antonius Tituli sancti Calixti Presbyter Cardinalis de Via.*
✠
✠ *Ego Antonius Felix Tituli sanctæ Balbinæ Presbyter Cardinalis Zondadarius.*
✠
✠ *Ego Petrus Marcellinus Tituli sancti Johannis ante Portam Latinam Presbyter Cardinalis Corradinus.*
✠
✠
✠ *Ego Curtius Tituli sancti Eustachii Presbyter Cardinalis Origus.*
✠ *Ego Melchior Tituli sanctæ Mariæ Angelorum Presbyter Cardinalis de Polignac.*
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠ *Ego Nicolaus Tituli sanctorum Nerei & Achillei Presbyter Cardinalis Spinula.*
✠
✠
✠
✠
✠ *Ego Georgius Tituli sanctæ Agnetis Presbyter Cardinalis Spinula.*
✠ *Ego Cornelius Tituli sancti Hieronymi Illyricorum Presbyter Cardinalis Bentivolus de Aragonia.*
✠
✠
✠ *Ego Ludovicus Tituli sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis Belluga & Moncada.*
✠ *Ego Joseph Tituli sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis Pereyra de la Cerda.*

CONSTIT. CIX. A. 1728.

✠ *Ego Alvarus Tituli sancti Bartholomaei in Insula Presbyter Cardinalis Cienfuegos.*

✠ *Ego Bernardus Maria Tituli sancti Bernardi ad Thermas Presbyter Cardinalis de Comitibus, major Poenitentiarius.*

✠ *Ego Johannes Baptista Tituli sancti Matthaei in Merulana Presbyter Cardinalis de Alteriis.*

✠ *Ego Vincentius Tituli sancti Onuphrii Presbyter Cardinalis Petra.*

✠ *Ego Prosper Tituli sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis Marifuscus.*

✠ *Ego Fr. Augustinus Tituli sancti Xysti Presbyter Cardinalis Pipia.*

✠

✠

✠ *Ego Nicolaus Maria S. R. E. Presbyter Cardinalis Lercarius.*

✠ *Ego Frater Laurentius S. R. E. Presbyter Cardinalis Cozza.*

✠

✠ *Ego Benedictus sanctae Mariae in Via lata Diaconus Cardinalis Pamphilius.*

✠ *Ego Laurentius sanctae Agathae ad Montes Diaconus Cardinalis de Alteriis.*

✠ *Ego Carolus sancti Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Columna.*

✠

✠

✠

✠ *Ego Julius sancti Hadriani Diaconus Cardinalis Alberonus.*

✠ *Ego Alexander sanctae Mariae in Cosmedin Diaconus Cardinalis Albanus.*

✠ *Ego Alexander sanctae Mariae de Scala Diaconus Cardinalis Falconerius.*

✠ *Ego Nicolaus S. Mariae ad Martyres Diaconus Cardinalis Judice.*

✠

✠

✠

✠

P. Cardinalis Prodatarius.

Pro D. Cardinali Oliverio.

C. Archiepiscopus Emissenus.

V I S A

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

L. Martinettus.

Registrata in Secretaria Brevium.

N O T A.

Sancti Jacobi Piceni a monte Brandonis, agri Asculani oppidi, institutum, plurimosque pro Fide catholica exantlatos labores Constitutio carptim ob oculos ponit: quae omnia seorsum fuse narrat VVaddingus in tomis v. vi. & vii. Annalium, & Raynaldus etiam in suis. Inter varia Jacobi opera, a VVaddingo recensita in Scriptoribus Minorum pag. 184. ei falso tribuitur *Dialogus contra Fraticellos, de opinione* appellatos. Hic *Dialogus* sub venerandae memoriae summo Pontifice Clemente XI. in examen adductus fuit, deque eo sententiam meam proferre jussus, ego eam semel atque iterum literis consignavi, multis invictisque argumentis ostendens, *Dialogum* illum nullo jure tribui beato Jacobo a Marchia. Duplex hac de re dissertatio, literis consignata, inde a sanctissimo Domino nostro BENEDICTO XIII. perlectum, ipsi ac purpuratis Patribus Congregationis sacrorum rituum, aeque probatum est, idemque Dialogus Jacobo una voce abjudicatus.

IDEM

CONSTIT. CX. A. D. 1726.

C X.

IDEM

BENEDICTUS . XIII

Sanctarum virginum canoni adscribit Beatam Agnetem a monte Politiano in Tuscia , Sororem ordinis Prædicatorum , quæ obiit die xx. Aprilis A. D. 1317.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

IN omnium sanctorum, sed præcipue Dei Virginum , meritis celebrandis , Deum ipsum glorificari constat, qui publicæ salutis palmam semper Virginibus dedit. In veteri Testamento filios Israel, terra marique clausos , Virgo pedes per mare duxit incolumes . In Evangelio auctorem mundi , & Redemptorem nostrum Virgo genuit. Virgo est Ecclesia , quam Paulus Apostolus castam Virginem Christo Domino exhibuit. Virgo quoque est filia Sion. Virgo est cœlestis illa Hierusalem, in quam nihil commune, nihil immundum ingreditur. Virgines demum Dei sponsas , sacrata Deo corpora, Dei templa ab Ecclesia catholica passim dici non ignoramus .

Const. cx. A. D. 1726. S. Ambrosii exhortatio virginitatis cap. v. Exod. xv. 20. Luc. 1. 27. 2. Cor. xi. 2. Isai. xxxvii. 22. Apoc. xxi. 27.

Ex his una beata Agnes in nostro ordine Prædicatorum quatuor abhinc sæculis floruit, orta in agro montis Politiani in Tuscia anno salutis millesimo ducentesimo sexagesimo octavo , eximiisque virtutibus , quas majores nostri in Dei Virginibus laudaverunt , ante faciem Domini summe conspicua . Hanc , a prima ætate luculentis futuræ sanctimoniæ præsagiis , multoque signorum numero & claritate Deus illustravit, præsertim ubi, etiamnum adolescentula, religiosum institutum amplexa est. Ex patrio enim monasterio ad aliud Proceni in agro Urbevetano exstruendum missa , eidem exstructo præfecta est , ubi annis quindecim pane & aqua jejunavit , more futuri parentis sui beati Dominici confessoris humi cubans , nec nisi majorum imperio sibi gratissimum vitæ ordinem mutare visa . Orationi tam ferventer inhæsit , ut Deus ancillam suam a solo extolleret , ac cœlesti manna , quasi nive , tunicam ei non semel contegeret ; immo & Ecclesiam ipsam mannæ granis , figuram crucis referentibus , Episcopo ad Agnetem solemni cæremonia consecrandam accessuro , consperserit . Ei secreta cœlestia patuerunt , & princeps tenebrarum , ea veniente, ex corporibus ab se truculenter obsessis , procul fugere coactus est . Tanto Dei amore flagravit , ut nocte assumtæ in cœlum beatæ Mariæ Virginis infantem Jesum inter ulnas matris

CONSTIT. CX. A. D. 1726.

matris videre meruerit. Ex quamplurimis gratiæ suæ donis, quibus Dominus ancillam suam cumulavit, omnium maximum præterire non licet, ei nimirum ab Angelo allatum Dominici corporis sacramentum. Sanctæ etiam Palæstinæ regiones, ubi Salvator conceptus, natus, conversatus & passus est, ut visitaret, a Domino cum lacrymis flagitanti, portiuncula terræ, Christi sanguine aspersæ, divinitus data est. De reliquiis quoque sanctorum Apostolorum Petri & Pauli idem ei contigisse proditum est: quibus & illud accedit, tanta in Deum fide excelluisse, ut oleum, panem & nummos multiplicare potuerit.

Quare Agnetis fama circumquaque diffusa, Politiani cives sibi eam restitui summis votis & precibus exorare non destiterunt, donec in patriam redux, inque visu a beatis viris Augustino, Francisco, & præcipue Dominico ad se illam attrahente, mirifice recreata, sibi & suis nutu Dei monasterium, sacramque ædem condere statuit, impuro feminarum habitaculo in piarum Dei Virginum domicilium ad honorem beatæ Mariæ Virginis sub regula ordinis Prædicatorum converso quo in loco dæmones, corvorum specie unguibus & rostro Agnetem, adhuc adolescentulam, tanquam sibi aliquando infestam futuram, vexare tentaverant. Monasterio feliciter absoluto, invita, omnium consensu præficitur, ubi in dies Christianis virtutibus signisque, & prophetico etiam spiritu inclaruit. Tandem hora indicta, qua ad cœlestis sponsi nuptias properaret, peracerbis alias morbis pie constanterque toleratis, afflicta, decubuit, sumptisque magna religione Ecclesiæ sacramentis, sororesque, appropinquante sui transitu, mœstas solata, ac Dei patrocinio ob sanctam regulæ observantiam illis promisso, in earum amplexibus pie obiit duodecimo Kalendas Majas anno Christi Domini millesimo trecentesimo decimo septimo prima Dei Virgo claustralis nostri ordinis Prædicatorum, multis post dormitionem suam miraculis clara, beatæ Catharinæ Senensis veneratione ac laudibus inclyta, & eundem ac Senensis Virgo, beatum Raymundum a Capua, totius postea Prædicatorum familiæ generalem magistrum, vitæ suæ scriptorem nacta.

Ad sacras Agnetis exuvias corruptionis expertes, & mirifico rore assidue perfusas, ob beneficia a Deo per ejus intercessionem accepta, Christifidelibus magna religione confluentibus, felicis recordationis decessor noster Clemens Papa VII. Apostolicis literis indulsit, ut Fratres Prædicatores, & Politiana Ecclesia ac cives beatæ Agnetis festum, officiumque solemniter celebrarent: quod similis memoriæ Clemens Papa VIII. adprobavit, lectiones proprias confirmans eodem festo die a toto Prædicatorum ordine recitandas in honorem Agnetis, quam piæ recordationis Gregorius Papa XIII. in Martyrologio Romano describi jusserat. Alii quoque antecessores nostri Romani Pontifices Pius Papa V. & Clemens X. compluribus, ex S. R. E. ritu editis indulgentiis, fidelium pietatem erga beatam Agnetem fovere studuerunt.

Quibus omnibus sub similis memoriæ Clemente XI. discussis, Deique ancillæ virtutibus & miraculis, post concessum a Sede Apostolicæ ejus cultum, de more, coram nobis in examen adductis & veteri disciplinæ ac sanctorum Patrum constitutionibus respondere per omnia repetitis, inque tribus consistoriis & plenario conventu venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, atque etiam Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum nobiscum in Urbe præsentium rite perpensis, unanimi eorumdem sententia per Sedis Aposto-

Apostolicæ Notarios coram nobis excepta, Regumque & Principum Christianorum, atque ordinis Prædicatorum enixis precibus pro Agnete in sanctarum virginum non martyrum canonem referenda Apostolicæ Sedi porrectis, post tantæ rei perficiendæ solemnem diem indictam, perque orationes, jejunia & eleemosynas, omnipotentis Dei opem ferventissime imploratam, nos demum universis, quæ ex antecessorum nostrorum Romanorum Pontificum constitutionibus, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ disciplina peragenda erant, omni religione peractis, hac die in honorem antecessoris nostri Pontificis & Martyris Melchiadis Deo sacra, qua etiam incarnati Verbi mysterium in annua translationis almæ domus Lauretanæ memoria recolitur, una cum iisdem venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, ac utriusque cleri & populi frequentia, in sacrosanctam basilicam principis Apostolorum Deo supplicantes convenimus, ubi semel, iterum & tertio pro beata Agnete Politiana in Sanctarum virginum non martyrum canonem referenda precibus repetitis per venerabilem fratrem nostrum Franciscum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Episcopum Cardinalem Ostiensem, Barberinum nuncupatum, post decantatas sacras orationes & Spiritus sancti gratiam humillime imploratam, ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, fidei catholicæ exaltationem, & Christianæ religionis incrementum, auctoritate omnipotentis Dei, Patris, Filii & Spiritus Sancti, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra, de eorumdem venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum nobiscum in plenario conventu basilicæ Vaticanæ præsentium, consilio & unanimi consensu, beatam Agnetem Politianam, ordinis Prædicatorum, de cujus sanctitate, fidei sinceritate, & ceterarum virtutum ac miraculorum excellentia plene constabat & constat, una cum beato Thuribio confessore & pontifice Ecclesiæ Limanæ, & beato Jacobo a Marchia confessore non pontifice ordinis Minorum, Sanctam esse definivimus, Sanctarum virginum non martyrum canoni adscribendam decrevimus, prout præsentium tenore definimus, decernimus & adscribimus, eumdemque per universos Christifideles, tanquam vere Sanctam, honorari mandavimus & mandamus, statuentes, ut ab universa Ecclesia in ejus honorem ædes sacræ & altaria, in quibus incruentum sacrificium Deo offeratur, ædificari & consecrari possint; & quotannis duodecimo Kalendas Majas, quo ad cœlestem patriam evolavit, ejus festa solemnia, ut sanctæ virginis non martyris, celebrari possint.

Insuper eadem auctoritate omnibus Christifidelibus vere pœnitentibus & confessis, qui eodem die festo in memoriam beatæ Agnetis ad ejus exuvias visitandas accesserint, annum & quadragenam; iis vero, qui in octava ejusdem festi, quadraginta dies de injunctis seu quomodolibet eis debitis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxavimus & relaxamus.

Postremo gratiis Deo actis, quod Ecclesiam suam insigni hoc novoque luminari illustrare dignatus fuisset, cantata in honorem sanctorum Agnetis Politianæ virginis, Thuribii confessoris pontificis, & Jacobi a Marchia confessoris, solemni oratione, in ara Principis Apostolorum sacrosanctum missæ sacrificium celebravimus cum ejusdem virginis, & ceterorum commemoratione, omnibusque Christifidelibus, tunc præsentibus, plenariam peccatorum indulgentiam concessimus.

CONSTIT. CX.
A. D. 1726.

Decet

CONSTIT. CX. A. D. 1726.

Decet igitur, ut pro tam peculiari insignique beneficio cœlitus nobis concesso, omnes benedicamus & glorificemus Deum Patrem, omnium bonorum auctorem, cui est honor & gloria in sæcula, assiduis precibus ab eo postulantes, ut per intercessionem electæ suæ Agnetis virginis, a peccatis nostris indignationem suam avertens, ostendat nobis faciem misericordiæ suæ, immittatque timorem sui super gentes, quæ non cognoverunt eum, ut tandem cognoscant, quia non est alius Deus, nisi Deus noster.

Ceterum quia difficile foret, præsentes nostras literas ad singula loca, ad quæ opus esset, adferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ definitionis, decreti, adscriptionis, relationis, mandati, statuti, relaxationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vicesimo sexto, quarto idus Decembres, pontificatus nostri anno primo.

✠ Ego Benedictus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

✠

✠ *Ego Franciscus Episcopus Ostiensis Cardinalis Barberinus.*

✠

✠ *Ego Petrus Episcopus Sabinensis Cardinalis Otthobonus S. R. E. Vicecancellarius.*

✠ *Ego Laurentius Episcopus Tusculanus Cardinalis Corsinus.*

✠

✠

✠ *Ego Joseph Renatus Tituli sancti Georgii in Velabro Presbyter Cardinalis Imperialis.*

✠

✠ *Ego Philippus Antonius Tituli sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis Gualterius.*

✠

✠

✠

✠

✠

✠ *Ego Annibal Tituli sancti Clementis Presbyter Cardinalis sancti Clementis Albanus S. R. E. Camerarius.*

✠ *Ego Ludovicus Tituli sancti Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Picus de Mirandula.*

✠ *Ego Antonius Felix Tituli sancti Calixti Presbyter Cardinalis Zondadarius.*

✠ Ego

✠

✠ *Ego Petrus Marcellinus Tituli sancti Johannis ante Portam Latinam Presbyter Cardinalis Corradinus.*

✠

✠

✠ *Ego Curtius Tituli sancti Eustachii Presbyter Cardinalis Origus.*

✠ *Ego Melchior Tituli sanctæ Mariæ Angelorum Presbyter Cardinalis de Polignac.*

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠ *Ego Nicolaus Tituli sanctorum Nerei & Achillei Presbyter Cardinalis Spinula.*

✠

✠

✠

✠ *Ego Georgius Tituli sanctæ Agnetis Presbyter Cardinalis Spinula.*

✠ *Ego Cornelius Tituli sancti Hieronymi Illyricorum Presbyter Cardinalis Bentivolus de Aragonia.*

✠

✠

✠ *Ego Ludovicus Tituli sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis Belluga & Moneada.*

✠ *Ego Joseph Tituli sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis Pereyra de la Cerda.*

✠

✠ *Ego Alvarus Tituli sancti Bartholomæi in Insula Presbyter Cardinalis Cienfuegos.*

✠ *Ego Bernardus Maria Tituli sancti Bernardi ad Thermas Presbyter Cardinalis de Comitibus major Pœnitentiarius.*

✠ *Ego Johannes Baptista Tituli sancti Matthæi in Merulana Presbyter Cardinalis de Alteriis.*

✠ *Ego Vincentius Tituli sancti Onuphrii Presbyter Cardinalis Petra.*

✠ *Ego Prosper Tituli sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis Marifuscus.*

✠ *Ego Frater Augustinus Tituli sancti Xysti Presbyter Cardinalis Pipia.*

✠

✠

✠ *Ego Nicolaus Maria S. R. E. Presbyter Cardinalis Lercarius.*

✠ *Ego Frater Laurentius S. R. E. Presbyter Cardinalis Cozza.*

✠

✠ *Ego Benedictus sanctæ Mariæ in Via Lata Diaconus Cardinalis Pamphilius.*

✠ *Ego Laurentius sanctæ Agathæ ad Montes Diaconus Cardinalis de Alteriis.*

CONSTIT. CX.
A. D. 1726.

✠ *Ego Carolus sancti Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Columna.*

✠

✠

✠

✠ *Ego Julius sancti Hadriani Diaconus Cardinalis Alberonus.*

✠ *Ego Alexander sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis Albanus.*

✠ *Ego Alexander sanctæ Mariæ de Scala Diaconus Cardinalis Falconerius.*

✠ *Ego Nicolaus sanctæ Mariæ ad Martyres Diaconus Cardinalis Judice.*

✠

✠

✠

✠

P. Cardinalis Prodatarius.

Pro D. Cardinali Oliverio.

C. Archiepiscopus Emissenus.

V I S A

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

L. Martinettus.

Registrata in Secretaria Brevium.

N O T A.

Illustris ordo Prædicatorum, præclaris alumnis suis semper Deo carus, Agnetem cœlo dedit in opido, nunc civitate Episcopali Politiana. Sacræ ancillæ Vitam exaravit beatus Raymundus a Capua, ejusdem ordinis post sanctum Dominicum Magister generalis XXII. quam socii Bollandiani ex codice MS. Mediolanensi Ambrosii Taegii ediderunt in tomo II. Aprilis pag. 791. suis notulis de more illustratam. De nostra Virgine scripsit etiam Laurentius Surdinus, ex cujus Italica lucubratione Bollandiani quædam excerpta in latinum sermonem conversa vulgarunt pag. 813. Postremo R.P. Dominicus Pontius, ejusdem ordinis Prædicatorum magister, sanctæ Agnetis Vitam ab se Italice concinnatam Romæ in lucem dedit A. D. 1726.

IDEM

C X I.

I D E M

BENEDICTUS . XIII

Sanctorum confessorum canoni adscribit Beatum Peregrinum Latiosum a Foro-Livii in Æmilia, ordinis Fratrum Servorum beatæ Mariæ Virginis, qui obiit die 1. Maji A. D. 1345.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Redemptor humani generis Christus Dominus, qui fideles famulos suos cœlestis beatitudinis consortes efficere consuevit, eos peculiari præmiorum retributione prosequitur, quos ingentior meritorum excellentia commendat, sicque sancta mater Ecclesia sui sponsi vestigiis insistens, licet omnes cum ipso viventes in cœlo sollicitis studiis honoret, illos tamen, qui supra ceteros virtutum & miraculorum præstantia in terris fulserunt, præcipuis honoribus venerari disponit. Const. CXI. A. D. 1726.

Tam piis caussis inducti beatum Peregrinum a Foro-Livii, quatuor ab hinc sæculis in ordine Fratrum Servorum beatæ Mariæ Virginis, asperrima pœnitentia, & Christianis moribus clarum, ac signis etiam, quæ omnipotens Deus per ejus merita ostendit, nos hac ipsa die, in honorem beati Johannis Apostoli & Evangelistæ Deo sacra, solemni Ecclesiæ Romanæ cæremonia in sanctorum confessorum canonem referre decrevimus, ut in magnis, multisque tanti viri virtutibus, earumdem auctoris summi Dei nomen per omnes gentes celebrari audiatur.

In Foro-Livii, præcipua beati Petri civitate in Æmilia, ex perhonesta Latiosa prosapia ortus est Peregrinus anno Christi Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quinto, quem, licet Christiane educatum, atque a teneris annis Deiparæ Virgini speciali studio addictum, tamen corrupti sæculi mores eo abduxerunt, ut civilibus patriæ discordiis & seditionibus involutus, a legitimo imperio sanctæ Apostolicæ Sedis una cum reliquis suis conterraneis deficeret, eo etiam prolapsus, ut Philippum Benitium, ejusdem familiæ Fratrum Servorum beatæ Mariæ Virginis, postea ob vitæ sanctimoniam Dei confessoribus adnumeratum, quem recolendæ memoriæ antecessor noster Martinus Papa IV, illuc miserat, ut sacris concionibus Liviensem populum ad saniorem sensum revocaret, contumeliis & lapidibus cæsum, atque extra civitatem ejectum, alapa in faciem percuteret. Philippo tamen pro hostibus suis

CONSTIT. CXL.
A. D. 1726.

Deum exorante, Peregrinus admissi criminis dolore tactus, flevit amare, ac Philippum extra civitatem propere adiens, veniam supplex deprecatus est, inque viam salutis a pio viro ductus, regulæ Fratrum Sevorum nomen daturus, monitu Deiparæ Virginis, atque Angelo comite, Senas, quæ est civitas Virginis, statim profectus est, ubi novum plane hominem induens, omni genere pœnitentiæ se totum Deo dicavit, ut præteritum facinus undequaque expiaret. Itaque in alterum plane hominem immutatus, diuturnis jejuniis & macerationibus corpus domans, meditationibus, vigiliis ac lacrymis, perque totos triginta annos nunquam sedens, sed parieti vel saxo incumbens quiescere solitus, omnium admirationem in se convertit. Caritati maxime studens, ad peccatorum salutem tanta sollicitudine operam dedit, ut triginta latrones in silvis alienæ vitæ & bonis inhiantes, adire non formidaverit, omnesque, Deo favente, ad seriam pœnitentiam attraxerit, propterea Æmiliæ Apostolus vocitatus.

Quanta in Deum fide excelluerit, inde fit palam, quod deficientem annonam, in pauperes erogandam, divinitus multiplicaverit. Sed manus Domini excelsam Peregrini virtutem morbo, omnium truculentissimo, adhuc probare voluit. Crus enim viri Dei mortifero tumore contabuit: quique per triginta annos nunquam sederat, in lectulo decumbere coactus est. Mox graveolenti gangræna cruciatus, ac Jobo persimilis, ab omnibus derelictus, neque ideo mœstus, quum de crure amputando supremum consilium iniretur, præsenti Dei ope convaluit, ut nec vestigium ullum plagæ appareret. Quare Peregrini, Deo cari, virtutum fama ubique diffusa, omnium ore *Sancti* elogio passim vocari meruit.

Tandem post exactum in perfectissimo Dei famulatu octoginta annorum curriculum, febri correptus in cœnobio Fratrum Servorum, quod in patria excitandum curaverat, meritorum plenus obdormivit in Domino Kalendis Majis anno reparatæ salutis millesimo trecentesimo quadragesimo quinto, tanta sanctimoniæ laude inclytus, ut finitimis populis corpusculum ejus veneraturis magna frequentia undique adcurrentibus, portæ ipsæ civitatis noctu claudi, & sacræ exuviæ, suavem odorem emittentes, nisi post multos dies terræ mandari, nequiverint. Nec illud silendum, cœco ad beati viri pheretrum per densam multitudinem irrepenti, visum cœlitus restitutum.

Quapropter ad viri Dei tumulum Christifidelibus ob receptas vel recipiendas ejus intercessione a summo bonorum omnium largitore gratias, assidue confluentibus, sub felicis recordationis decessore nostro Paulo Papa V. de Peregrini sanctitate, miraculis & veteri cultu actum est, rem totam exponente Dei servo Roberto S. R. E. Tituli beatæ Mariæ in Via Presbytero Cardinali, Bellarmino nuncupato; inque Peregrini honorem, de ejus officio in Ecclesiis & cœnobiis totius familiæ Servorum recitando, deque ejus nomine in tabulas Martyrologii Romani referendo, rite sancitum est. Postmodum sedente alio antecessore nostro felicis memoriæ Urbano Papa VIII. eædem Peregrini exuviæ corruptionis expertes ex veteri in novum, atque aptius sacellum permagna totius civitatis veneratione translatæ sunt, ejus officio sub ritu duplici toti ordini Servorum recitari permisso.

Eximiis deinde & vere Christianis Peregrini virtutibus sub aliis Romanis Pontificibus decessoribus nostris Innocentio XII. & Clemente XI. ad canonicas majorum sanctiones discussis, miracula etiam post concef-

concessam viri Dei ab Apostolica Sede venerationem & cultum patrata, in examen per venerabiles fratres nostros sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales coram nobis de more adducta fuerunt, quibus veteri disciplinæ per omnia respondere compertis, inque tribus consistoriis & plenario conventu eorumdem venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, atque etiam Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum nobiscum in Urbe præsentium rite probatis, unanimi eorumdem sententia per Sedis Apostolicæ Notarios coram nobis excepta, Regumque ac Principum Christianorum, civitatis Liviensis, atque ordinis Servorum enixis precibus pro Peregrino in Sanctorum confessorum non pontificum canonem referendo Apostolicæ Sedi porrectis, tantæ rei perficiendæ solemnem diem indiximus, perque orationes, jejunia & eleemosynas, omnipotentis Dei opem ferventissime imploravimus, & implorari mandavimus; ac tandem universis, quæ ex antecessorum nostrorum Romanorum Pontificum decretis agenda erant, omni religione peractis, nos hoc die festo beati Johannis Apostoli & Evangelistæ, una cum iisdem venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, ac utriusque cleri & populi frequentia in sacrosanctam basilicam principis Apostolorum Deo supplicantes convenimus, ubi semel, iterum & tertio pro beato Peregrino a Foro-Livii ex ordine Fratrum Servorum beatæ Mariæ Virginis in Sanctorum confessorum non pontificum canonem referendo precibus repetitis, per venerabilem fratrem nostrum Laurentium sanctæ Romanæ Ecclesiæ Episcopum Cardinalem Tusculanum, Corsinum nuncupatum; post cantatas sacras orationes, & Spiritus sancti gratiam humillime imploratam, ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, fidei catholicæ exaltationem, & Christianæ religionis incrementum, auctoritate omnipotentis Dei, Patris, Filii & Spiritus sancti, ac beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra, de eorundem venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum nobiscum in plenario conventu basilicæ Vaticanæ præsentium consilio & unanimi consensu, beatum Peregrinum a Foro-Livii ex ordine Fratrum Servorum beatæ Mariæ Virginis, de cujus sanctitate, fidei sinceritate & ceterarum virtutum ac miraculorum excellentia plane constabat & constat, una cum beatis viris, perinde confessoribus non pontificibus, Johanne a Cruce ordinis Fratrum Excalceatorum beatæ Mariæ Virginis a monte Carmelo, & Francisco Solano ordinis Fratrum Minorum, qui a regulari observantia nuncupantur, Sanctum esse definivimus, Sanctorum confessorum non pontificum canoni adscribendum decrevimus, prout præsentium tenore definimus, decernimus & adscribimus, eumdemque per universos Christifideles, tamquam vere Sanctum, honorari mandavimus & mandamus, statuentes, ut ab universa Ecclesia in ejus honorem ædes sacræ & altaria, in quibus incruentum sacrificium Deo offeratur, ædificari ac consecrari; & quotannis pridie Kalendas Majas ejus festa solemnia, ut sancti confessoris non pontificis, celebrari possint.

CONSTIT. CXI.

A. D. 1726.

Insuper eadem auctoritate, omnibus Christifidelibus vere pœnitentibus & confessis, qui eodem die festo in memoriam beati Peregrini, ad ejus exuvias visitandas accesserint, annum & quadragenam; iis vero, qui in octava ejusdem festi, quadraginta dies de injunctis, seu quomodolibet eis debitis pœnitentiis, misericorditer in Domino relaxavimus & relaxamus.

Po-

CONSTIT. CXI.

A. D. 1726.

Postremo gratiis Deo actis, quod Ecclesiam suam insigni hoc novoque luminari illustrare dignatus fuisset, cantata in honorem sanctorum Christi confessorum Peregrini a Foro-Livii, Johannis a Cruce & Francisci Solani oratione solemni, in ara supra confessionem principis Apostolorum sacrosanctum missæ sacrificium celebravimus, cum ejusdem Peregrini & ceterorum commemoratione, omnibusque Christifidelibus tunc præsentibus plenariam omnium peccatorum indulgentiam concessimus.

Decet igitur, ut pro tam peculiari,insignique beneficio cœlitus nobis concesso omnes benedicamus & glorificemus in trinis personis unum Deum,omnium bonorum auctorem,cui est honor & gloria in sæcula,assiduis precibus ab eo postulantes, ut per intercessionem electi sui Peregrini, a peccatis nostris indignationem suam avertens, ostendat nobis faciem misericordiæ suæ, immittatque timorem sui super gentes, quæ non cognoverunt eum, ut tandem cognoscant, quia non est alius Deus, nisi Deus noster.

Ceterum quia difficile foret, præsentes nostras literas, ad singula loca, ad quæ opus esset, adferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ definitionis, decreti, adscriptionis, relationis, mandati, statuti, relaxationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vicesimo sexto, sexto Kalendas Januarias, pontificatus nostri anno tertio.

✠ Ego Benedictus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

✠

✠ *Ego Franciscus Episcopus Ostiensis Cardinalis Barberinus.*

✠

✠ *Ego Petrus Episcopus Sabinensis Cardinalis Otthobonus S. R. E. Vicecancellarius.*

✠ *Ego Laurentius Episcopus Tusculanus Cardinalis Corsinus.*

✠

✠ *Ego Joseph Renatus Tituli sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Imperialis.*

✠

✠ *Ego Philippus Antonius Tituli sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis Gualterius.*

✠

✠

✠

✠

✠

✠ *Ego*

CONSTIT. CXI. A. D. 1726.

✠

✠ *Ego Annibal Tituli sancti Clementis Presbyter Cardinalis sancti Clementis Albanus S. R. E. Camerarius.*

✠ *Ego Ludovicus Tituli sancti Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Picus de Mirandula.*

✠ *Ego Johannes Antonius Tituli sancti Calixti Præsbyter Cardinalis de Via.*

✠

✠ *Ego Antonius Felix Tituli sanctæ Balbinæ Presbyter. Cardinalis Zondadarius.*

✠

✠ *Ego Petrus Marcellinus Tituli sancti Johannis ante Portam Latinam Presbyter Cardinalis Corradinus.*

✠

✠

✠ *Ego Curtius Tituli sancti Eustachii Presbyter Cardinalis Origus.*

✠ *Ego Melchior Tituli sanctæ Mariæ Angelorum Presbyter Cardinalis de Polignac.*

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠ *Ego Nicolaus Tituli sanctorum Nerei & Achillei Presbyter Cardinalis Spinula.*

✠

✠

✠

✠ *Ego Georgius Tituli sanctæ Agnetis Presbyter Cardinalis Spinula.*

✠ *Ego Cornelius Tituli sancti Hieronymi Illyricorum Presbyter Cardinalis Bentivolus de Aragonia.*

✠

✠

✠ *Ego Ludovicus Tituli sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis Belluga & Moncada.*

✠ *Ego Joseph Tituli anctæ Susannæ Presbyter Cardinalis Pereyra de la Cerda.*

✠

✠ *Ego Alvarus Tituli sancti Bartholomæi in Insula Presbyter Cardinalis Cienfuegos.*

✠ *Ego Bernardus Maria Tituli sancti Bernardi ad Thermas Presbyter Cardinalis de Comitibus, major Pœnitentiarius.*

✠ *Ego Johannes Baptista Tituli sancti Matthæi in Merulana Presbyter Cardinalis de Alteriis.*

✠ *Ego Vincentius Tituli sancti Onuphrii Presbyter Cardinalis Petra.*

✠ *Ego Prosper Tituli sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis Marifuscus.*

✠ *Ego*

✠

✠ *Ego Nicolaus Tituli sanctæ Mariæ in Domnica Presbyter Cardinalis Coscia.*

✠

✠ *Ego Nicolaus Maria Tituli sanctorum Johannis & Pauli Presbyter Cardinalis Lercarius.*

✠ *Ego Frater Laurentius Tituli sancti Laurentii in Pane & Perna Presbyter Cardinalis Cozza.*

✠

✠ *Ego Benedictus sanctæ Mariæ in Via lata Diaconus Cardinalis Pamphilius.*

✠ *Ego Laurentius sanctæ Agathæ ad Montes Diaconus Cardinalis de Alteriis.*

✠ *Ego Carolus sancti Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Columna.*

✠

✠

✠

✠ *Ego Julius sancti Hadriani Diaconus Cardinalis Alberonus.*

✠ *Ego Alexander sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis Albanus.*

✠ *Ego Alexander sanctæ Mariæ de Scala Diaconus Cardinalis Falconerius.*

✠ *Ego Nicolaus S. Mariæ ad Martyres Diaconus Cardinalis Judice.*

✠

✠

✠

✠

P. Cardinalis Prodatarius.

Pro D. Cardinali Oliverio.

C. Archiepiscopus Emissenus.

VISA

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

L. Martinettus.

Registrata in Secretaria Brevium.

NOTA.

Licet sanctus Peregrinus obierit die 1. Maji, ejus tamen festum ob concursum sanctorum Apostolorum Philippi & Jacobi, in toto ordine Servorum pridie celebratur; ideoque Bollandiani scriptores huic ritui se conformantes, de illo, quem A. D. 1661. coram venerati sunt, fuse agunt die xxx. Aprilis proxime antecedenti pag. 826. ejus Vitam; a Nicolao Burghesio conscriptam, & commentarios pariter de ejus cultu & miraculis, in Italia & Hispania patratis, proferentes.

IDEM

CXII.

IDEM

BENEDICTUS . XIII

Sanctorum confessorum canoni adscribit Beatum Johannem a Cruce, Hispanum ex Fonte Tiberii, opido in episcopatu Abulensi, ordinis Fratrum Excalceatorum beatæ Mariæ Virginis a monte Carmelo, qui obiit die xix. Decembris A. D. 1591.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

PIA mater Ecclesia præcipuis universalis honorificentiæ præconiis illos ornari decernit, qui olim sanctissimis disciplinis & moribus eam illustrantes, divini nominis gloriam & Deo famulantium numerum dictis & factis augere, perque viam salutis ducere summa cura studuerunt. Hujusmodi virum, Christianis virtutibus, cœlesti doctrina, jugi pœnitentia, multisque signis probatum Ecclesiæ catholicæ dedit ea pars Hispaniæ Tarraconensis, cui Castellæ veteris nomen est, nosque illum hac die, in honorem beati Johannis Apostoli & Evangelistæ Deo sacra, sanctorum confessorum non pontificum canoni, solemni sanctæ Romanæ Ecclesiæ cæremonia, adnumerare decrevimus. Const. CXII. A. D. 1726.

Is est beatus Johannes a Cruce, ordinis Fratrum beatæ Mariæ Virginis a monte Carmelo, qui Excalceati appellantur, primus professor & parens, qui anno Christi Domini millesimo quingentesimo quadragesimo secundo ex perhonesta Jepesia familia ortus est in opido, quod dicitur Fons Tiberii in episcopatu Abulensi. A primis annis egregiæ animi dotes in eo, pie christianeque educato, plurimum emicuerunt; quamque dilectus & carus esset Deiparæ Virgini, in cujus patrocinium confugerat, inde patuit, quod aquam e puteo hausturus, in illum prolapsus, patronæ manu sublatus, incolumis prodiit. Adolescens, eximiæ pietatis ductu Metymnæ-Campi hospitalem domum ingressus, ægrotantium & pauperum famulatui se addixit, maxima caritate diu noctuque languentibus assidens, nec modo spiritualia, sed ne vilissima quidem officia in iis juvandis obire detrectans, unde factum, ut ceteri in nosocomio Christiana Johannis acta demirati, ægrotorum corporibus animisque curandis certatim ejus exemplo alacrem & sollicitam

CONSTIT. CXII.

A. D. 1726.

operam darent. Quidquid interim tam pio ministerio supererat, præclarus juvenis assiduis precibus, vigiliis, lacrymis, & Dominicæ passioni religiosissimo animo recolendæ, impendebat: quæ tandem ipsi ad Fratrum ordinis beatæ Mariæ Virginis a monte Carmelo institutum ineundum, jucundissimam viam aperuerunt. Hoc ita amplexus est, ut vota emissa purioris disciplinæ studio accurate observaret, ad primitivi ordinis normam se omnino conformans, nec nisi cum timore & tremore, ac jussu majorum, ob summam rei divinæ præstantiam, ad sacratissimum presbyteratus gradum evectus.

Quum vero Dei virgo Teresa, quæ postea, excelsis ejus virtutibus, signisque flagitantibus, per felicis memoriæ antecessorem nostrum Gregorium Papam XV. in sanctarum virginum canonem relata est, inter sorores jam dicti ordinis beatæ Mariæ Virginis a monte Carmelo primævi instituti regulam felici exitu restituisset, idemque pro Fratribus ejusdem familiæ animo volutaret, Dei ancillæ magni operis comes Johannes a Cruce, strictioris disciplinæ promovendæ ardore vehementer accensus, plane cœlitus datus est. Quare tantæ rei negocio inter sacram virginem & Dei famulum agitato, ordo Fratrum Carmelitarum communi omnium bonorum plausu, licet fremente humani generis hoste, mirifice instauratus, & per universam Europam non sine ingenti Dei gloria diffusus est, plurimis Teresæ virginis cura, per totam Hispaniam erectis atque optime institutis cœnobiis, quæ ipse, nullis vitæ incommodis & periculis territus, singula perlustravit.

Ubi vero admiranda innocentia, assidua rerum divinarum contemplatione, asperrimo vitæ rigore, summisque virtutibus inclytus, suorum corda in perfecto Dei cultu undequaque firmaverat, diro morbo & in crure quinque plagis, sanie manantibus, patientissime toleratis, totus in Deo, quem semper in corde atque ore habuerat, fixus, sanctissimis Ecclesiæ sacramentis summa fide & religione susceptis, inter sodalium collacrymantium amplexus, Davidici psalmi versiculo, *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum*, piissime pronunciato, die & hora a se prædictis, in Ubedæ cœnobio, decimo nono Kalendas Januarias anno salutis millesimo quingentesimo nonagesimo primo, ætatis quadragesimo nono, vitæ cœnobiticæ vicesimo nono purissimam efflavit animam vir, Deo percarus, dœmoni formidatus, animi lenitate, constantia in adversis, miraculorum, ac prophetiæ dono per totam Hispaniam illustris, inque mysticæ theologiæ arcanis scripto explicandis, æque ac Teresa, divinitus instructus, quam, decreto sanctæ Romanæ Ecclesiæ nondum beatis adnumeratam, ipse sodali suo, inter sanctas Dei virgines, eo superstite, referendam prænunciavit.

Ad servi Dei exuvias, quasi odore perfusas, & postea corruptionis expertes, eundem, veluti placido somno sopitum referentes, populi eas osculantis multitudo copiosa turmatim confluxit, vestium, & ipsius etiam corpusculi particulas, venerationis instinctu, auferre conata. Tanti viri, quem Teresa, ut sanctum suspexerat, sanctique elogio compluries ornaverat, virtutum & prodigiorum fama in dies percrebrescente, gesta ejus maturo judicio venerabilium fratrum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, sedente piæ recordationis decessore nostro Alexandro Papa VII. ad canonicos ritus discussa & probata fuerunt, unde per similis memoriæ Clementis Papæ X. Apostolicas literas, inter beatos relatus est.

Novis

Novis deinde miraculis post solemnem beatificationem, ob ejus merita a Deo patratis, jussu Dei servi Innocentii Papæ XI. undique conquisitis, & coram nobis ipsis per venerabiles fratres nostros in examen adductis, ac veteri disciplinæ & majorum constitutionibus respondere per omnia compertis, inque tribus consistoriis & plenario conventu eorumdem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, atque etiam Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum, nobiscum in Urbe præsentium conventu rite perpensis, unanimi eorumdem sententia per Sedis Apostolicæ notarios coram nobis excepta, Regumque ac Principum Christianorum, atque ipsius ordinis Fratrum Excalceatorum beatæ Mariæ Virginis a monte Carmelo, enixis precibus pro beato Johanne a Cruce in sanctorum confessorum non pontificum canonem referendo Apostolicæ Sedi porrectis, post tantæ rei perficiendæ solemnem diem indictam, perque orationes, jejunia & eleemosynas omnipotentis Dei opem ferventissime imploratam; demum universis, quæ ex antecessorum nostrorum Romanorum Pontificum constitutionibus, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ disciplina agenda erant, omni religione peractis, hac ipsa die in honorem beati Johannis Apostoli & Evangelistæ Deo sacra, una cum iisdem venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, ac utriusque cleri & populi frequentia in sacrosanctam basilicam principis Apostolorum Deo supplicantes convenimus, ubi semel, iterum & tertio pro viro Dei in Sanctorum confessorum non pontificum canonem referendo precibus repetitis per venerabilem fratrem nostrum Laurentium sanctæ Romanæ Ecclesiæ Episcopum Cardinalem Tusculanum, Corsinum nuncupatum, post decantatas sacras orationes & Spiritus sancti gratiam humillime invocatam, ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, fidei catholicæ exaltationem, & Christiani nominis incrementum, auctoritate omnipotentis Dei, Patris, Filii & Spiritus Sancti, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra, de eorumdem venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum nobiscum in plenario conventu basilicæ Vaticanæ præsentium consilio & unanimi consensu, beatum Johannem a Cruce Hispanum ex ordine Fratrum Excalceatorum beatæ Mariæ Virginis a monte Carmelo, de cujus sanctitate, fidei sinceritate, & ceterarum virtutum ac miraculorum excellentia plene constabat & constat, una cum beatis perinde confessoribus non pontificibus, Peregrino a Foro-Livii ordinis Fratrum Servorum beatæ Mariæ Virginis, & Francisco Solano ordinis Fratrum Minorum, qui a regulari observantia nuncupantur, Sanctum esse definivimus, Sanctorum confessorum non pontificum canoni adscribendum decrevimus, prout præsentium tenore definimus, decernimus & adscribimus, eumdemque per universos Christifideles, tanquam vere Sanctum, honorari mandavimus & mandamus, statuentes, ut ab universa Ecclesia in ejus honorem ædes sacræ & altaria, in quibus incruentum sacrificium Deo offeratur, ædificari & consecrari; & quotannis decimo nono Kalendas Januarias, quo die ad cœlestem patriam evolavit, ejus natalis, ut sancti confessoris non pontificis, festa solemnia celebrari possint.

CONSTIT. CXII. A. D. 1726.

Insuper eadem auctoritate omnibus Christifidelibus vere pœnitentibus & confessis, qui ejusdem diei natalis festo in memoriam beati Johannis a Cruce quotannis ad sacras ejus exuvias venerandas accesserint,

CONSTIT. CXII. A. D. 1726. rint, annum & quadragenam; iis vero, qui in octava ejusdem festi, quadraginta dies de injunctis seu quomodolibet eis debitis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxavimus & relaxamus.

Postremo gratiis Deo actis, quod Ecclesiam suam insigni hoc, novoque luminari illustrare voluisset, cantata in honorem sanctorum Johannis a Cruce, Peregrini a Foro-Livii & Francisci Solani, oratione solemni, in ara maxima supra confessionem Principis Apostolorum sacrosanctum missæ sacrificium celebravimus cum ejusdem confessoris non pontificis, & ceterorum commemoratione, omnibusque Christifidelibus, tunc præsentibus, plenariam omnium peccatorum indulgentiam concessimus.

Decet igitur, ut pro tam peculiari, magnoque beneficio cœlitus nobis concesso omnes benedicamus & glorificemus in trinis personis unum Deum, bonorum omnium auctorem, cui est honor & gloria in sæcula assiduis precibus ab eo flagitantes, ut per intercessionem electi sui Johannis a Cruce, indignationem suam a nostris peccatis avertens, ostendat nobis faciem misericordiæ suæ, immittatque timorem sui super gentes, quæ non cognoverunt eum, ut tandem cognoscant, quia non est alius Deus, nisi Deus noster.

Ceterum quia difficile foret, præsentes nostras literas ad singula loca, ad quæ opus esset, adferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ definitionis, decreti, adscriptionis, relationis, mandati, statuti, relaxationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vicesimo sexto, sexto Kalendas Januarias, pontificatus nostri anno tertio.

✠ Ego Benedictus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

✠
✠ *Ego Franciscus Episcopus Ostiensis Cardinalis Barberinus.*
✠
✠ *Ego Petrus Episcopus Sabinensis Cardinalis Otthobonus S. R. E. Vicecancellarius.*
✠ *Ego Laurentius Episcopus Tusculanus Cardinalis Corsinus.*
✠
✠ *Ego Joseph Renatus Tituli sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Imperialis.*
✠
✠ *Ego Philippus Antonius Tituli sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis Gualterius.*
✠
✠

✠ *Ego*

CONSTIT. CXII.

A. D. 1726.

✠
✠
✠
✠
✠ *Ego Annibal Tituli sancti Clementis Presbyter Cardinalis sancti Clementis Albanus S. R. E. Camerarius.*

✠ *Ego Ludovicus Tituli sancti Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Picus de Mirandula.*

✠ *Ego Johannes Antonius Tituli sancti Calixti Presbyter Cardinalis de Via.*

✠
✠ *Ego Antonius Felix Tituli sanctæ Balbinæ Presbyter Cardinalis Zondadarius.*

✠
✠ *Ego Petrus Marcellinus Tituli sancti Johannis ante Portam Latinam Presbyter Cardinalis Corradinus.*

✠
✠
✠ *Ego Curtius Tituli sancti Eustachii Presbyter Cardinalis Origus.*

✠ *Ego Melchior Tituli sanctæ Mariæ Angelorum Presbyter Cardinalis de Polignac.*

✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠ *Ego Nicolaus Tituli sanctorum Nerei & Achillei Presbyter Cardinalis Spinula.*

✠
✠
✠
✠ *Ego Georgius Tituli sanctæ Agnetis Presbyter Cardinalis Spinula.*

✠ *Ego Cornelius Tituli sancti Hieronymi Illyricorum Presbyter Cardinalis Bentivolus de Aragonia.*

✠
✠
✠ *Ego Ludovicus Tituli sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis Belluga & Moncada.*

✠ *Ego Joseph Tituli sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis Pereyra de la Cerda.*

✠
✠ *Ego Alvarus Tituli sancti Bartholomæi in Insula Presbyter Cardinalis Cienfuegos.*

✠ *Ego Bernardus Maria Tituli sancti Bernardi ad Thermas Presbyter Cardinalis de Comitibus major Pœnitentiarius.*

✠ *Ego Johannes Baptista Tituli sancti Matthæi in Merulana Presbyter Cardinalis de Alteriis.*

✠ *Ego Vincentius Tituli sancti Onuphrii Presbyter Cardinalis Petra.*

✠ *Ego*

CONSTIT. XCII.
A. D. 1726.

✠ *Ego Prosper Tituli sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis Marifuscus.*

✠

✠ *Ego Nicolaus Tituli sanctæ Mariæ in Domnica Presbyter Cardinalis Coscia.*

✠ *Ego Nicolaus-Maria Tituli sanctorum Johannis & Pauli Presbyter Cardinalis Lercarius.*

✠ *Ego Frater Laurentius Tituli sancti Laurentii in Pane & Perna Presbyter Cardinalis Cozza.*

✠

✠ *Ego Benedictus sanctæ Mariæ in Via Lata Diaconus Cardinalis Pamphilius.*

✠ *Ego Laurentius sanctæ Agathæ ad Montes Diaconus Cardinalis de Alteriis.*

✠ *Ego Carolus sancti Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Columna.*

✠

✠

✠

✠ *Ego Julius sancti Hadriani Diaconus Cardinalis Alberonus.*

✠ *Ego Alexander sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis Albanus.*

✠ *Ego Alexander sanctæ Mariæ de Scala Diaconus Cardinalis Falconerius.*

✠ *Ego Nicolaus sanctæ Mariæ ad Martyres Diaconus Cardinalis Judice.*

✠

✠

✠

✠

P. Cardinalis Prodatarius.

Pro D. Cardinali Oliverio

C. Archiepiscopus Emissenus.

V I S A

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

L. Martinettus.

Registrata in Secretaria Brevium.

N O T A.

Libros theologiæ mysticæ, quos sanctus Johannes a Cruce elaboravit, Nicolaus Antonius recenset in Bibliotheca Hispana nova tomo 1. pag. 518. quem vide etiam pag. 444. col. 2. ubi ejus Vitam Hispanice scriptam intelliges per Hieronymum a sancto Joseph, & Matriti editam A. D. 1641. in forma quarta. Ejusdem Vitæ compendium Hispanum Josephus a sancta Teresa Matriti vulgavit A. D. 1675. in forma quarta. Opera vero ejus Italice expressa Venetiis prodierunt A. D. 1671. item in forma quarta.

IDEM

CXIII.

IDEM

BENEDICTUS . XIII

Sanctorum confessorum canoni adscribit Beatum Franciscum Solanum a Montilia, opido Hispaniæ Bæticæ, ordinis Fratrum Minorum, qui obiit die xxiv. Februarii A. D. 1675.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

AD fidelium Dei servorum gloriam in terris manifestandam, unde cultus divinus maxime augeri, & frigescentia corda hominum ad veræ pietatis opera, præclaris eorum exemplis inflammari, atque erigi possint, libenti & pervigili animo intendimus; quoniam Christum Dominum in sanctis ejus laudare jubemur. Hinc beatum Dei servum Franciscum Solanum ex ordine Fratrum Minorum, qui a regulari observantia nuncupantur, Christianarum virtutum præstantia, & miraculorum numero illustrem nacti, magnum populis, nostræ sollicitudini creditis, præsidium nos allaturos putavimus, si eum solemni S.R.E. cæremonia hac die, iu honorem beati Johannis Apostoli & Evangelistæ Deo sacra, sanctorum confessorum non pontificum canoni adscriberemus.

Montiliæ, Hispaniæ Bæticæ opido sub Ecclesia Cordubensi, quam complures Christi martyres nobilitarunt, Franciscus Solanus, voluntate martyr futurus, lucem vitalem adspexit sexto idus Martias anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo quadragesimo nono, ingenuis, piisque parentibus ortus, qui filium timorem Dei, virtutesque, Christiano homine dignas, sollicite docendum curarunt: quibus ipse animo accensus, in Fratrum Minorum, qui a regulari observantia nuncupantur, sacram familiam, adolescens cooptatus est. In ea miris & multis severioris disciplinæ, Christianæque humilitatis argumentis eluxit, diu noctuque divinæ pietatis, assiduæque pœnitentiæ exercitiis intentus, beatos etiam illos patres, Benedictum & Franciscum, imitatus, qui se nudos inter pungentissimas spinas projecerunt, ut omnem vim sensuum domarent. His, aliisque præclaris animi dotibus ex ejus admirando tenore vitæ identidem prodeuntibus, sacris ipse concionibus, quas ardentissima caritas, ceteræque eximiæ virtutes, in eo fulgentes, ornabant, animas lucrifaciens, *Sancti* elogium passim confe-

CONSTIT. CXIII. A. D. 1726. consecutus est, præsertim ubi ægri pueri corpusculum, totum ulceribus tectum, amotis linteis, lambens, sanitati restituit.

Sed lue crudeli grassante in Hispania Bætica, maximam suam caritatem Dei famulus morbo pestifero tabescentibus patefecit, ubi humano & spirituali solatio destitutis, in tanta calamitate opem laturus, pereuntium animabus, corporibusque curandis, nulla mortis formidine territus, summam operam dedit; immo & ipse mortali contagione infectus, & manu Dei sospes redditus, in pristino ministerio usque ad lethalis morbi finem se alacrius exercere perrexit.

Per ora omnium Solani sanctitatis fama percrebrescente, vir modestissimus, qui Dei, non suam, gloriam quærebat, se ei clam subducere cogitavit. Quare martyrii pro Christo subeundi percupidus, hanc sibi gratiam a majoribus dari humillime flagitavit, ut in Africam, verbum Dei prædicaturus, trajiceret. Compos tamen voti nequaquam factus, hoc tandem obtinuit, ut ad remotissimos Indos evangelica doctrina imbuendos cum aliis verbi Dei præconibus navigaret. Animarum salutem multis, iisque gravissimis maris terræque periculis vir Dei præferens, non sine prodigio ad vineam, sibi a Domino paratam laboriose excolendam cum sociis adplicuit, utque oves errantes ex lupi faucibus ereptas summo pastori servaret, nullis incommodis & vigiliis pepercit. Alienas ærumnas suas ratus, Deique amore & proximi æstuans, lingua gentium divinitus percepta suavissimos sermones habens, Dei gratia id præstitit, ut barbari, deposita feritate, ad Solanum instruendi ultro & certatim accurrerent; unde factum, ut innumeram eorum multitudinem sacro fonte regeneraret, tanti apud omnes habitus, ut ipse ab iis facile obtineret quæ alias pœnarum metus & rigor extorquere non poterant. Quantum ejus præsentia, piique sermonis vis apud Indos posset, tunc maxime patuit, quum multa millia infidelium, Christianis, de more, in Dominicæ passionis mysteriis recolendis feria quinta in cœna Domini sancte occupatis, cruentam cœdem jamjam allatura, ipse Dei verbo exarmavit, diversæque ac sibi ignotæ linguæ barbaros homines uno idiomate allocutus, non solum pacem suasit, sed ad Christi fidem supra novem millia convertit. Pervulgata Francisci fama, miris gestis identidem aucta, ipse ad latibula confugiens, eam declinare conabatur, nec nisi majorum imperio obtemperans, munera sibi imposita obivit, donec Limam, orbis Americani principem civitatem missus, incolarum animos ad pœnitentiam cohortatus, ni agant, alter Jonas extremam cladem interminatur. Nec mora, omnes ad feriam criminum suorum pœnitentiam agendam perduxit.

Interim summis pro Dei gloria amplificanda laboribus confectus, supremæ vocationis diem sibi imminentem agnoscens, sanctissimis Ecclesiæ sacramentis muniri voluit, & pridie idus Julias anno Christi Domini millesimo sexcentesimo decimo in honorem beati Ecclesiæ Doctoris Bonaventuræ, cujus patrocinio se olim addixerat, Deo sacra, manibus in crucis figuram compositis, pias oratiunculas recitans, semperque in Domino fixus, in cœnobio Limano sanctissimi Nominis Jesu expiravit. Francisci anima in cœlum recepta, sacræ ejus exuviæ antea subnigræ, mox pulchræ & candidæ apparuerunt, suavique odore perfusæ, undique ad eas venerandas concurrentibus populis, ejusque vestium particulas sibi pro sacris reliquiis servandas parare contendentibus. Solani postea virtutibus & miraculis omnium præconio ubique diffusis

diffusis, & apud hanc sanctam Apostolicam Sedem probatis, piæ memoriæ antecessor noster Clemens Papa X. nono Kalendas Februarias anno salutis millesimo sexcentesimo septuagesimo quinto Franciscum Solanum ritu S. R. E. beatis adscripsit. CONSTIT. CXIII. A. D. 1726.

Postmodum vero per venerabiles fratres nostros sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales novis miraculis, a tempore ejus beatificationis patratis, in præsentia nostra æque discussis, inque tribus consistoriis & plenario conventu eorumdem venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, atque etiam Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum nobiscum Romæ præsentium rite perpensis, unanimi eorumdem sententia per Sedis Apostolicæ Notarios coram nobis excepta, Regumque ac Principum Christianorum, totiusque ordinis Fratrum Minorum pro beato Francisco Solano in Sanctorum confessorum non pontificum canonem referendo, precibus nobis enixe porrectis, post tantæ rei perficiendæ solemnem diem indictam, perque orationes, jejunia & eleemosynas, omnipotentis Dei opem ferventissime imploratam, demum universis, quæ ex antecessorum nostrorum Romanorum Pontificum constitutionibus,& sanctæ Romanæ Ecclesiæ disciplina agenda erant, omni religione peractis, hac die in honorem beati Johannis Apostoli & Evangelistæ Deo sacra, una cum iisdem venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, ac utriusque cleri & populi frequentia in sacrosanctam basilicam principis Apostolorum Deo supplicantes convenimus, ubi semel, iterum & tertio pro viro Dei Francisco Solano in Sanctorum confessorum canonem referendo per venerabilem fratrem nostrum Laurentium S.R.E. Episcopum Cardinalem Tusculanum, Corsinum nuncupatum, precibus repetitis; post decantatas sacras orationes, & Spiritus sancti gratiam humillime invocatam, ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, fidei catholicæ exaltationem, & Christiani nominis incrementum, auctoritate omnipotentis Dei, Patris, Filii & Spiritus sancti, ac beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra, de eorundem venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum, nobiscum in plenario conventu basilicæ Vaticanæ præsentium, consilio & unanimi consensu, beatum Franciscum Solanum Hispanum ordinis Fratrum Minorum, qui a regulari observantia appellantur, de cujus sanctitate, fidei sinceritate & ceterarum virtutum ac miraculorum excellentia plene constabat & constat, una cum beatis viris, perinde confessoribus non pontificibus, Peregrino Latioso a Foro-Livii ordinis Fratrum Servorum beatæ Mariæ Virginis, & Johanne a Cruce ordinis Fratrum Excalceatorum beatæ Mariæ Virginis a monte Carmelo, Sanctum esse definivimus, Sanctorum confessorum non pontificum canoni adscribendum decrevimus & definivimus, prout præsentium tenore decernimus, definimus & adscribimus, eumdemque per omnes Christifideles, tamquam vere Sanctum, honorari mandavimus & mandamus, statuentes, ut ab Ecclesia universali in ejus honorem ædes sacræ & altaria, in quibus incruentum sacrificium Deo offeratur, construi possint; & quotannis pridie idus Julias, quo die ad cœlestem patriam evolavit, solemnia ejus natalitia, ut sancti confessoris non pontificis, celebrari possint.

Insuper eadem auctoritate, omnibus Christifidelibus vere pœnitentibus & confessis, qui eodem solemni die natalitio in mem im

CONSTIT. CXIII.

A. D. 1726.

beati Francifci, quotannis ad facras ejus exuvias venerandas acceffe-rint, annum & quadragenam; iis vero, qui in octava ejufdem fefti, quadraginta dies de injunctis, feu quomodolibet eis debitis pœniten-tiis, mifericorditer in Domino relaxavimus & relaxamus.

Poftremo gratiis Deo actis, quod Ecclefiam fuam infigni hoc, noveque luminari illuftrare voluiffet, cantata in honorem fanctorum Francifci Solani, Peregrini Latiofi & Johannis a Cruce, folemni oratione, in ara maxima fupra confeffionem principis Apoftolorum facrofanctum miffæ facrificium celebravimus, cum ejufdem confefforis & ceterorum commemoratione, omnibufque Chriftifidelibus tunc præfentibus plenariam omnium peccatorum indulgentiam conceffimus.

Decet igitur, ut pro tam peculiari,infignique beneficio,cœlitus nobis conceffo omnes benedicamus & glorificemus in trinis perfonis unum Deum,omnium bonorum auctorem,cui eft honor & gloria in fæcula,affiduis precibus ab eo flagitantes, ut per interceffionem electi fui Francifci Solani, a peccatis noftris indignationem fuam avertens, oftendat nobis faciem mifericordiæ fuæ, immittatque timorem fui fuper gentes, quæ non cognoverunt eum, ut tandem cognofcant, quia non eft alius Deus, nifi Deus nofter.

Ceterum quia difficile foret, præfentes noftras literas, ad fingula loca, ad quæ opus effet, adferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impreffis, manu publici notarii fubfcriptis, & figillo alicujus perfonæ in dignitate ecclefiaftica conftitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur, quæ ipfis præfentibus haberetur, fi effent exhibitæ vel oftenfæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noftræ definitionis, decreti, adfcriptionis, relationis, mandati, ftatuti, relaxationis & voluntatis infringere, vel ei aufu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præfumferit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoftolorum ejus fe noverit incurfurum.

Datum Romæ apud fanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millefimo feptingentefimo vicefimo fexto, fexto Kalendas Januarias, pontificatus noftri anno tertio.

✠ Ego Benedictus Catholicæ Ecclefiæ Epifcopus.

✠ *Ego Francifcus Epifcopus Oftienfis Cardinalis Barberinus.*

✠ *Ego Petrus Epifcopus Sabinenfis Cardinalis Otthobonus S. R. E. Vicecancellarius.*

✠ *Ego Laurentius Epifcopus Tufculanus Cardinalis Corfinus.*

✠ *Ego Jofeph Renatus Tituli fancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Imperialis.*

✠ *Ego Philippus Antonius Tituli fanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis Gualterius.*

✠ *Ego*

✠
✠
✠
✠

✠ *Ego Annibal Tituli sancti Clementis Presbyter Cardinalis sancti Clementis Albanus S. R. E. Camerarius.*

✠ *Ego Ludovicus Tituli sancti Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Picus de Mirandula.*

✠ *Ego Johannes Antonius Tituli sancti Calixti Presbyter Cardinalis de Via.*

✠

✠ *Ego Antonius Felix Tituli sanctae Balbinae Presbyter Cardinalis Zondadarius.*

✠

✠ *Ego Petrus Marcellinus Tituli sancti Johannis ante Portam Latinam Presbyter Cardinalis Corradinus.*

✠
✠

✠ *Ego Curtius Tituli sancti Eustachii Presbyter Cardinalis Origus.*

✠ *Ego Melchior Tituli sanctae Mariae Angelorum Presbyter Cardinalis de Polignac.*

✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠

✠ *Ego Nicolaus Tituli sanctorum Nerei & Achillei Presbyter Cardinalis Spinula.*

✠
✠
✠

✠ *Ego Georgius Tituli sanctae Agnetis Presbyter Cardinalis Spinula.*

✠ *Ego Cornelius Tituli sancti Hieronymi Illyricorum Presbyter Cardinalis Bentivolus de Aragonia.*

✠
✠

✠ *Ego Ludovicus Tituli sanctae Priscae Presbyter Cardinalis Belluga & Moncada.*

✠ *Ego Joseph Tituli sanctae Susannae Presbyter Cardinalis Pereyra de la Cerda.*

✠

✠ *Ego Alvarus Tituli sancti Bartholomaei in Insula Presbyter Cardinalis Cienfuegos.*

✠ *Ego Bernardus Maria Tituli sancti Bernardi ad Thermas Presbyter Cardinalis de Comitibus, major Poenitentiarius.*

✠ *Ego Johannes Baptista Tituli sancti Matthaei in Merulana Presbyter Cardinalis de Alteriis.*

✠ *Ego Vincentius Tituli sancti Onuphrii Presbyter Cardinalis Petra.*

CONSTIT. CXIII.
A. D. 1726.

✠ *Ego Prosper Tituli sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis Marifuscus.*

✠

✠ *Ego Nicolaus Tituli sanctæ Mariæ in Domnica Presbyter Cardinalis Coscia.*

✠

✠ *Ego Nicolaus Maria Tituli sanctorum Johannis & Pauli Presbyter Cardinalis Lercarius.*

✠ *Ego Frater Laurentius Tituli sancti Laurentii in Pane & Perna Presbyter Cardinalis Cozza.*

✠

✠ *Ego Benedictus sanctæ Mariæ in Via lata Diaconus Cardinalis Pamphilius.*

✠ *Ego Laurentius sanctæ Agathæ ad Montes Diaconus Cardinalis de Alteriis.*

✠ *Ego Carolus sancti Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Columna.*

✠

✠

✠

✠ *Ego Julius sancti Hadriani Diaconus Cardinalis Alberonus.*

✠ *Ego Alexander sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis Albanus.*

✠ *Ego Alexander sanctæ Mariæ de Scala Diaconus Cardinalis Falconerius.*

✠ *Ego Nicolaus S. Mariæ ad Martyres Diaconus Cardinalis Judice.*

✠

✠

✠

✠

P. Cardinalis Prodatarius.

Pro D. Cardinali Oliverio.

C. Archiepiscopus Emissenus.

V I S A

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

L. Martinettus.

Registrata in Secretaria Brevium.

N O T A.

Sancti Francisci Solani dormitio incidit in diem XIV. Julii A. D. 1610. qua tamen die nihil de illo habetur in Actis Bollandianis. Claudio Castellano eum inserere placuit Martyrologio universali sub die XX. ejusdem mensis pag. 351. Dei famuli Vitam Italice scriptam Romæ edidit Raymundus a Roma ordinis Minorum A. D. 1726. in forma octava.

IDEM

CONSTIT. CXIV. A.D. 1726.

C X I V.

I D E M

BENEDICTUS . XIII

Sanctorum confessorum canoni adscribit Beatum Aloysium Gonzagam a Castellione, opido Stiverorum in Gallia Cisalpina, clericum Societatis Jesu, qui obiit die XXI. Junii A. D. 1591.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

CHristianæ virtutes & summa vitæ innocentia strenuos Dei milites post triumphum de hoc mundo, perquam dignos efficiunt, qui inter cœlestis Hierusalem emeritos cives connumerentur; atque hinc nobis, universalis Ecclesiæ regimini præpositis, maxime convenit Apostolica voce eorumdem sanctitatem manifestare, ut omnes tanto patrocinio in cœlis muniti, optimisque piæ illorum conversationis exemplis instructi, per viam salutis incedere valeant; unde & ipsi tandem hujus vitæ cursu feliciter consummato, eorum consortio adjungi mereantur, quorum se regulis conformare studuerunt. Itaque nos hac die, in honorem antecessoris nostri Silvestri confessoris atque pontificis Deo sacra, cum ingenti exultatione & celebritate in basilicam Principis Apostolorum convenientes, angelicum juvenem, inque regulari militia probatissimum clericum, Aloysium Gonzagam, sanctorum canoni adscripsimus, ut Christifideles in ejus meritis solemni præconio ad Dei gloriam recolendis propitium in cœlo deprecatorem obtineant. Const. CXIV. A. D. 1726.

Castellione, Galliæ Cisalpinæ ad fines Mantuani ducatus nobili opido, quod discriminis causa, *Stiverorum* appellatur, Marchionatus olim, dein Principatus titulo, insigni, ex primaria Gonzaga familia septimo idus Martias anno Christi Domini millesimo quingentesimo sexagesimo octavo natus est Aloysius, antea baptizatus, quam totus in lucem editus. Ab ipsis infantiæ & eo magis pueritiæ primordiis magna in illo & multa futuræ sanctitatis argumenta apparuerunt, quæ beatus Carolus Borromæus sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis & Archiepiscopus Mediolanensis coram miratus, illum adhuc duodennem, in rebus divinis adeo instructum reperit, ut dignum putaverit, quem sanctissimo Eucharistiæ sacramento suis manibus ipse primus reficeret. Tum vero in patriis ædibus, & Florentiæ, ubi Aloysius novennis

Dei-

Deiparæ virginitatem suam vovit; quam semper una cum innocentia baptismali illibatam servavit, tum maxime in aula regia Hispaniarum, quo tredecennis cum parentibus in comitatu Mariæ Augustæ petierat, cœlestes ejus animi dotes patuerunt. Ibi enim rara ejus pietas in dies prodiens, omnium oculos & admirationem in se convertit, nullis mundi illecebris innocentissimum puerum alio trahentibus: cujus etiam sanctus pudor is fuit, ut matronas, consanguineas quoque, ac matrem ipsam, adspicere, & seorsum alloqui refugeret. Quin, ut Dei famulatum tutius amplecteretur, vix annum decimum quintum egressus, in Societatem Jesu migrare constituit: quam cogitationem nullæ Regum & Principum blanditiæ, nullæ a parentibus toto triennali spacio adhibitæ machinæ, ex ejus animo evellere potuerunt.

Quare mirantibus & lugentibus consanguineis, Romam iturus, siccis oculis avito se principatu abdicavit, inque alma æde Lauretana votum, quo, eum pia mater incolumen paritura Deo se obstrinxerat, incredibili religione persolvit. Romæ vero in primariis septem Ecclesiis Deum propitium sibi precatus, mox in domum, probandis spiritibus Societati Jesu nomen daturis destinatam, maximo gaudio convolavit, ubi eximiis ejus virtutibus patefactis, votisque postea regularibus de more ab eo nuncupatis, in clericum adscitus, primisque ordinibus initiatus est. Quanta verecundia se spectandum, quantaque humilitate, paupertatis studio, suique contemptu viliora officia ultro subire gestiens, se toti Urbi admirandum ostenderit, oculati & probatissimi testes literarum monumentis consignaverunt. Sed ejus caritas præcipuo sermone celebranda est; quippe quæ maxima fuit, & præsertim enituit, dum ex annonæ inopia sævo in Urbe contagio ingruente, quod multa millia hominum sustulit, ipse, quamvis corpusculi macerationibus pœne confectus, pedibus vix consisteret, a majoribus impetravit, ut in publicis valetudinariis lethaliter ægrotantes inviseret, stipem vicatim per Urbem esurientibus erogaret, inque communi vastitate languidos ipsos, in hospitales domos suis humeris latos, exueret, sordibus mundaret, ac cibo etiam verbi Dei pasceret: quæ omnia tanto studio peregit, ut & ipse pestilenti halitu afflatus, aliquandiu novo hoc experimento probandus, contabesceret.

Tandem suæ migrationis tempus appropinquare animaduertens, Ecclesiæ sacramentis ad magnum iter munitus, dulcissimoque Jesu nomine, quod semper in corde atque ore habuerat, repetito; nocte, quam prædixerat ante diem undecimum Kalendas Julias anni millesimi quingentesimi nonagesimi primi plurimis admirandæ & consummatæ virtutis speciminibus editis, placidissima in pace quievit, annò ætatis suæ vicesimo tertio, religionis sexto, clericatus quarto. Ad ejus exuvias venerandas tanta populi Romani turba confluxit, ut ædis portas claudi oportuerit, ne sacrum pignus devotionis causa in frusta discerperetur. Et quamvis loculum sepulcralem, ei servando adsignatum, nullus foris titulus distingueret, fidelium tamen pietas accensis facibus, votivisque tabellis ac donariis subinde allatis, eum probe distinxit. Aloysii sanctitatem diserto etiam præconio vulgavit in mentis excessu Dei ancilla, postmodum sanctis virginibus adnumerata, Maria Magdalena de Pactiis.

Quin crebra & maxima signa per servi sui intercessionem a Deo patrata, ejusdem sanctitatis famam per universam Italiam eo usque vulga-

vulgarunt, ut Synodus Mantuana recolendæ memoriæ anteceſſori noſtro Paulo Papæ V. enixas preces obtulerit pro Aloyſio in beatorum numerum referendo, eodemque relato, quum multi Chriſtiani Principes a Sede Apoſtolica flagitarent, ut inter Sanctos quoque numeraretur, res tanta venerabilium fratrum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, ſacris ritibus examinandis præpoſitorum judicio perpendenda commiſſa eſt. Hi vero beati Aloyſii virtutes & miracula, de quibus plene conſtabat, ad ſacros Eccleſiæ canones & diſciplinam ſuffragiis ſuis omnino comprobaverunt, itaut Dei ſervum inter Sanctos referri, deque eo, tanquam de beato confeſſore, officium recitari poſſe judicarent. Tres deinde antiquiores ſacri palatii Apoſtolici cauſarum judices hac de re ſuam relationem, quinquennali diſcuſſione compoſitam, ediderunt, in qua prævio examine & approbatione virtutum ac miraculorum, cauſam in eo ſtatu eſſe dixerunt, ut tuto, & quandocumque id luberet, beatus Dei ſervus inter Sanctos confeſſores referri poſſet. Poſtmodum Cardinales ſimul iterum congregati, inhærendo his, quæ antea cenſuerant, & præſertim relationi eorumdem trium ſacri palatii judicum, pridem a ſe acta & judicata uno ore & nemine diſcrepante confirmaverunt. Quare Paulus Papa V. his auditis, auctoritate Apoſtolica non ſolum Romæ, ſed in quibuſcumque locis Italicis, Mantuani Ducis & Principum ex Gonzaga gente imperio ſubjectis, inque Eccleſiis Societatis Jeſu ſacroſanctum miſſæ ſacrificium, atque horas canonicas in beati Aloyſii honorem celebrari & recitari poſſe decrevit: quod indultum, Apoſtolicis literis traditum, per alios poſtea Romanos Pontifices anteceſſores noſtros ad univerſam Societatem Jeſu, & complura alia loca, de eorumdem venerabilium fratrum conſilio, ſuffragioque extenſum eſt.

Hinc Aloyſii ubique celeberrimi virtutes & ſigna, omnibus ferme Chriſtianis Principibus apud Apoſtolicam Sedem æque laudantibus, proque ejus inter ſanctos Domini confeſſores adſcriptione ſub proximis anteceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus Clemente XI. & Innocentio XIII. ac etiam nobis ipſis, dum in minoribus eſſemus, enixe deprecantibus, tandem ſingulis, quæ ad noviſſima anteceſſorum noſtrorum decreta impleri debebant, accurate & ſedulo impletis, inque conventu venerabilium fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium una congregatorum, repetita omnium eorum, quæ acta jam fuerant, abſoluta notione, plenaque ex omni parte, & juridica expoſitione, tum quoad virtutes, tum quoad miracula, olim plene diſcuſſa atque nos eundem Aloyſium, cujus nomen inclytæ memoriæ anteceſſor noſter approbata, Clemens Papa X. in tabulis Martyrologii Romani deſcribendum curaverat, ſanctorum confeſſorum faſtis adnumerare decrevimus.

Itaque in tribus conſiſtoriis & plenario conventu eorumdem venerabilium fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, atque etiam Patriarcharum, Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, nobiſcum Romæ præſentium, univerſis ad eum pertinentibus pro more diſcuſſis, unanimi Patrum ſententia per Apoſtolicæ Sedis notarios coram nobis excepta, Regumque ac Principum Chriſtianorum & Societatis Jeſu pro beato Aloyſio, quem ſcholis ejuſdem Societatis patronum Apoſtolicis literis noſtris pridem adſignavimus, in ſanctorum confeſſorum canonem referendo multis precibus eidem ſanctæ Apoſtolicæ Sedi nobiſque porrectis, poſt tantæ rei perficiendæ ſolemnem diem indictam, perque orationes, jejunia & eleemoſynas omnipotentis

Dei

CONSTIT. CXIV.

A. D. 1726.

Dei opem ferventissime imploratam; demum omnibus, quæ ad antecessorum nostrorum Romanorum Pontificum constitutiones, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ disciplinam agenda erant, summa religione peractis, hac ipsa die in honorem antecessoris nostri Silvestri confessoris atque pontificis Deo sacra, cum jamdictis venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, ac utriusque cleri & populi frequentia in sacrosanctam basilicam principis Apostolorum Deo supplicantes convenimus, ubi semel, iterum & tertio pro Dei servo Aloysio Gonzaga clerico Societatis Jesu Sanctorum confessorum canoni adscribendo iteratis precibus per dilectum filium nostrum Alvarum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Tituli sancti Bartholomæi in Insula Presbyterum Cardinalem, Cienfuegos nuncupatum, post cantatas sacras orationes & Spiritus sancti gratiam humillime invocatam, ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, fidei catholicæ exaltationem, & Christiani nominis incrementum, auctoritate omnipotentis Dei, Patris, Filii & Spiritus sancti, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra, de eorumdem venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum, nobiscum in plenario conventu basilicæ Vaticanæ præsentium consilio & unanimi consensu, beatum Aloysium Gonzagam clericum Societatis Jesu, de cujus sanctitate, fidei sinceritate, & ceterarum virtutum ac miraculorum excellentia plene constabat & constat, una cum beato adolescente Stanislao Kostka ejusdem Societatis Jesu novitio, Sanctorum confessorum non pontificum canoni adscribendum decrevimus & definivimus, prout præsentium tenore decernimus, definimus & adscribimus, eumdemque per omnes Christifideles, tanquam vere Sanctum, honorari mandavimus & mandamus, statuentes, ut in Ecclesia universali in ejus honorem ædes sacræ & altaria, in quibus incruentum sacrificium Deo offeratur, construi; & quotannis undecimo Kalendas Julias, quo die migravit ad Dominum, solemnia ejus natalitia, ut sancti confessoris non pontificis, celebrari possint.

Insuper eadem auctoritate omnibus Christifidelibus vere pœnitentibus & confessis, qui eodem solemni die natalitio in memoriam beati Aloysii Gonzagæ quotannis ad sacras ejus exuvias, quæ in æde ad honorem beati Ignatii confessoris Deo sacra adservantur, venerandas accesserint, annum & quadragenam; iis vero, qui in octava ejusdem diei festi, quadraginta dies de injunctis seu quomodolibet eis debitis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxavimus & relaxamus.

Postremo gratiis Deo actis, quod Ecclesiam suam insigni hoc, novoque luminari illustrare voluisset, cantata in honorem sanctorum Aloysii Gonzagæ & Stanislai Kostkæ, solemni oratione, in ara maxima supra confessionem Principis Apostolorum sacrosanctum missæ sacrificium celebravimus cum ejusdem & alterius confessoris commemoratione, omnibusque Christifidelibus tunc præsentibus, plenariam omnium peccatorum indulgentiam concessimus.

Decet igitur, ut pro tam peculiari, magnoque beneficio, cœlitus nobis concesso omnes benedicamus & glorificemus in trinis personis unum Deum, bonorum omnium auctorem, cui est honor & gloria in sæcula, assiduis precibus ab eo flagitantes, ut per intercessionem electi sui Aloysii Gonzagæ a peccatis nostris indignationem suam avertens, ostendat nobis faciem misericordiæ suæ, immittatque timorem sui super

gentes

gentes, quæ non cognoverunt eum, ut tandem cognoscant, quia non est alius Deus, nisi Deus noster. CONSTIT. CXIV. A. D. 1726.

Ceterum quia difficile foret, præsentes nostras literas ad singula loca, ad quæ opus esset, adferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ definitionis, decreti, adscriptionis, relationis, mandati, statuti, relaxationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vicesimo sexto, pridie Kalendas Januarias, pontificatus nostri anno tertio.

✠ Ego Benedictus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

✠
✠ *Ego Franciscus Episcopus Ostiensis Cardinalis Barberinus.*
✠
✠ *Ego Petrus Episcopus Sabinensis Cardinalis Otthobonus S. R. E. Vicecancellarius.*
✠ *Ego Laurentius Episcopus Tusculanus Cardinalis Corsinus.*
✠
✠ *Ego Joseph Renatus Tituli sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Imperialis.*
✠
✠ *Ego Philippus Antonius Tituli sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis Gualterius.*
✠
✠
✠
✠ *Ego Annibal Tituli sancti Clementis Presbyter Cardinalis sancti Clementis Albanus S. R. E. Camerarius.*
✠ *Ego Ludovicus Tituli sancti Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Picus de Mirandula.*
✠ *Ego Johannes Antonius Tituli sancti Petri ad Vincula Presbyter lis de Via.*
✠
✠ *Ego Antonius Felix Tituli sanctæ Balbinæ Presbyter Cardinalis Zondadarius.*
✠ *Ego Petrus Marcellinus Tituli sanctæ Mariæ Transtiberim Presbyter Cardinalis Corradinus.*
✠
✠
✠
✠ *Ego Curtius Tituli sancti Eustachii Presbyter Cardinalis Origus.*

præsente beata Barbara virgine & martyre, cujus patrocinio in re tanta se commendaverat, pane angelico recreari meruit, unde animæ & corporis viribus mirifice confirmatus, de quibuscumque vexationibus strenue triumphavit, quem alias rerum cœlestium assidua contemplatio, summe innocens corpus in servitutem redactum, incredibilis mansuetudo, inque fratris asperitate triennali spacio toleranda Christianum animi robur, supra ætatem plane admirandum reddiderunt. Mox Deiparæ Virginis monitu, quæ divinum infantulum ei amplectendum porrexit, jam dictæ Societati Jesu, ingenti plausu tunc recens natæ, nomen dare constituit; utque citius voti compos fieret, sub habitu peregrini, licet ab omni re, tam longo itineri necessaria, imparatus, Romam properare contendit, a fratre citatis equis eum quæritante, divinæ gratiæ præsidio nequaquam agnitus, & rursus a choro Angelorum cœlesti pabulo in via recreatus.

Aliquandiu in famulatu seminarii Dilingensis in diœcesi Augustana, tamquam religiosæ vocationis experimento, commoratus, Romam tandem per viarum ambages & vitæ discrimina ingressus, inque tirocinium Societatis Jesu a beato confessore Francisco Borgia, tunc Præposito generali, admissus est, ubi nullis suorum minis perterritus, in omnium Christianarum virtutum agone se veteranum Dei militem spectandum exhibuit, a perspicuæ pietatis viris, interque hos a beato confessore & pontifice Francisco Salesio, singulari præconio cumulatus. Deiparam Virginem, ut dulcem patronam suam maximo semper cultu observavit, tantoque divini amoris æstu ardere visus est, ut brumali tempore pectus linteis frigida aqua conspersis madefaceret. Morbo demum levi correptus, vehementique Dei amore inflammatus, in ejus sinum translatus est anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo sexagesimo octavo die festo, ut prædixerat, Deiparæ Virginis in cœlum assumptæ, decimo octavo Kalendas Septembres, anno ætatis decimo octavo, regularis tirocinii mense decimo.

Miræ innocentiæ adolescentis exuviæ biennio ab ejus depositione incorruptæ, suavique odore perfusæ repertæ sunt. Postmodum triumphalem in cœlesti Hierusalem servi sui gloriam, quem piæ memoriæ antecessor noster Paulus Papa V. beatorum numero adscripserat, Deus miraculo comprobavit, dum Sigismundo Rege Poloniæ in Turcas, Christianorum cervicibus imminentes, bella Domini præliante, sublimis in aere visus est Stanislaus in splendido curru cum Deipara Virgine & filio Jesu; unde Polonorum animi in dubia certaminis alea viribus aucti, immanissimos hostes fuderunt, quo tempore beati adolescentis caput a felicis memoriæ decessore nostro Gregorio Papa XV. in Poloniam missum, adventu suo victores populos novo gaudio cumulavit. His atque aliis, omnium Christifidelium veneratione dignissimis, per Stanislai preces apud Deum editis signis, sanctitatis ejus fama ubique diffusa, apud Apostolicam Sedem exorantibus Poloniæ Regibus Sigismundo, Uladislao & Johanne Casimiro, de eo sanctorum canoni adscribendo actum est, præcipue sub Romanis Pontificibus antecessoribus nostris Paulo V. Innocentio X. & Clemente X. quorum postremus sacrum officium a Societate Jesu, itemque a clero sæculari totius Poloniæ, magnique ducatus Lituaniæ, certa die de eo recitari auctoritate Apostolica indulsit: quod, propria subinde oratione addita, confirmavit alius venerandæ memoriæ antecessor Innocentius Papa XI.

Deni-

CONSTIT. CXV. A. D. 1726.

Denique Stanislai virtutibus per Clementem X. qui eum Polonis & Lituanis primarium apud Deum patronum adsignavit, undequaque adprobatis, piæ quoque recordationis Clemens XI. ejusdem miracula, coram se per venerabiles fratres sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales in examen adducta, pontificia auctoritate adprobavit, decreto edito de beato Dei servo in sanctorum confessorum canonem referendo. Clemente vero priusquam solemni ritu rem tantam absolveret, viam universæ carnis ingresso, nos qui meritis licet imparibus, eidem in cathedra beati Petri successimus, in tribus consistoriis & plenario conventu eorumdem venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, atque etiam Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum, nobiscum Romæ præsentium, gestis beati Stanislai rite perpensis, unanimi omnium sententia per Sedis Apostolicæ notarios coram nobis excepta, Regumque ac Principum Christianorum & Societatis Jesu, pro illo in sanctorum confessorum canonem referendo precibus Apostolicæ Sedi & nobis enixe porrectis, rei perficiendæ solemnem de more diem indiximus.

Mox per orationes, jejunia & eleemosynas omnipotentis Dei ope ferventissime implorata; ac universis, quæ ex sanctæ Romanæ Ecclesiæ disciplina receptisque constitutionibus agenda erant, omni religione peractis, hac ipsa die in honorem antecessoris nostri Silvestri confessoris atque pontificis Deo sacra, una cum jamdictis venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, ac utriusque cleri & populi frequentia in sacrosanctam basilicam principis Apostolorum Deo supplicantes convenimus, ubi semel, iterum & tertio pro Dei servo Stanislao Sanctorum confessorum canoni adnumerando per dilectum filium nostrum Alvarum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Tituli sancti Bartholomæi in Insula Presbyterum Cardinalem, Cienfuegos nuncupatum, precibus repetitis, post decantatas sacras orationes & Spiritus sancti gratiam humillime invocatam, ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, fidei catholicæ exaltationem, & Christiani nominis incrementum, auctoritate omnipotentis Dei, Patris, Filii & Spiritus sancti, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra, de eorumdem venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum, nobiscum in plenario conventu basilicæ Vaticanæ præsentium consilio & unanimi consensu, beatum Stanislaum Kostkam Polonum, Societatis Jesu novitio, de cujus sanctitate, fidei & ceterarum virtutum magnitudine ac miraculorum excellentia plene constabat & constat, una cum beato Aloysio Gonzaga ejusdem Societatis Jesu clerico, Sanctorum confessorum non pontificum canoni adscribendum decrevimus & definivimus, prout præsentium tenore adscribimus, decernimus, & definimus, eumdemque per omnes Christifideles, tanquam vere Sanctum, honorari mandavimus & mandamus, statuentes, ut in Ecclesia universali in ejus honorem ædes sacræ & altaria, in quibus incruentum sacrificium Deo offeratur, ædificari; & quotannis idibus Novembribus, ejus solemnia, ut sancti confessoris non pontificis, celebrari possint.

Insuper eadem auctoritate omnibus Christifidelibus vere pœnitentibus & confessis, qui eodem solemni die in honorem beati Stanislai quotannis ad ejus exuvias, quæ in æde ad honorem beati Andreæ Apostoli Deo sacra in Quirinali adservantur, venerandas accesserint, annum & qua-

& quadragenam; iis vero, qui in octava ejusdem diei festi, quadraginta dies de injunctis seu quomodolibet eis debitis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxavimus & relaxamus. CONSTIT. CXV. A. D. 1726.

Postremo gratiis Deo actis, quod Ecclesiam suam insigni hoc, novoque luminari illustrare voluisset, cantata in honorem sanctorum Stanislai Kostkæ & Aloysii Gonzagæ, solemni oratione, in ara maxima supra confessionem Principis Apostolorum sacrosanctum missæ sacrificium celebravimus cum ejusdem & alterius confessoris commemoratione, omnibusque Christifidelibus tunc præsentibus, plenariam omnium peccatorum indulgentiam concessimus.

Decet igitur, ut pro tam peculiari, magnoque beneficio, nobis concesso omnes benedicamus & glorificemus in trinis personis unum Deum, bonorum omnium auctorem, cui est honor & gloria in sæcula assiduis precibus ab eo flagitantes, ut per intercessionem electi sui Stanislai Kostkæ a peccatis nostris indignationem suam avertens, ostendat nobis faciem misericordiæ suæ, immittatque timorem sui super gentes, quæ non cognoverunt eum, ut tandem cognoscant, quia non est alius Deus, nisi Deus noster.

Ceterum quia difficile foret, præsentes nostras literas, ad singula loca, ad quæ opus esset, adferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ definitionis, decreti, adscriptionis, relationis, mandati, statuti, relaxationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vicesimo sexto, pridie Kalendas Januarias, pontificatus nostri anno tertio.

✠ Ego Benedictus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

✠
✠ *Ego Franciscus Episcopus Ostiensis Cardinalis Barberinus.*
✠
✠ *Ego Petrus Episcopus Sabinensis Cardinalis Otthobonus S. R. E. Vicecancellarius.*
✠ *Ego Laurentius Episcopus Tusculanus Cardinalis Corsinus.*
✠
✠ *Ego Joseph Renatus Tituli sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Imperialis.*
✠
✠ *Ego Philippus Antonius Tituli sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis Gualterius.*
✠
✠
✠

✠ *Ego*

exprimit, si, ejus pœnitentiam imitantes, ad Dominum post peccata cum lacrymis redeamus, hoc loco postulat, ut de priori vita, deque posteriori ejus sanctitate ad Christifidelium institutionem & solatium aliqua referamus. CONSTIT. CXVI. A. D. 1728.

Margarita, quæ Cortonensis, a loco dormitionis, vulgo appellatur, Laviani opidulo diœcesis Clusinæ in Tuscia ortum habuit anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo secundo. Primis adolescentiæ suæ annis mundi voluptatibus capta, in montis Politiani civitate, peccatrix vanam & lubricam vitam duxit, longo perditi juvenis contubernio turpiter usa, filiumque suscepit, qui postea sancte educatus, Minorum regulæ se addixit æque ac mater, quæ tandem ex vita male anteacta intimo animi dolore confixa & pœnitens, ad Dominum conversa est. Quum enim impurum amasium ab hostibus fœde transfossum, & diu ab se frustra expectatum, indicio canis in fovea sub strue lignorum tumulatum fortuito reperisset, illico facta est manus Domini super eam, quæ magno culparum suarum mœrore tacta, exiit foras & flevit amare. Itaque ad parentes reversa, quos, post carnem suam abiens, jamdudum dereliquerat, ob culpas suas tristis, atque imbre lacrymarum perfusa, iterum excipi flagitavit. Crine detonso, neglectoque capite, quod cultu & pompa pridem ornare consueverat, pullaque veste contecta, erroribus suis, mundique illecebris supremum funus indixit, secumque animo reputans, quam graviter Deum læsisset, vehementi ejulatu illius misericordiam assidue deprecata, inque ædibus Deo sacris fune ad collum alligato humi procumbens, omnes, quos antea moribus suis palam offenderat, veniam exoravit. Deus, ut de Margaritæ constantia periculum sumeret, novercæ furiis & immanibus contumeliis eam foras trudi permisit; quamobrem humani generis hoste insidias eidem struente, Cortonam profecta est, tertii ordinis Minorum, ibi sanctitatis laude florentium, instituto, quod pœnitentium appellant, nomen datura. Istic in cinere & cilicio ab se læsam Dei majestatem placare studuit, sordes peccatorum magno luctu, jejuniis & flagris abolere conata, donec post triennale virtutum experimentum, digna tandem habita est, quæ ejusdem tertii ordinis Minorum cingulum atque indumentum susciperet. Uberes exinde lacrymæ ei familiares fuerunt atque ima suspiria, tanta animi contritione ducta, ut diu elinguis consisteret. Lectulum nuda humus, cervical lapis aut lignum porrexit; atque ita noctes insomnes in cœlestium meditatione trahere consuevit, corpus, proditorem suum dicere solita, quod instar jumenti lassitudinem & infirmitatem obtenderet, ne justum onus subiret. Sic permultis vigiliis atque abstinentiis attrita, spiritu potentior evasit, nullum amplius pravum desiderium perpessa, dum bonus spiritus promtior infirmam carnem ad subeundos labores erigebat.

Sed spiritus inimicus ubi tantæ pœnitentiæ in tenella femina rigorem vidit, totus contremuit, utque eam a proposito averteret, verba malitiæ interponens, rursus insidiator accessit, supra ceteros eam agere causatus. Sed mulier fortis, hostem ex verbis detectum, semel atque iterum invicta repulit, dum vanæ etiam gloriæ lenocinium ei subdolus inferre tentavit: quod ipsa perhorrescens, præteritos mores suos per vicos & plateas Cortonensis civitatis alta voce accusare non destitit, omni supplicio se ream inclamans, idem præ summo divinæ offensionis dolore alibi factura, ubi palam peccaverat, quum mon-

montem Politianum petere vellet, nisi eam confessarius ab itinere provido consilio deterruisset: qui pariter intercessit, ne in speciosam faciem, olim impuri amoris causam, sæviret, ægre ferens suam formam longa carnis maceratione non aboleri.

His ergo, aliisque magnæ pœnitentiæ argumentis Margarita suorum criminum labe expiata, atque ita de se triumphatrix, ut sensus plane omnes a mundi illecebris custodiret, oculosque attollere, vultusque hominum præ verecundia conspicere nunquam auderet, digna facta est, quæ sæpe Domini consuetudine frueretur; ipsa tamen eo semper humilior, quo majori eam Christus amore dignabatur. Ejusdem quoque Christi & Virginis matris dolorum, quod ipsa ardenter expetierat, particeps facta, cunctis sensibus destituta & vere mortua interdum visa est.

Tanto præterea & tam miro lumine illustrari meruit, ut cordium secreta, quod unius Dei est, rimaretur, & conscientias hominum apertius inspiceret; peccata in remotis etiam partibus Deum offendentium cum dolore & lacrymis retegeret, malos a vitiis retrahens, probosque meliores efficiens: quod ingenti caritate inflammata identidem egisse comperta est. Ægris ad se venientibus salutem a Domino impetrabat, atrociter a dæmone obsessos, fusis ad Deum precibus liberavit. Puerum defunctum, lugente matre, ad vitam reduxit. Sub piæ memoriæ decessore nostro Nicolao Papa IV. imminentes bellorum tumultus assiduis orationibus sedavit. Denique summæ pietatis operibus vivos & mortuos sibi demeruit. Neque interim, tot sanctis operibus occupata, de rigore, quo assidue corpus suum exercebat, quidquam remisit, aut a studio cœlestia meditandi se avelli passa est, in utroque vitæ genere plane admiranda, utramque sororem Magdalenam & Martham referens.

Tandem pro se Dominum orans, ut ex hac valle lacrymarum sursum in cœlestem patriam duci permitteretur, exaudita est oratio ejus, die atque hora dormitionis ei patefactis. Tres ergo supra viginti annos Deo fideliter ancillata, meritisque & laboribus plena, ac cœlestibus donis cumulata, cœpit corporis viribus destitui, perque dies decem & septem nullo cibo, sed divinis tantum colloquiis refecta est. Supremi transitus hora adveniente, sanctissimis Ecclesiæ sacramentis rite susceptis, anno ætatis quinquagesimo, vultu hilari atque oculis in cœlum conversis, octavo Kalendas Martias, qui est dies festus Cathedræ Antiochenæ beati Petri Apostoli, anno salutis millesimo ducentesimo nonagesimo septimo, suæ conversionis vicesimo tertio, felix migravit ad Dominum.

Ipsa hora, qua nova hæc Magdalena ad superos evolavit, summi Dei gloria atque omnipotentia cœpit in ea manifestari. Tiferni enim ad Tiberim quidam cœlestibus meditationibus raptus, ejus animam aliis permultis ex purgatorio eductis sociatam ingenti lætitia in cœlum efferri conspexit. Corpus miro odore perfusum, copiosa populorum frequentia accurrente, in æde beati Basilii, quæ est Fratrum Minorum, jamque ab eadem Margarita appellatur, depositum est, statimque compluribus miraculis coruscavit, quæ coram gentili nostro Neapoleone sancti Hadriani Diacono Cardinali, Apostolicæ Sedis in Italia Legato, sub recolendæ memoriæ decessore nostro Clemente Papa V. scripta & comprobata fuerunt: quibus denuo rite discussis, ac stupendo illo prodigio, quo Dei famulæ corpus Cortonæ adhuc vege-

vegetum, incorruptum, illæsum, suavique odore perfusum ab omnibus colitur, permotus felicis recordationis antecessor noster Leo Papa X. qui illud venerabundus coram suspexerat, literis Apostolicis octavo idus Februarias anni millesimi quingentesimi decimi quinti Florentiæ vulgatis, concessit, ut Margaritæ natalis Cortonæ, inque tota ejus diœcesi solemni cultu celebraretur, sacræque ejus exuviæ omnium venerationi, ipso, quo decessit die, exponerentur. Mox anno insequenti plenariam peccatorum indulgentiam, sacram ædem, ubi quiescit, visitantibus largitus est. Eam deinde similis memoriæ decessor noster Urbanus Papa VIII. beatarum mulierum catalogo adscripsit, quum alii ejus, nostrique decessores Romani Pontifices Bonifacius IX. & Eugenius IV. jampridem sanctitatis laudem ei tribuissent. Ipse etiam Urbanus officium in ejus honorem toti ordini Minorum celebrandum concessit, ac tandem alius piæ recordationis decessor noster Clemens Papa IX. cum beatæ elogio eandem Martyrologio Romano inseri jussit, adprobante id postmodum similis quoque memoriæ Clemente Papa XI.

Quum ergo toties discussa & comprobata fuisset beatæ mulieris sanctitas, nos tandem venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium sacris Ecclesiæ ritibus examinandis præpositorum suffragia de Margarita in sanctarum mulierum canonem referenda, ut tantæ rei gravitas postulabat, distinctim audituri, eos de more coram nobis congregari mandavimus. Hi vero omnes Dei famulam ob Christianarum ejus virtutum excellentiam, & complurium miraculorum, quibus post concessum ab hac Sede Apostolica ei cultum, magnus Dominus potentiam suam per ejus intercessionem manifestare dignatus est, sanctarum mulierum fastis adnumerandam uno ore censuerunt. Quare omnibus veteri Ecclesiæ disciplinæ respondere compertis, inque tribus consistoriis & plenario conventu eorumdem venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, atque etiam Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum nobiscum in Urbe præsentium, rite perpensis, unanimi eorumdem sententia per Sedis Apostolicæ Notarios coram nobis ipsis excepta, Regumque ac virorum Principum, & totius ordinis Minorum enixis precibus pro Margarita in Sanctarum mulierum non virginum nec martyrum, canonem referenda, jamdudum Apostolicæ Sedi porrectis, post tantæ rei perficiendæ solemnem diem a nobis indictam, perque orationes, jejunia & eleemosynas omnipotentis Dei opem pro hac re ferventissime imploratam, nos demum universis, quæ ex antecessorum nostrorum Romanorum Pontificum constitutionibus, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ disciplina, peragenda erant, omni religione peractis, hac ipsa die solemni Pentecostes, una cum iisdem venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, ac utriusque cleri & populi frequentia, in sacrosanctam basilicam principis Apostolorum Deo supplicantes convenimus, ubi semel, iterum & tertio pro beata Margarita a Cortona tertii ordinis Minorum sorore in Sanctarum mulierum non virginum nec martyrum canonem referenda precibus nobis porrectis per dilectum filium, fratrem Laurentium sanctæ Romanæ Ecclesiæ Tituli sanctæ Mariæ de Aracœli presbyterum Cardinalem, Cozzam nuncupatum, post decantatas sacras orationes, & Spiritus sancti gratiam humillime invocatam, ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, fidei

CONSTIT. CXVI. A. D. 1728.

fidei catholicæ exaltationem, & Christianæ religionis augmentum, auctoritate Domini nostri Jesu Christi, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra, matura deliberatione præhabita, & divina ope sæpius implorata, de eorundem venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum, nobiscum in plenario conventu basilicæ Vaticanæ ibidem præsentium, consilio & unanimi consensu, beatam Margaritam a Cortona tertii ordinis Minorum sororem, de cujus sanctitate, fidei sinceritate & ceterarum virtutum ac miraculorum excellentia plene constabat & constat, Sanctam esse decrevimus & definivimus Sanctarum mulierum non virginum nec martyrum canoni adscripsimus & adscribendum esse decrevimus, prout præsentium tenore definimus, decernimus & adscribimus, eamdemque per universos Christifideles, tamquam vere Sanctam, honorari mandavimus & mandamus, statuentes, ut ab Ecclesia universali in ejus honorem ædes sacræ & altaria, in quibus incruentum sacrificium Deo offeratur, ædificari & consecrari; & quotannis octavo Kalendas Martias, quo die ad cœlestem patriam evolavit, ejus festa solemnia, ut sanctæ mulieris non virginis nec martyris, pia devotione recoli possint.

Insuper eadem auctoritate omnibus Christifidelibus vere pœnitentibus & confessis, qui eodem die festo singulis annis sepulcrum, ubi ejus corpus incorruptum atque integrum & suavi odore perfusum adservatur, pie visitaverint, annum & quadragenam; iis vero, qui in octava ejusdem festi, quadraginta dies de injunctis seu quomodolibet eis debitis pœnitentiis, misericorditer in Domino relaxavimus & relaxamus.

Postremo gratiis Deo actis, quod Ecclesiam suam insigni hoc, novoque luminari illustrare voluisset, cantata in honorem beatæ Margaritæ a Cortona, solemni oratione, in ara maxima supra confessionem beati Petri principis Apostolorum sacrosanctum missæ sacrificium celebravimus, omnibusque Christifidelibus ibidem præsentibus, plenariam omnium peccatorum indulgentiam concessimus.

Decet igitur, ut pro tam peculiari, insignique beneficio, cœlitus nobis concesso, benedicamus & glorificemus omnium bonorum auctorem, in trinis personis unum Deum, cui est honor & gloria in sæcula, assiduis precibus ab eo postulantes, ut per intercessionem clectæ suæ Margaritæ, a peccatis nostris indignationem suam avertens, ostendat nobis faciem misericordiæ suæ, immittatque timorem sui super gentes, quæ non cognoverunt eum, ut tandem cognoscant, quia non est alius Deus, nisi Deus noster.

Ceterum quia difficile foret, præsentes nostras literas ad singula loca, ad quæ opus esset, adferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ definitionis, decreti, adscriptionis, relationis, mandati, statuti, relaxationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vicesimo octavo, decimo sexto Kalendas Junias, pontificatus nostri anno quinto. CONSTIT. CXVI. A. D. 1728.

✠ Ego Benedictus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

✠

✠ *Ego Franciscus Episcopus Ostiensis Cardinalis Barberinus.*

✠

✠ *Ego Petrus Episcopus Sabinensis Cardinalis Otthobonus S. R. E. Vicecancellarius.*

✠ *Ego Laurentius Episcopus Tusculanus Cardinalis Corsinus.*

✠

✠ *Ego Joseph Renatus Tituli sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Imperialis.*

✠

✠

✠ *Ego Ludovicus Tituli sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis Picus de Mirandula.*

✠ *Ego Johannes Antonius Tituli sancti Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis de Via.*

✠

✠ *Ego Antonius Felix Tituli sanctæ Balbinæ Presbyter Cardinalis Zondadarius.*

✠ *Ego Petrus Marcellinus Tituli sanctæ Mariæ Transtiberim Presbyter Cardinalis Corradinus.*

✠

✠

✠

✠ *Ego Curtius Tituli sancti Eustachii Presbyter Cardinalis Origus.*

✠ *Ego Melchior Tituli sanctæ Mariæ Angelorum Presbyter Cardinalis de Polignac.*

✠

✠

✠

✠

✠ *Ego Nicolaus Tituli sanctorum Nerei & Achillei Presbyter Cardinalis Spinula.*

✠

✠

✠ *Ego Julius Tituli sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis Alberonus.*

✠

✠

✠ *Ego Cornelius Tituli sanctæ Cæciliæ Presbyter Cardinalis Bentivolus de Aragonia.*

✠

✠

✠ *Ego Ludovicus Tituli sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis Belluga & Moncada.*

✠ *Ego*

adversus novos Inferorum conatus murum opposuit; unde factum, ut Johannis constantia glorioso martyrio coronata, compluribus signis in tota Bohemia & Germania a Deo illustrari meruerit: quæ tandem hanc sanctam Romanam Ecclesiam, cui, auctore Christo Domino, præsidemus, permoverunt, ut virum Deo carum sanctorum Christi martyrum canoni per nos adscribendum sanciret. Priusquam vero anteactam cæremoniam enarrare adgrediamur, maxime decet, ut de beato Martyre aliqua proferamus, ut illius sanctitatis memoria in fidelium animos dulcius illabatur.

Nepomuci, Bohemiæ opido, Praga in Bavariam ituris obvio, perque sanctum Adalbertum Pragensem antistitem & martyrem signis olim nobilitato, Johannem ineunte jam sæculo decimo quarto parentes ejus, pietate magis, quam avorum titulis clari, precibus & votis, ad Dei matrem fusis, impetraverunt. Egregia & vere Christiana pueri indoles probe exculta statim illuxit. Formula enim, presbyteris divinum sacrificium facturis inserviendi percepta, sponte sua ad cœnobium monachorum Cistercienſium, Nepomuco adjacens, primo mane decurrere, singulisque Dei mystis ad aras operaturis ministrare consuevit. Adultior factus, mitioribus literis, ac postea gravioribus disciplinis, quæ Dei obsequiis destinandum juvenem præcipue decerent, sedulo instructus, ecclesiasticæ militiæ nomen dare constituit; præmissoque in tantæ rei cogitatione mense ab omnibus negociis vacuo, presbyteratum suscepit, eique in æde Pragensi beatæ Virginis, quam *Lætam curiam* appellant, verbi Dei promulgandi onus injunctum est: quod a summis & disertis viris ibidem antea occupatum, tanta ipse prudentia & fervore implevit, ut Evangelii semina audientium cordibus inferens, populi expectationem æquaverit, ac superiorum, qui in eodem officio præiverant, desiderium extinxerit. Hinc universis doctrinam, virtutemque Johannis collaudantibus, inter metropolitanæ Ecclesiæ Pragensis Canonicos, Johanne Archiepiscopo agente, una plane omnium voce cooptatus est, ei statim in eadem Ecclesia coram Caroli IV. Imperatoris filio Wenceslao Romanorum & Bohemiæ Rege IV. sacras conciones habendi, nova provincia imposita: qua Johannes pro sua modestia se frustra abdicare tentavit. Compluribus annis pœnitentiam contra scelera, aulæ licentiam, corruptosque mores strenuus ecclesiastes prædicavit, Wenceslao, sana ejus eloquentia victo, necdum in vitiorum sordes lapso, multa viri Dei suasu faciente: qui tanto etiam ejus ornandi studio incensus est, ut præcipuis Regni dignitatibus, Præpositura scilicet Ecclesiæ Wisserhadensis, post Archiepiscopalem primaria, & sedis Litomisliensis fastigio episcopali, ultro oblatis, Johannem honestare percuperet.

Sed ille opulento lucro animarum unice intentus, hujusmodi se honorum amplitudini generoso consilio subduxit. Ne tamen illorum contemptu in superbiæ notam incurreret, summum tandem eleemosynarii munus a Rege, ejusque optima conjuge Johanna, Alberti Bavariæ Ducis filia collatum, accepit: in quo exercendo præclaris animi dotibus toti aulæ præluxit, & Johanna Regina, Christianis virtutibus instructissima, suæ conscientiæ arbitrum esse voluit: quod exemplum Pragensis arcis sanctimoniales secutæ, ad summum perfectionis apicem, eo duce, convolarunt. Hæc prima in viro Dei sanctitatis præludia absolutam consummationem aliunde acceperunt, ubi pro custodiendo sacramenti Pœnitentiæ sigillo, nulla humana vi referando,

CONSTIT. CXVII. A. D. 1729. animam suam ponere non dubitavit. Etenim labente anno Domini millesimo trecentesimo octogesimo tertio, quum Wenceslaus paternæ virtutis immemor, agente humani generis hoste, in flagitiorum abyssum præceps ruisset, pientissima Regina, viri sceleribus maxime offensa, crudelitatem ejus perhorrescens, uni Deo se totam dicare constituit, ab eo in tanta calamitate subsidium & solatium deprecatura. Sacrum propterea confessarii tribunal adire frequentius, cum lacrymis conscientiam aperire, affligere se, egenorum curam suscipere, Deum assidue cogitare, & diu noctuque obsecrare, ut meliorem conjugi mentem daret, quem pridem a pessimo vitæ instituto revocare optans, seorsum privatis obsecrationibus sæpenumero adgressa fuerat.

Sed Rex crimina criminibus addens, piis optimæ Reginæ officiis in furorem actus, eo prolapsus est, ut quæ illa in sacramentali confessione eleemosynario atque uni Deo aperiret, ab eo sibi patefieri debere, nefario ausu contenderet: magnisque hoc pollicitationibus a Johanne extorquere semel atque iterum laboravit. Mox novum Regis atrocissimum facinus in coco, verubus transfixo, atque igne assari jusso, aliis præ horrore & stupore tacentibus, a Johanne leniter objurgatum, ejus immanitatem in Dei famulum irritavit. Quare eleemosynarium contumeliis affectum, carceri & vinculis mancipat, inde non educendum minatus, nisi Reginæ confessionem pandat. At ejus constantiam in vinculis & postmodum in convivio Wenceslaus expugnare frustra molitus, catastæ impositum, tormentis & facibus ad latera admotis, ut secretum proderet, torqueri imperat: quo in agone Christi pugil nihil prorsus, nisi suavissima Jesu & Mariæ nomina ingeminans, vitam & mortem Domino commendavit. Carcere hinc dimissus, curatisque vulneribus, vir Dei secum immaniter acta prudens celavit, resumptoque pristino concionum exercitio in æde principe, quum ad populum verba illa Christi Domini protulisset, *modicum videbitis me*; & *jam non multa loquar vobiscum*, sibi pro Christi & Ecclesiæ lege occumbendum prænunciavit. Tum uberrimis lacrymis regni infortunia & eventuras brevi calamitates memorans, inque magno luctu omnes relinquens, concionem absolvit. Supremum igitur agonem sibi instare prænoscens, antiquam Deiparæ imaginem veneraturus, Boleslaviam profectus, ejus præsidium vehementissimis precibus flagitavit. Inde Pragam vespere pervigilii Dominicæ Ascensionis reducem e fenestra Rex conspicatus, ad se arcessit, mortem interminatus, nisi arcanas conjugis confessiones statim exponat. Sed fortissimus Dei miles intrepide reluctatus, impium facinus, quod ab se requirebatur, non voce, sed capitis, vultusque gravitate aversatus est. Mox jussu regio a satellitibus comprehensus, alio clam deportatur, noctuque manibus & pedibus vinctus, ad pontem Moldavæ, Pragam præterfluentis, deductus, in subjectum flumen præcipitatur.

Johannis cædem, quam Wenceslaus latere voluerat, cœlestia statim miracula prodiderunt. Totus enim Moldavæ fluvius continuo flammis reluxit, & Martyris corpus secundo flumine, quasi facibus undique cinctum, descendens, effusam ad spectaculum civitatem attraxit, Regina ipsa sceleris nescia, conjugi necis auctori prodigium indicante: qui criminis conscientia tortus, humanum consortium triduo ferre non potuit. Postero die repertum martyris corpus, cædisque causa patefacta, ad proximam ædem sanctæ Crucis perlatum est, subinde ad metropolitanam Ecclesiam, ubi ægros quamplurimos sacrarum exuviarum conta-

contactu sanatos, vetera monumenta copiose testantur. Signis postea non paucis ad Martyris, qui Dei gloriam eloquio juxta ac silentio amplificare studuerat, loculum sepulcralem patefactis, ejus veneratio & fama sanctitatis in toto Regno Bohemiæ per medias hæresum & bellorum flammas mirifice aucta, Germaniam universam & Septentrionales oras pervagata est. Hisce de rebus uberes commentarii, Johannis martyrium, miracula & cultum immemorabilem, minimeque interruptum recensentes, ab anno millesimo septingentesimo decimo quinto ad annum millesimum septingentesimum vicesimum in sede Archiepiscopali Pragensi publica, solemnique cæremonia confecti sunt: quo tempore invicti Martyris corpusculo juridice recognito, & carne ac membris in cineres pridem conversis, licet tota ossium compago superesset, lingua, sigilli confessionis sacramentalis inexpugnabilis custos, in ore & cranio terra pleno, prorsus incorrupta, flexilis & vivida reperta est. Hæc vero in theca honorifice inclusa, anno millesimo septingentesimo vicesimo primo in solemni supplicatione maximo Christiani populi gaudio circumlata est. CONSTIT. CXVII. A. D. 1729.

His porro commentariis ad piæ recordationis antecessorem nostrum Clementem Papam XI. allatis, perque venerabiles fratres nostros sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sacrorum Rituum Congregationi præpositos, canonico examine comprobatis, officium & sacrosanctum missæ sacrificium de eo sub ritu communi unius Martyris in Bohemia, Germania, aliisque regionibus celebrandi, sacrique corporis ex tumulo seorsum posito, & repagulis ferreis munito, infra mensam altaris transferendi, facultas concessa est: quo translato, novisque commentariis hac de re Apostolica auctoritate conscriptis, die vicesima septima Januarii anno Domini millesimo septingentesimo vicesimo quinto sacræ linguæ prodigiosa incorruptio denuo explorata, omnes quotquot aderant, permultos gravissimos viros, reique anatomicæ peritos repentino spectaculo in summam admirationem convertit, ubi in conspectu universorum spacio ferme unius horæ lingua subobscura a radice, quasi rubrum colorem induens & palam intumescens, hujusmodi colorem sensim in purpureum mutavit.

Itaque per venerabiles fratres nostros sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales viri Dei martyrio & prodigiis coram nobis accurate recognitis atque perpensis, & duobus præsertim ex recentioribus miraculis una cum iis, quæ ad linguam pertinent, voce unanimi comprobatis; uno scilicet Annæ Teresiæ Crebsin, a sex mensium paralysi & atrophia in lævo brachio percussæ, quæ sub finem novemdialis jejunii a se instituti in honorem beati Johannis, momento citius convaluit; altero vero in septenni puella Rosalia Hodanckiana, noctu in flumen Wactavam lapsa, quæ ejusdem viri Dei patrocinio a matre implorato, post horæ spacium ex aquis, ubi mersa jacuerat, incolumis educta est; nos Johannem Nepomucenum, ob servatam legem arcani confessionis sacramentalis violenta nece peremtum, consueto Ecclesiæ Romanæ ritu in Sanctorum Christi martyrum canonem referre decrevimus: pro quo referendo carissimus in Christo filius noster Carolus VI. Imperator electus, Hispaniarum Catholicus & Romanorum, Hungariæ ac Bohemiæ Rex illustris, & carissima in Christo filia nostra, Elisabetha Christina ejusdem Caroli uxor, & Amalia vidua claræ memoriæ Josephi olim Imperatoris electi, itidemque carissimus in Christo filius noster Fridericus Augustus Poloniæ Rex illustris, compluresque sanctæ Romanæ Ecclesiæ

Cardi-

CONSTIT. CXVII. A. D. 1729.

Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi & Germaniæ Principes ab initio causæ supplices preces huic Apostolicæ Sedi porrexerant, suasque jam porrigit venerabilis frater Ferdinandus Archiepiscopus, & præ ceteris dilecti filii, capitulum & canonici metropolitanæ Ecclesiæ Pragensis, eximia & plane singulari erga collegam suum devotione inflammati.

In tribus ergo consistoriis & plenario conventu eorumdem venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum, nobiscum Romæ præsentium, universis ad beatum Christi martyrem Johannem Nepomucenum pertinentibus pro more discussis, unanimi sententia, per Apostolicæ Sedis notarios coram nobis excepta, post tantæ rei perficiendæ solemnem diem indictam, perque orationes, jejunia & eleemosynas omnipotentis Dei opem in re tanta absolvenda ferventissime imploratam, omnibus, quæ ad antecessorum nostrorum Romanorum Pontificum constitutiones & sanctæ Romanæ Ecclesiæ disciplinam agenda erant, summa religione peractis, hac ipsa die, in honorem beati Josephi confessoris & Deiparæ sponsi Deo sacra, una cum jamdictis venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, ac maxima utriusque cleri & populi frequentia in sacrosanctam basilicam Lateranensem Deo supplicantes convenimus, ubi semel, iterum & tertio pro Christi famulo Johanne Nepomuceno Sanctorum martyrum canoni adscribendo, per dilectum filium nostrum Michaelem Fridericum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Tituli sanctæ Sabinæ Presbyterum Cardinalem, ab Althann nuncupatum, repetitis precibus exorati, post cantatas sacras orationes & Spiritus sancti gratiam humillime invocatam, ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, fidei catholicæ exaltationem, & Christiani nominis incrementum, auctoritate omnipotentis Dei, Patris, Filii & Spiritus sancti & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra, de eorumdem venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum, nobiscum in plenario conventu basilicæ Lateranensis præsentium, consilio & unanimi consensu, beatum Johannem Nepomucenum, Ecclesiæ metropolitanæ Pragensis in Regno Bohemiæ presbyterum & canonicum, de cujus sanctitate, martyrio, causa martyrii & miraculis plene constabat & constat, Sanctorum martyrum canoni adscribendum decrevimus & definivimus, prout præsentium tenore decernimus, definimus & adscribimus, eumdemque per omnes Christifideles, tanquam vere Sanctum & Christi Martyrem, honorari mandavimus & mandamus, statuentes, ut in Ecclesia universali ædes sacræ & altaria, in quibus incruentum sacrificium Deo offeratur, in ejus honorem construi; & quotannis decimo septimo Kalendas Junias solemnia ejus, ut sancti Christi Martyris, celebrari possint.

Insuper eadem auctoritate omnibus Christifidelibus vere pœnitentibus & confessis, qui eodem festo die in memoriam beati Christi Martyris Johannis Nepomuceni quotannis ad sacras ejus exuvias, quæ Pragæ in æde principe, in honorem beati Viti martyris Deo sacra, adservantur, venerandas accesserint, annum & quadragenam; iis vero, qui in octava ejusdem diei festi, quadraginta dies de injunctis seu quomodolibet eis debitis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxavimus & relaxamus.

Postre-

Postremo gratiis Deo actis, quod Ecclesiam suam insigni hoc, novoque luminari illustrare voluisset, & cantata in honorem sancti martyris Johannis Nepomuceni solemni oratione, in ara maxima basilicæ Lateranensis sacrosanctum missæ sacrificium celebravimus cum ejusdem Martyris commemoratione, omnibusque Christifidelibus tunc præsentibus plenariam omnium peccatorum indulgentiam concessimus. CONSTIT. CXVII. A. D. 1729.

Decet igitur, ut pro tam peculiari, magnoque beneficio cœlitus nobis concesso omnes benedicamus in trinis personis unum Deum bonorum omnium auctorem, cui est honor & gloria in sæcula, assiduis precibus ab eo flagitantes, ut per intercessionem electi sui martyris Johannis Nepomuceni a peccatis nostris indignationem suam avertens, ostendat nobis faciem misericordiæ suæ, immittatque timorem sui super gentes, quæ non cognoverunt eum, ut tandem cognoscant, quia non est alius Deus, nisi Deus noster.

Sed quia difficile foret, præsentes nostras literas ad singula loca, ad quæ opus esset, adferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ definitionis, decreti, adscriptionis, relationis, mandati, statuti, relaxationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vicesimo octavo, quartodecimo Kalendas Apriles, pontificatus nostri anno quinto.

✠ Ego Benedictus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

✠

✠

✠

✠ *Ego Petrus Episcopus Sabinensis Cardinalis Otthobonus S. R. E. Vicecancellarius.*

✠ *Ego Laurentius Episcopus Tusculanus Cardinalis Corsinus.*

✠

✠ *Ego Joseph Renatus Tituli sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Imperialis.*

✠

✠ *Ego Annibal Tituli sancti Clementis Presbyter Cardinalis sancti Clementis S. R. E. Camerarius.*

✠ *Ego Ludovicus Tituli sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis Picus de Mirandula.*

✠ *Ego Johannes Antonius Tituli sancti Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis de Via.*

✠

✠ *Ego Antonius Felix Tituli sanctæ Balbinæ Presbyter Cardinalis Zondadarius.*

✠ *Ego Petrus Marcellinus Tituli sanctæ Mariæ Transtiberim Presbyter Cardinalis Corradinus.*

✠ *Ego*

CONSTIT. CXVII.

A. D. 1729.

✠
✠
✠
✠ *Ego Curtius Tituli sancti Eustachii Presbyter Cardinalis Origus.*
✠ *Ego Melchior Tituli sanctæ Mariæ Angelorum Presbyter Cardinalis de Polignac.*
✠
✠
✠
✠
✠ *Ego Nicolaus Tituli sanctorum Nerei & Achillei Presbyter Cardinalis Spinula.*
✠
✠
✠ *Ego Julius Tituli sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis Alberonus.*
✠
✠
✠ *Ego Cornelius Tituli sanctæ Cæciliæ Presbyter Cardinalis Bentivolus de Aragonia.*
✠
✠
✠ *Ego Ludovicus Tituli sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis Belluga & Moncada.*
✠
✠ *Ego Michael Fridericus Tituli sanctæ Sabinæ Presbyter Cardinalis de Althann.*
✠
✠ *Ego Alvarus Tituli sancti Bartholomæi in Insula Presbyter Cardinalis Cienfuegos.*
✠ *Ego Bernardus Maria Tituli sancti Bernardi ad Thermas Presbyter Cardinalis de Comitibus, major Pœnitentiarius.*
✠ *Ego Johannes Baptista Tituli sancti Matthæi in Merulana Presbyter Cardinalis de Alteriis.*
✠ *Ego Vincentius Tituli sancti Onuphrii Presbyter Cardinalis Petra.*
✠ *Ego Prosper Tituli sancti Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Marefuscus.*
✠ *Ego Frater Augustinus Tituli sanctæ Mariæ super Minervam Presbyter Cardinalis Pipia.*
✠ *Ego Nicolaus Tituli sanctæ Mariæ in Domnica Presbyter Cardinalis Coscia.*
✠
✠
✠ *Ego Nicolaus Maria Tituli sanctorum Johannis & Pauli Presbyter Cardinalis Lercarius.*
✠
✠
✠
✠ *Ego Frater Gregorius Tituli sancti Augustini Presbyter Cardinalis Selleri.*
✠

✠ *Ego*

CONSTIT. CXVII. A. D. 1719.

✠
✠
✠
✠ *Ego Frater Vincentius Ludovicus Tituli sancti Pancratii Presbyter Cardinalis Gotti Ordinis Prædicatorum.*

✠ *Ego D. Leander Tituli sancti Calixti Presbyter Cardinalis de Porzia Ordinis sancti Benedicti.*

✠ *Ego Petrus Aloysius Tituli sancti Laurentii in Pane & Perna Presbyter Cardinalis Carafa.*

✠ *Ego Joseph Tituli sanctæ Mariæ de Transpontina Presbyter Cardinalis Accorambonus.*

✠
✠ *Ego Benedictus sanctæ Mariæ in Via Lata Diaconus Cardinalis Pamphilius.*

✠ *Ego Laurentius sanctæ Agathæ ad Montes Diaconus Cardinalis de Alteriis.*

✠ *Ego Carolus sancti Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Columna.*

✠ *Ego Fabius Sanctorum Viti & Modesti Diaconus Cardinalis de Abbatibus Oliverius.*

✠
✠ *Ego Alexander sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis Albanus.*

✠ *Ego Alexander sanctæ Mariæ de Scala Diaconus Cardinalis Falconerius.*

✠ *Ego Nicolaus sanctæ Mariæ ad Martyres Diaconus Cardinalis Judice.*

✠ *Ego Antonius sancti Nicolai in Carcere Diaconus Cardinalis Bancherius.*

✠ *Ego Carolus sanctæ Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis Collicola.*

J. B. Archiepiscopus Nisibenus Subdatarius.

VISA

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

L. Martinettus.

Registrata in Camera Apostolica.

Felix Francischinus R. C. A. Secretarius.

NOTA.

Beati Jo. Nepomuceni, nuperrime Sanctorum Christi martyrum Fastis adscripti, Vitam ex antiquis monumentis congessit rerum Bohemicarum peritissimus Bohuslaus Balbinus Jesuita, quam habes in Majo Bollandiano tomo III. pag. 668. De eo quoque scribit Thomas Jo. Pessina in *Phosphoro septicorni* Pag. 583. 584. 646. quo in libro, tam belle inscripto, agitur de Metropolitana Ecclesia Pragensi.

CONSTIT. XXIII. A. D. 1148.

APPENDICULA CONSTITUTIONUM

Suis locis inserendarum, inde aptatis postea subsequentium numeris.

Ad pag. 27.

XXIII.

IDEM

CLEMENS III

Sanctorum confessorum pontificum canoni adscribit Beatum Malachiam Hiberniæ Episcopum, qui obiit die II. Novembris A. D. 1148.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Dilectis filiis universis Abbatibus ad Cisterciense Capitulum convenientibus, salutem & Apostolicam benedictionem.

Const. XXIII. A. D. 1148.

IDeo sacrosanctam Romanam Ecclesiam Redemptor noster, caput omnium fidelium esse voluit & magistram, ut ad ejus dispositionem & nutum, divina gratia praeeunte, quæ ubique a fidelibus gerenda sunt, ordinentur, & errata in melius corrigantur, & ad ejus consilium in ambiguis recurratur; & quod ipsa statuerit, nemini quantumcumque de suis meritis glorietur, liceat immutare: ne si forte promiscua daretur universis licentia, quæcumque sibi, secundum voluntatem propriam occurrerint, perpetrandi, confusa libertas, quum secundum voluntatem personarum vota dissentiant, in aliorum aliquando scandalum, sine justi discretione libraminis, commendanda supprimeret, & minus digna laudibus indebitis celebraret. Inde si quid fuit, quod dilectus filius noster Jordanus sanctæ Pudentianæ Tituli Pastoris Presbyter Cardinalis, ad preces quorumdam vestrum, Vitam Sancti cujusdam viri, nomine Malachiæ, qui apud Claravallem in Domino requiescit, a beato Bernardo primo Claravallensis Abbate conscriptam, & miracula, quæ Dominus ob ipsius merita declaranda, per ipsum dignatus est operari, cum multorum vestri ordi-

ordinis teſtimoniis, nobis devote præſentare curavit, ut auctoritate Apoſtolica, quod de ipſius meritis ſentire deberet Eccleſia, publice deberemus omnibus declarare. Viſis ergo tantorum virorum teſtimoniis; vita etiam ipſius & miraculis diligenter inſpectis, precibus etiam & teſtimonio ipſius Cardinalis, & dilecti filii Abbatis Caſæmarii, aliorumque quamplurium, quibus fidem omnimodam adhibendam credebamus, inducti, dictum ſanctum virum Malachiam in ſanctorum catalogo, de communi fratrum noſtrorum conſilio, duximus adſcribendum, & per ipſius merita, Redemptoris ſuffragia cum reliquorum ſanctorum interventionibus a Chriſtifidelibus ſtatuimus poſtulanda. Volumus igitur, ut eam ſibi reverentiam, quæ ſanctis debetur, univerſus ordo veſter & alii fideles, de licentia Sedis Apoſtolicæ, devote exhibeant, & in ſanctorum numero ſecure conſcribant.

Datum Laterani II. nonas Julii, Pontificatus noſtri anno tertio.

N O T A.

Hujus ſancti Malachiæ, qui obiit in cœnobio Claravallenſi, Vitam, triginta & tribus capitibus diſtinctam conſcripſit ſanctus Bernardus, quæ exſtat inter ejus opera opuſculo XII. volumine I. tomo II. editionis per Johannem Mabillonium Pariſiis curatæ A. D. 1690. Literæ vero, quas damus, proſtant in fine ejuſdem Vitæ pag. 697. *poſtremæ* editionis Venetæ anni 1726. apud Angelum Paſinellum. In illa enim *priori* non exſtant.

IDEM

CONSTIT. XXX. A. D. 1157.

Ad pag.209

XXX.

IDEM

INNOCENTIUS . III

Sanctorum confessorum canoni adscribit Beatum Guillelmum Eremitam a Malavalle in Tuscia, qui obiit die x. Februarii A. D. 1157.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Venerabili fratri Grossetanensi Episcopo, salutem & Apostolicam benedictionem.

Const. xxx. A. D. 1157.

EX literis fraternitatis tuæ accepimus, quod, cum bonæ memoriæ Martinus prædecessor tuus, olim ad felicis recordationis Alexandri prædecessoris nostri præsentiam accessisset, supplicavit eidem, ut beatum Guillelmum Sanctorum adscriberet catalogo venerandum. Idem (vero) prædecessor noster exauditurum se preces ipsius promisit tempore opportuno; & interim mandavit eidem, ut in anniversario pro divini nominis gloria, & ejusdem Sancti memoria officium confessoris solemniter celebraret, & in sua diœcesi faceret solemniter celebrari. Ideoque (& nos) fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus & tu prædecessoris nostri mandatum in majori Ecclesia exequaris, & diœcesanis tuis nuncies exequendum.

Datum Lateranis octavo idus Maji, pontificatus nostri anno quinto.

NOTA.

Has literas edidit Guillelmus de VVaha presbyter Soc. Jesu in Explanatione Vitæ sancti Guillelmi pag.326. quæ prodiit Leodii A.D.1693. De eodem percelebri Eremita agunt Baronius A. D. 1136. §. xxiii. Pagius eodem anno §. xi. & xii. Bollandus in Actis Sanctorum to. II. Februarii pag. 433. Claudius Castellanus in Martyrologio Romano Gallice edito die x. Februarii pag. 602. nosque ipsi de eo quædam proferenda curavimus in Diario Literatorum Italiæ tomo xix. pag. 328. Videndus etiam, si lubet, Spero Speronius in Oratione Italica ad Antonium Regem Navarræ pag. 79. Ceterum *Malavallis*, alias *Stabulum Rodis*, est in agro Senensi.

CODICIS

FINIS.

INDEX